





Digitized by the Internet Archive  
in 2011 with funding from  
University of Toronto

RERUM BRITANNICARUM MEDII ÆVI  
SCRIPTORES,

OR

CHRONICLES AND MEMORIALS OF GREAT BRITAIN  
AND IRELAND

DURING

THE MIDDLE AGES.



**THE CHRONICLES AND MEMORIALS**  
OF  
**GREAT BRITAIN AND IRELAND**  
DURING THE MIDDLE AGES.

PUBLISHED BY THE AUTHORITY OF HER MAJESTY'S TREASURY, UNDER  
THE DIRECTION OF THE MASTER OF THE ROLLS.

---

ON the 26th of January 1857, the Master of the Rolls submitted to the Treasury a proposal for the publication of materials for the History of this Country from the Invasion of the Romans to the reign of Henry VIII.

The Master of the Rolls suggested that these materials should be selected for publication under competent editors without reference to periodical or chronological arrangement, without mutilation or abridgment, preference being given, in the first instance, to such materials as were most scarce and valuable.

He proposed that each chronicle or historical document to be edited should be treated in the same way as if the editor were engaged on an *Editio Princeps*; and for this purpose the most correct text should be formed from an accurate collation of the best MSS.

To render the work more generally useful, the Master of the Rolls suggested that the editor should give an account of the MSS. employed by him, of their age and their peculiarities; that he should add to the work a brief account of the life and times of the author, and any remarks necessary to explain the chronology; but no other note or comment was to be allowed, except what might be necessary to establish the correctness of the text.

The works to be published in octavo, separately, as they were finished ; the whole responsibility of the task resting upon the editors, who were to be chosen by the Master of the Rolls with the sanction of the Treasury.

The Lords of Her Majesty's Treasury, after a careful consideration of the subject, expressed their opinion in a Treasury Minute, dated February 9, 1857, that the plan recommended by the Master of the Rolls "was well calculated for the accomplishment of this important national object, in an effectual and satisfactory manner, within a reasonable time, and provided proper attention be paid to economy, in making the detailed arrangements, without unnecessary expense."

They expressed their approbation of the proposal that each Chronicle and historical document should be edited in such a manner as to represent with all possible correctness the text of each writer, derived from a collation of the best MSS., and that no notes should be added, except such as were illustrative of the various readings. They suggested, however, that the preface to each work should contain, in addition to the particulars proposed by the Master of the Rolls, a biographical account of the author, so far as authentic materials existed for that purpose, and an estimate of his historical credibility and value.

*Rolls House,*  
*December 1857.*

---



THE  
ANGLO-LATIN  
SATIRICAL POETS  
AND  
EPIGRAMMATISTS  
OF  
THE TWELFTH CENTURY.

NOW FIRST COLLECTED AND EDITED

BY


THOMAS WRIGHT, ESQ., M.A., F.S.A., ETC.,  
CORRESPONDING MEMBER OF THE NATIONAL INSTITUTE OF FRANCE,  
(ACADÉMIE DES INSCRIPTIONS ET BELLES LETTRES).

VOL. II.

PUBLISHED BY THE AUTHORITY OF THE LORDS COMMISSIONERS OF HER MAJESTY'S  
TREASURY, UNDER THE DIRECTION OF THE MASTER OF THE ROLLS.

LONDON:  
LONGMAN & Co., AND TRÜBNER & Co., PATERNOSTER ROW;  
ALSO BY PARKER & Co., OXFORD;  
MACMILLAN & Co., CAMBRIDGE;  
A. & C. BLACK, EDINBURGH; AND A. THOM, DUBLIN.

1872.



JAN 12 1950

15422

Printed by  
EYRE and SPOTTISWOODE, Her Majesty's Printers.  
For Her Majesty's Stationery Office.

## C O N T E N T S.

---

	Page
BERNARDI MORLANENSIS DE CONTEMPTU MUNDI	3
LIBER PRIMUS	7
LIBER SECUNDUS	43
LIBER TERTIUS	74
GODEFRIDI PRIORIS EPIGRAMMATA	103
GODEFRIDI PRIORIS EPIGRAMMATA HISTORICA	148
EPIGRAMMATA MISCELLANEA	156
HENRICI ARCHIDIACONI HISTORIÆ LIBER UNDECIMUS	163
ALEXANDRI NECKAM DE VITA MONACHORUM	175
GUALONIS BRITONIS INVECTIO IN MONACHOS	201
VERSUS SERLONIS DE FILIIS PRESBYTERORUM	208
ANONYMI VERSUS DE QUERIMONIA CLERI	213
VERSUS HUGONIS SOTOVAGINÆ	219
ANONYMI VERSUS DE ABBATIBUS MITRIS UTENTIBUS ET DELICIOSE VIVENTIBUS	230
SERLONIS MONACHI POEMATA	232
REGINALDI MONACHI POEMATA	259
ALANI ANGLICI ANTICLAUDIANUS	268
DISTINCTIO PRIMA	273
DISTINCTIO SECUNDA	292
DISTINCTIO TERTIA	310
DISTINCTIO QUARTA	329
DISTINCTIO QUINTA	346
DISTINCTIO SEXTA	365
DISTINCTIO SEPTIMA	382
DISTINCTIO OCTAVA	399
DISTINCTIO NONA	412
ALANI LIBER DE PLANCTU NATURÆ	429
APPENDIX :—ANGLO-LATIN ÆNIGMATA OF THE SAXON PERIOD :	
I. TATWINI ÆNIGMATA	525
II. ALDHELMI ÆNIGMATA	535
INDEX	577

---



---

THE MINOR ANGLO-LATIN SATIRISTS  
AND EPIGRAMMATISTS.

---

VOL. II.

A

DA  
25  
.B8  
v.59

THE HISTORY

OF

# BERNARDI MORLANENSIS

## DE CONTEMPTU MUNDI.

---

Domino et patri suo, Petro, dignissimo abbati Cluniacensium<sup>1</sup> fratrum, ejus filius, eorum frater, in aurem auream unam. Quod ad aures publicas, sive ad multorum ora profertur, sapientis est correctione accurandum, absolvendum judicio. Opus quippe suum etiam atque etiam retractare auctori gloriam comparat, temere et præcipitanter exponere ignominiam. Quo fit ut in alterutrum partem omnis scriptor se conferat, et siquidem prudentium examine stylum suum corrigit, prudentis sibi titulum et nomen, etsi non quærit, acquirit. Si vero superbum spirans, ferulæ manum submittere dedignatur, non minus fatuitatis quam superbiæ arguitur. Ac propterea, ne a rudibus quidem vel ipse vel ejus sermo accipitur, mentior si non etiam Flaccus Horatius ad Pisones illos instruendos, et ad nos reprimendos, qui juxta illud poetæ,

“Scribimus indocti doctique poemata passim,”

mentior, inquam, si non et Flaccus in Arte Poetica idem quod ego sentit, quippe ibi præcipit ubi scriptum quod non multa dies et multa litura coercuit, atque perfectum decies non castigavit ad unguem, nonum prematur in annum. Cæterum imprudentes, immo impudentes, quique sua inventa, sua passim scripta, et efferunt

---

<sup>1</sup> *Auniacensium*, B.

et inferunt; qui semper discentes, et nunquam ad scientiam pervenientes, dum alienum iudicium reprobant, contenti suo sese aliquid scire putant. Et quomodo ipsi magistri, ipsi sibi auditores sunt et in ingeniolis suis gloriantes confidunt, aliena quidem dicta vel nullius vel parvi, sua vero magni faciunt. At contra sapientis et docti est cum doctorum eloquiis sua conferre, in illis et cum illis et ab illis formam modumque addiscere, et tum sensuum tum verborum ipsorum positione æmulari sequi structuram. Moris nimirum est erudito sua majorum iudicio studia si diligentiori lima egent eliminare, si ornatu expolire, si emendatione corrigere. Si nullo horum, tum demum legenda absolvere. Hoc ego considerans, opus subjectum quod de mundi contemptu dactilico metro paravi, et peroravi, vestræ auctoritati, pater doctissime, præostendere non neglexi. Non neglexi, inquam, præostendere, neque enim libera fiducia, aut fida libertate, promulgandum iudicavi, nisi prius lingua Petri et vere petri esset approbatum, favore munitum, correctum iudicio, roboratum testimonio. Quod nudo<sup>1</sup> nomine tantum Petrum invocaverim, quod tantam laudem geminans inculcaverim, rogo nemo mihi succenseat, nemo adulationi appingat. Scio namque quia, sicut apud liberas mentes gloria sive laus excidium virtutis est, sic e contra apud egregias incitamentum. Nec falso a poeta dictum est:

“Gloria calcar habet.”

Studet enim semper liberalis animus quotiens aliquid de se laudis dicitur, ut si non est ita sicut dicitur, sit ita quia dicitur. Nihil ergo quisquam ad surdum fecit, si virum bonum et timoratum laudet, quando ei ipsa laus virtutis materia est. Sed de his satis. Nunc ad omissum revertar. Vestræ igitur correctioni, doctissime pater et domine, committendum opusculum de Contemptu Mundi excogitavi. Scripsi, distinxī, non-

---

<sup>1</sup> *Qui nudo*, A.



dum absolute edidi. Cur autem metri potius teneri quam producta oratione scribere placuerit, si vel alius quis, vel etiam vos ipse quæritis, sic accipite. Nimirum ut poeticis utar verbis,

“ Aut prodesse volunt aut delectare poetæ,

“ Aut utrumque et honesta et idonea dicere vitæ,”

quippe quod metrico carmine digestum edicitur, et avidius legitur,<sup>1</sup> eoque facilius altæ memoriæ commendatur. Quo fit ut dum specie versuum, dum sonoritate verborum lector allicitur, ad exhibitionem eorum quæ vel audierit aut legerit<sup>2</sup> accendatur et accingatur, et dum verborum elegantiam considerat, efficaciam exerceat. Quare sicut in metro plurimum decoris est, sic in decore plurima utilitas, alterumque horum duorum pendet ex altero. Quod videri perfacile est. Si enim lector in illo delectatur, consequenter et in isto. Etenim qui sollicitus contemplatur verborum speciem, sæpe sollicitior amplectitur ipsarum rerum frugem. Hinc est quod poetæ omnia aut pene omnia quæ scripserunt metrica, ut ita dicam, cautione scripta emiserunt, scilicet id permaxime attendentes ut quæ minus poterant plano sermone digesta, metrico depicta grata redderent. Huc ergo accedit quod et ipsum sicut perhibent psalterium lyrici composuere pedes. Prætereo quod plurimæ testamenti paginæ quibus enumerandis supersedeo ob rationem datam in metro, emissæ sunt, non in metrum transmissæ. Nam in tempore revelatæ gratiæ, jam fide, jam evangelio, jam crucifixo nostro Jhesu ubique gentium regnante, eo processit versificatoriæ artis gratiæ, quod quidam catholicorum non timuerunt majestatem quoque evangelicæ paginæ in spondeum dactylumque transmitters. Sic igitur et ego horum quos æmulo Dei æmulatione,

---

<sup>1</sup> edicitur, et libentius auditur et | <sup>2</sup> vel legerit, B.  
avidius legitur, B.

stylum imitatus, etsi non valui quantam illi vel in hoc vel in aliis exercitiis scientiam assequi, sequi tamen et volui et valui, et secutus sum. Nam quia inter contemporaneos meos fama bene versificandi mihi licet immerito circumvolabat, et vitia proditore vix aliquis aut nullus viva voce nedum litterali reprehendebat, concaluit cor meum intra me. Cumque in meditatione mea non paucos dies et noctes exardesceret ignis zeli, tandem accinxi me, et locutus sum in lingua mea, quod animo conceptum diu celaveram apud me. Quippe ego sæpe ab sponso audieram, sed non exaudieram, "Sonet vox tua in auribus meis." Et mihi iterum a dilecto clamabatur, "Aperi mihi, soror mea." Quid igitur? Surrexi ut aperirem dilecto meo. Et dixi: "Domine, ut cor meum cogitet, ut stylus scribat, ut os meum annunciet laudem tuam, infunde et cordi et stylo et ori meo gratiam tuam." Et dixit mihi; "Aperi os tuum, et ego adimplebo illud." Aperui igitur os meum, quod implevit Dominus spiritu sapientiæ et intellectus, ut per illam vera per istum perspicua dicerem. Non ego arroganter, sed omnino humiliter, et ob id audenter affirmaverim, quia nisi spiritus sapientiæ et intellectus mihi affuisset et affluxisset, tam difficili metro tam longum opus contexere non sustinuissem. Id enim genus metri, tum dactylum continuum exceptis finalibus, tum etiam sonoritatem leonicam servans, ob sui difficultatem jam pene ne dicam penitus obsolevit. Denique Hildebertus de Lavardino, qui ob scientiæ prærogativam prius in episcopum post in metropolitanum promotus est, et Wichardus Lugdunensis canonicus, versificatores præstantissimi, quam pauca in hoc contulerint palam est. Quorum Hildebertus, dum illam beatam peccatricem, Mariam loquor Ægyptiacam, hexametris commendaret, hoc metro quatuor tantum coloravit versus, Wichardus vero plus minus triginta in sua illa contra quosdam satyra. Quorsum hæc? Ut illud scilicet

intelligatur, quod non nisi Deo cooperante et sermone confirmante tres libellos eo scripsi metro quo illi paucos, immo paucissimos, versus. Et hæc pace illorum dicta sint. Jam vero vestri examinis censuræ, pater doctissime, meditata nostra exhibeo, et obedientiam vobis velut in aurem auream unam offero. Ante hos enim dies cum essetis Nogenti, et aliqua opusculorum nostrorum acceptione vestra dignatus fuissetis, hoc etiam quod de hoc mentionem induxeram vobis oblatum iri præcepistis. Quod quia tunc non potui, non enim ad manum habebam, nunc tribus libellis discerptum vobis exhibeo, et hic correctionem vestram si necesse fuerit peto. Nec ab re est succincte prælibare, quam cui libro materiam indiderim. In primo namque de contemptu mundi disputatum est. In duobus subjectis tam materiei quam intentionis una facies respondet, quia et materia est mihi vitiorum repræhensio, et a vitiis revocare intentio, quæ scribere quid utilitatis pariat, quid honesti, neminem latet. Quid multa? Opus nostrum quaecumque vobis, pater, assignatum scripsi, scriptum Deo fautore vel mittam absens vel offeram præsens. Accipiat ergo gratanter gratiosus pater scriptum filii, magister discipuli, dominus servi. Teste enim conscientia mea fidenter audeo dicere, et dico quia sum vobis filius non adulterinus, sum vobis discipulus non alienus, sum vobis servus non servilis. Quid vos mihi, immo quid ego vobis? Plane vos eritis mihi in patrem, et ego ero vobis in filium. De cætero Deus pacis et dilectionis vos et vestros in pace in id ipsum conservet, pater venerande. Amen.

### LIBER PRIMUS.

Hora novissima, tempora pessima sunt, vigilemus.  
Ecce minaciter imminet arbiter ille supremus;  
Imminet, imminet, ut mala terminet, æqua coronet;  
Recta remuneret, anxia liberet, æthera donet;

Auferet aspera duraque pondera mentis onustæ ;  
 Sobria muniat, improba puniat, utraque juste.  
 Ille piissimus,<sup>1</sup> ille gravissimus ecce venit rex ;  
 Surgat homo reus, instar homo Deus, a Patre iudex.  
 Surgite, currite simplice tramite, quique<sup>1</sup> potestis :  
 Rex venit ocius, ipseque conscius, ipseque testis.  
 Dum licet impia, dum vacat omnia fluxa laventur ;  
 Detur egentibus, alta petentibus ima parentur.  
 Imminet arbiter, ille fideliter expositurus  
 Quæ<sup>2</sup> dabit aut dedit, ad bona lux<sup>3</sup> redit, ad mala  
 durus.

Qui modo spernitur, ille videbitur imperiosus,  
 Intolerabilis, irrevocabilis, ac animosus.  
 Agmina sobria, dextra nefaria, dextra tenebit ;<sup>4</sup>  
 Hinc reprobabilis ordo, probabilis inde manebit.  
 Hinc chorus impius, indeque sobrius<sup>5</sup> audiet, " Ite,  
 " Ite manus rea, grex meus in mea regna venite."  
 Ibit in æthera concio dextera, præduce Christo ;  
 Perdita crimine planget in ordine turba sinistro.<sup>6</sup>  
 Crimine perdita, crimine debita turba Gehennæ,  
 Stat modo, tunc ruet, hic stat, ibi luet acta perenne.  
 Tunc sacra contio, sacra novatio,<sup>7</sup> percipietis,  
 Perpetualia credite gaudia, qui modo fletis.  
 Grex renovabitur, et removebitur a grege latro,  
 A veteri novus, a reprobo probus, albus ab atro,  
 Hostis ab ausibus,<sup>8</sup> agnus ab hostibus, hœdus ab agnis.  
 Pauperioribus astra petentibus, ima tyrannis,  
 Cedet, ad æthera, qui flet, ad infera, qui male gaudet ;  
 Carnea gaudia mens luet ebria, sobria plaudet.

<sup>1</sup> *quotque*, P. *i. quicumque*. Gloss  
 in A. and B.

<sup>2</sup> *Qua*, P.

<sup>3</sup> *dux*, P.

<sup>4</sup> *lava tenebit*, P.

<sup>5</sup> *et neque sobrius*, P.

<sup>6</sup> Instead of this line, P. has :—  
*Ibit in horrida gens loca torrida sul-*  
*phure misto.*

<sup>7</sup> *creatio* is written over this word  
 in A., and B. has *creatio* in the text,  
 with *novatio* written over it. *creatio*  
 given in the text in P.

<sup>8</sup> *ab ensibus*, P.

Denique montibus altior omnibus ultimus ignis  
 Surget, inertibus ima tenentibus, astra benignis ;  
 Flammaque libera surget in aera, surget ad astra,  
 Diruet atria, regna, suburbia, mœnia, castra.  
 Excoquet omnia sorde fluentia nunc elementa ;  
 Reddet et omnia luce nitentia, jam lue dempta.  
 Mundus habebitur, atque novabitur, ipse, sed alter ;  
 Alter imagine, non et origine, non ibi pauper ;  
 Non ibi debilis, aut homo flebilis, aut furor, aut lis ;  
 Aut cibus, aut cocus, aut Venus, aut jocus, aut tumor,  
 aut vis.

Terra movebitur,<sup>1</sup> et reparabitur orbis imago,  
 Quam modo polluit, obtinet, obruit una vorago.  
 Terra patrum gerit ossa, dehinc erit ut Paradisus,  
 Amplius ut solet incola non colet hanc, bove nisus.  
 Non erit amplius aeris istius ista figura,  
 Sed nive, nubibus, igne, tonitribus, imbreque pura.  
 Solis et orbita, lunaque concita, tunc sita stabunt ;  
 Astra, polus, mare, circuitum<sup>2</sup> dare non properabunt.  
 Omnia sidera cœlica dextera clarificabit,  
 Sideribus dupla lux, tibi septula sol radiabit,  
 Gens pia flens modo, tunc ita quomodo sol renitebunt,<sup>3</sup>  
 Doctaque pectora, pulcraque corpora prorsus habebunt ;<sup>4</sup>  
 Pulcra, citissima, fortia, libera, deliciosa,  
 Sana, vigentia, jamque carentia morte perosa.  
 Esset ibi decor Absalon indecor,<sup>5</sup> et coma, necnon  
 Pes piger Asael, et manus Israel, arida Sampson.  
 Nullaque Cæsaris inscia comparis illa facultas,  
 Et Salomoniam nulla potentia, nulla voluptas.  
 Non Moyses ibi sana daret sibi lumina, dentes ;  
 Mathusalam breve viveret ; hæc bene quærite mentes,  
 Quærite, quærite, quærerere surgite gaudia pura,  
 Gaudia stantia, non pereuntia, nec peritura.

<sup>1</sup> *vel novabitur*, A. in the margin.

<sup>2</sup> *circuitus*, P.

<sup>3</sup> *renitebit*, P.

<sup>4</sup> *habebit*, P.

<sup>5</sup> *Absalon indecor esset ibi decor*,  
 B. P.

Nonne patentia fert latro gaudia de cruce flenda,  
 Raptus ad afflua regna, vel ardua sceptrata regenda?  
 Sunt sua tristia nullave gaudia juncta supernis;  
 Confer eis ea, nil fore terrea gaudia<sup>1</sup> cernis.  
 Illa videbimus, illa tenebimus, illa sciemus  
 Gaudia cœlica, qui modo lubrica gaudia<sup>2</sup> flemus.  
 Omnibus omnia clausa, patentia, perficientur;<sup>3</sup>  
 Membraque singula quomodo lumina constituentur.  
 Lumina sobria, clausa per omnia sicut aperta,  
 Aspicient, ibi quippe Deus sibi<sup>4</sup> visio certa.  
 Ora videbimus,<sup>5</sup> et penetrabimus abdita nostra,  
 Nilque verebere probra patescere, flendo repostata.  
 Ille sciet tua crimina, tu sua, nilque pudebit;  
 Gratia gratior, hinc<sup>6</sup> manus altior illa patebit.  
 Quo magis effera sunt tua vulnera sine querela,  
 Tanto probatior et manifestior illa medela.  
 Clausa vel omnia tunc tibi pervia, nil erit obstans;  
 Scis bona fingere? plura lucrabere, vox mea constans.  
 Orbeque fortior ibis, et ocior alite visu,  
 Fortis habebere secula vertere, vel sine nisu.  
 Par superis eris, actibus hos geris, arte sequeris,  
 Et patris illius O sonus hic pius ore frueris.  
 Stans super æthera sub nigra tartara tuto videbis,  
 Mœsta, molestaque,<sup>7</sup> flenda, timendaque, nulla timebis.  
 Turba nefaria, perdita gaudia nunc procul ante,  
 Judicium videt, hinc flet et invidet impia sanctæ.  
 Flet, quia plurima stat sibi lacrima, gaudia sanctis;  
 Flet, quia decidit illaque perdidit ora tonantis.  
 Ut reprobam proba, sic modo reproba turba beatam  
 Mutuo conspicit, illaque despicit hanc sibi stratam.  
 Pulcrior est olor ex merula, color albus ab atro,  
 Ex gemitu tonus, ex pice nix, bonus ex reprobato.

<sup>1</sup> *gaudia terrea*, P.

<sup>2</sup> *lubrica singula*, P.

<sup>3</sup> *perspicientur*, P.

<sup>4</sup> *decus sibi*, B.

<sup>5</sup> *Vestra videbimus*, P.

<sup>6</sup> *huic*, P.

<sup>7</sup> *modestaque*, B.

Nec bona filia matre fit anxia, nec patre natus,  
 Illa stat, hæc ruit, hic bona fert, luit ille reatus.  
 Ut placetæ quore nunc tibi cernere ludere pisces,  
 Sic apud infera nec tua viscera visa gemisces.  
 Curre, vir optime, lubrica reprime, præfer honesta,  
 Fletibus angere, flendo merebere cœlica festa.  
 Luce replebere jam sine vespere, jam sine luna ;  
 Lux nova, lux ea, lux erit aurea, lux erit una.  
 Cum sapientia, sive potentia, patria tradet  
 Regna patri sua, tunc ad eum tua semita vadet.  
 Tunc nova gloria pectora sobria clarificabit ;  
 Solvet ænigmata, veraque sabbata continuabit.  
 Liber et hostibus<sup>1</sup> et dominantibus ibit Hebræus ;  
 Liber habebitur, et celebrabitur hinc jubilæus.  
 Patria luminis inscia turbinis, inscia litis,  
 Cive replebitur, amplificabitur Israelitis.  
 Patria splendida, terraque florida, libera spinis,  
 Danda fidelibus est ibi civibus, hic peregrinis.  
 Tunc erit omnibus inspicientibus ora tonantis  
 Summa potentia, plena scientia, pax rata<sup>2</sup> sanctis.  
 Pax erit omnibus illa fidelibus, illa beata ;  
 Irresolubilis,<sup>3</sup> invariabilis, intemerata ;  
 Pax sine crimine, pax sine turbine, pax sine rixa,  
 Meta laboribus atque tumultibus, anchora fixa.  
 Pax erit omnibus unica, sed quibus? immaculatis,  
 Pectore mitibus, ordine stantibus, ore sacratis.  
 Pax ea pax rata, pax superis data, danda modestis ;  
 Plenaque vocibus atque canoribus atria festis.  
 Hortus odoribus affluet omnibus hic Paradisus ;  
 Plenaque gratia, plenaque gaudia, cantica, risus.  
 Plena redemptio, plena refectio, gloria plena,  
 Vi, lue,<sup>4</sup> luctibus aufugientibus, exule pœna.  
 Nil ibi debile, nil ibi flebile, nil ibi scissum ;  
 Res ibi publica, pax erit unica, pax in id ipsum.

<sup>1</sup> *ab hostibus*, P.<sup>2</sup> *pax pia*, P.<sup>3</sup> *Irrevocabilis*, P.<sup>4</sup> *et lue*, P.

Hic furor, hic mala schismata, scandala, pax sine pace ;  
 Pax sine litibus, et sine luctibus, in Syon arce.  
 O sacra potio, sacra refectio, visio pacis,  
 Mentis et unctio, non recreatio<sup>1</sup> ventris edacis.  
 Hac homo nititur, ambulat, utitur, ergo fruetur.  
 Pax rata, pax ea spe modo, postea re capietur.  
 Jesus erit pius, et decor illius esca beatis,  
 Pascua mentibus, hunc sitientibus, ac satiatis.<sup>2</sup>  
 Et sitiens eris, et satiaberis, hac dape vitæ,  
 In neutro labor, una quies, amor unus utrinque ;  
 Civibus ætheris associaberis advena, civis ;  
 Hic tuba, pax ibi, vita manens tibi, qui bene vivis.  
 Hæc erit<sup>3</sup> omnibus una fidelibus ultima cœna ;  
 Tunc cumulabitur atque replebitur illa sagena.  
 Denique piscibus integra pluribus, integra magnis,  
 Glorificabitur, hinc removebitur anguis ab agnis.  
 Scissa ruentibus, integra stantibus integritate,  
 Inde cremabitur, hinc solidabitur, O Deus, a te.  
 Gens nova, grex novus, et numerus bonus ille bono-  
 rum,  
 Jerusalem petet, hic dat, ibi metet ordo piorum.  
 Grex erit inclitus, hoc patre præditus, hoc duce  
 nixus,  
 Qui tulit omnia sanguine noxia, rex crucifixus.  
 Grex sacer ordine, splendidus agmine, lumine plenus,  
 Vivet eo duce qui tulit in cruce, rex Nazarenus.  
 Pastus odoribus interioribus atque superno  
 Nectare, dulcia pertrahet otia perpete verno.  
 Per sacra lilia, perque virentia germina florum,  
 Exspatiabitur ac modulabitur ordo piorum,  
 Pectora plausibus atque canoribus ora parabit,  
 Dum sua<sup>4</sup> crimina lapsaque pristina stans memorabit.  
 Quo fuit amplior error, iniquior actio mentis,

<sup>1</sup> *grataque punctio*, P.

<sup>2</sup> *hunc sitientibus, hunc satiatis*, B.  
*hac satiatis*, A. *hanc sitientibus ac*  
*satiatis*, P.

<sup>3</sup> *Hic erit*, P.

<sup>4</sup> *Cum sua*, P.



Laus erit amplior, hymnus et altior, hunc<sup>1</sup> abolentis.  
 Unica cantio tunc, miseratio plena tonantis ;  
 Laus erit unica, pro stipe cœlica præmia dantis.  
 Pro stipe præmia, pro cruce gaudia, pro nece vita,  
 Illa tenebitur unde replebitur Israelita.  
 Hic breve vivitur, hic breve plangitur, hic breve  
 fletur ;  
 Non breve vivere, non breve plangere,<sup>2</sup> retribuetur.  
 O retributio, stat brevis actio, vita perennis ;  
 O retributio, cœlica mansio, stat lue plenis.<sup>3</sup>  
 Quid datur ? et quibus ? æther egentibus et cruce  
 dignis,  
 Sidera vermibus, optima sontibus, astra malignis.  
 Cœlica gratia luminis<sup>4</sup> omnia non modo donat,  
 Sed super æthera suscipe viscera<sup>5</sup> tanta coronat.  
 Omnibus unica gratia cœlica<sup>6</sup> retribuetur,  
 Omnibus, omnibus ulcera flentibus accipietur.  
 Tunc rosa sanguine, lilia virgine mente micabunt,  
 Gaudia maxima, te pia lacrima, te recreabunt.  
 Nunc tibi tristia, tunc tibi gaudia, gaudia quanta  
 Vox nequit edere, lumina cernere, tangere planta.  
 Post nigra, post mala, post fera scandala, quæ caro  
 præstat,  
 Absque nigredine lux, sine turbine pax tibi restat.  
 Sunt modo prælia, postmodo præmia, qualia ? plena ;  
 Plena refectio, nullaque passio, nullaque pœna.  
 Spe modo vivitur, et Syon angitur a Babylone ;  
 Nunc tribulatio, tunc recreatio, sceptræ, coronæ.  
 Ergo Rachel Lia, tunc patriæ via, Martha Mariæ ;  
 Ira Saul David, Assyrii Judith, Achab Eliæ  
 Cedet, et omnia mitibus obvia, spes speciei,  
 Semina fructibus, et sonus actibus, umbra diei.  
 Qui modo creditur, ipse videbitur atque scietur ;

<sup>1</sup> *hanc*, P.<sup>2</sup> *plaudere*, P.<sup>3</sup> *stat sine pennis*, P.<sup>4</sup> *criminis*, P.<sup>5</sup> *fulgida viscera*, P.<sup>6</sup> *cœlica gratia*, B. P.

Ipse videntibus atque scientibus attribuetur.  
 Plena refectio, tunc pia visio, visio Jesu ;  
 Hunc<sup>1</sup> speculabitur, hoc satiabitur<sup>2</sup> Israel esu.  
 Hoc satiabitur, hinc<sup>3</sup> sociabitur, in Syon arce.  
 O bone rex, ibi nullus eget tibi dicere, "Parce."  
 Cor miserabile, tempus inutile non erit ultra ;  
 Nulla cadavera, nullaque funera, nulla sepulera.  
 Quodque beatius est, mala longius omnia fient ;  
 Ob tua crimina jam tua lumina non madefient.  
 Flendaque gaudia, blandaque prœlia carnis abibunt ;  
 Fraus, probra, jurgia, quid moror ? omnia prava peribunt.  
 Nulla gravamina, jam cruciamina nulla timebis ;  
 Nulla nefaria, nulla nocentia, nil grave flebis.  
 Qua cruce se terit, hæc caro flos erit, hæcque favilla ;  
 Non erit amplius unde sit anxius ille vel illa.  
 Nec stipe pascere, nec prece flectere quem ? quis egebit ?  
 Nec lue perditus, aut nece territus aut cruce flebit.  
 Flendo merebere gaudia sumere, sumere vitam,  
 Nec stipe, nec prece, nec lue, nec nece, nec cruce tritam.  
 Coelica copia, coelica gratia cum patefiet ;<sup>4</sup>  
 Lux nova mentibus, et Deus omnibus omnia fiet.  
 Gens bene invida,<sup>5</sup> vitæque florida, fons David undans ;<sup>6</sup>  
 Lux erit aurea, terraque lactea melle<sup>7</sup> redundans.  
 Lux ea vespere, gens lue, funere vita carebit ;  
 Jesus habebitur, ipse tenebitur, ipse tenebit.  
 Lux erit illius, illius unius esca benignis ;  
 Absque cibo cibus, his proprie quibus est cor ut ignis.  
 Hunc speculabimur, et satiabimur<sup>8</sup> hunc speculando ;  
 Cum chorus infimus astra replebimus agmine sancto.

<sup>1</sup> *Hoc*, P.<sup>2</sup> *hic satiabitur*, P.<sup>3</sup> *hic*, P.<sup>4</sup> *cœlica gloria cum patre fiet*, P.<sup>5</sup> *Mens bene vivida*, P.<sup>6</sup> *fons dedit undas*, P.<sup>7</sup> *mella*, P.<sup>8</sup> *saturabimur*, P.

Spe modo nitimur, ubere pascimur hic, ibi pane ;  
 Nox mala plurima dat, dabit intima gaudia mane.  
 Gaudia passio, regna redemptio, crux sacra portum ;  
 Lacrima plaudere ; poena quiescere, terminus ortum.  
 Jesus amantibus afferet omnibus alta trophæa ;  
 Jesus amabitur, atque videbitur in Galilæa.  
 Mane videbitur, umbra fugabitur, ordo patebit ;  
 Mane nitens erit, et bona qui gerit, ille nitebit ;  
 Tunc pia sentiet auris, et audiet, " Ecce tuus rex."  
 Ecce Deus tuus, ecce decor tuus<sup>1</sup> hic stat, abit lex.  
 Pars mea, rex meus, in proprio Deus ipse decore<sup>2</sup>  
 Visus amabitur, atque videbitur auctor in ore.  
 Tunc Jacob Israel, et Lya tunc Rachel efficietur ;  
 Tunc Syon atria, pulcraque patria perficietur.  
 O bona patria, lumina sobria te speculantur ;  
 Ad tua nomina sobria lumina collacrimantur.  
 Est tua mentio pectoris unctio, cura doloris ;  
 Concipientibus æthera mentibus, ignis amoris.  
 Tu locus unicus illeque cœlicus es Paradisus ;  
 Non tibi lacrima, sed placidissima gaudia, risus.  
 Est ibi consita laurus, et incita cedrus hysopo ;  
 Sunt radiantia jaspide mœnia, clara pyropo.  
 Hinc tibi sardius, inde topazius, hinc amethystus.  
 Est tua fabrica contio cœlica, gemmaque Christus.  
 Lux tua, mors crucis, atque caro ducis est crucifixi ;  
 Laus, benedictio, conjubilatio personat ipsi.  
 Dos tibi florida, gemmaque lucida, rex Nazarenus ;  
 Jesus, homo, Deus, annulus aureus, hortus amœnus.  
 Janua, janitor, ipseque portitor, ipseque portus ;  
 Ipse salutifer est tibi Lucifer, arca,<sup>3</sup> vir, hortus.  
 Tu sine littore, tu sine tempore, fons, modo rivus ;  
 Dulce bonis sapis, estque tibi lapis undique vivus.  
 Ipse tuus Deus est lapis aureus, est tibi murus,  
 Inviolabilis, insuperabilis, haud ruiturus.

<sup>1</sup> *decor suus*, P.<sup>2</sup> *decoro*, P.<sup>3</sup> *arrha*, P.

Est tibi laurea, dos datur aurea, sponsa decora,  
 Primaque principis oscula suscipis, inspicis ora.  
 Candida lilia, viva monilia sunt tibi sponsa ;  
 Agnus adest tibi sponsus, ades sibi tu speciosa.  
 Pax, tua præmia, conditor, atria, crux sacra portæ ;  
 Ars tua, plaudere ; munera, vivere jam sine morte.  
 Tota negotia, cantica dulcia dulce sonare ;<sup>1</sup>  
 Tam mala debita quam bona præbita conjubilare.  
 Sors tua, gaudia fine carentia, nil dare triste ;<sup>2</sup>  
 Lex tua, psallere, "gloria," dicere, "sit tibi,<sup>3</sup> Christe."  
 Urbs Syon, urbs bona, patria consona, patria lucis ;  
 Ad tua gaudia corda soles pia ducere, ducis.  
 Jerusalem pia, patria non via, pulcra platea ;  
 Ad tua munera fit via dextera Pythagoræa.  
 Urbs Syon aurea, patria lactea, cive decora,  
 Omne cor obruis, omnibus obstruis, et cor et ora.  
 Nescio, nescio, quæ<sup>4</sup> jubilatio, lux tibi qualis,  
 Quam socialia gaudia, gloria quam specialis.  
 Laude studens ea tollere, mens mea victa fatiscit.  
 O bona gloria, vincor, in omnia laus tua vicit.  
 Sunt Syon atria conjubilantia, martyre plena ;  
 Cive micantia, principe stantia, luce serena.  
 Sunt ibi pascua mentibus<sup>5</sup> afflua, præstita sanctis ;  
 Regis ibi thronus,<sup>6</sup> agminis et sonus est epulantis.  
 Gens duce splendida, contio candida vestibus albis ;  
 Sunt sine fletibus in Syon ædibus, ædibus almis.  
 Sunt sine crimine, sunt sine turbine, sunt sine lite  
 In Syon arcibus æditioribus Israelitæ.  
 Pax ibi florida, pascua virida,<sup>7</sup> viva medulla ;  
 Nulla molestia, nulla tragædia, lacrima nulla.  
 O sacra potio, sacra refectio, pax animarum ;  
 O pius, O bonus,<sup>8</sup> O placidus sonus, hymnus earum.

<sup>1</sup> tonare, P.<sup>2</sup> tristes, P.<sup>3</sup> laus tibi, P.<sup>4</sup> quam, P.<sup>5</sup> mitibus, P.<sup>6</sup> tonus, P.<sup>7</sup> pascua vivida, B.<sup>8</sup> O bonus, O pius, P.

Sufficiens cibus est Deus omnibus ipse redemptis ;  
 Plena refectio, propria visio cunctipotentis.  
 Ejus habent satis, his tamen est sitis ejus anhela,  
 Absque caloribus,<sup>1</sup> absque laboribus, atque<sup>2</sup> querela.  
 Huic majus, huic minus, ille potens sinus<sup>3</sup> est Deitatis ;  
 Plurima mansio stat, retributio plurima patris.  
 Luna minoribus ante sit<sup>4</sup> ignibus et sibi Phœbus ;  
 Præest ea noctibus, hique<sup>5</sup> fretantibus, ille diebus.  
 Cernis in æthere plus reviviscere<sup>6</sup> sidere sidus ;  
 Sic mediocria summaque præmia credito fidus.  
 Urbs Syon inelyta, gloria debita glorificandis ;  
 Tu bona visibus interioribus, intima pandis.  
 Intima lumina, mentis acumina te speculantur ;  
 Pectora flammea spe modo, postea sorte lucrantur.  
 Urbs Syon unica, mansio mystica condita cœlo ;  
 Nunc tibi gaudeo, nunc mihi<sup>7</sup> lugeo, tristor, anhelo.  
 Te quia corpore non queo, pectore sæpe penetro ;  
 Sed caro terrea, terraque carnea, nunc cado retro.<sup>8</sup>  
 Nemo retexere nemoque promere sustinet ore,  
 Quo tua mcenia, quo capitolia plena nitore.  
 Id queo dicere, quomodo<sup>9</sup> tangere pollice cœlum,  
 Ut mare currere, sicut in aere figere telum.  
 Opprimit omne cor ille tuus decor, O Syon, O pax ;  
 Urbs sine tempore, nulla potest fore laus tibi mendax.  
 O nova mansio, te pia contio, gens pia munit,  
 Provehit, excitat, auget, idemnitat,<sup>10</sup> efficit, unit.  
 Te Deus excolit,<sup>11</sup> angelus incolit, incolit ordo ;  
 Cui cibus additur, et sonus editur a decachordo.  
 Florida vatibus, aurea patribus es duodenis ;  
 Clara fidelibus, esurientibus hic, ibi plenis.  
 Sunt ibi lilia pura cubilia virginitatis ;  
 Est rosa sanguine, purpura lumine sobrietatis.  
 Teque patrum chorus ornat, habet torus immaculatus,

<sup>1</sup> *Absque coloribus*, B.<sup>2</sup> *absque*, B. P.<sup>3</sup> *patens sinus*, P.<sup>4</sup> *fit*, P.<sup>5</sup> *hûsque*, B. *atque*, P.<sup>6</sup> *renitescere*, P.<sup>7</sup> *nunc tibi*, B.<sup>8</sup> *stat? cado retro*, B.<sup>9</sup> *que modo*, B.<sup>10</sup> *identitat*, P.<sup>11</sup> *expolit*, P.

Sanctaque victima, sanctaque<sup>1</sup> lacrima poena reatus.  
 Rex ibi præsidet et tua possidet atria magnus ;  
 Qui Patris unicus est leo mysticus, et tamen<sup>2</sup> agnus.  
 Rex ibi, Filius unicus illius ille Mariæ ;  
 Stirps sacra virginis, auctor originis, osque sophiæ.  
 Hic sapientia linguaque patria, patria dextra ;  
 Continet arbiter omnia, sub, super, intus, et extra.  
 Astra regit Deus, astra cinis meus audet in illo,  
 Qui quasi propria continet omnia facta pugillo.  
 Cum Patre Filius, atque Paracletus æquus utrique,  
 Omnia continet, omnibus eminent, omnis ubique.  
 Hunc bene quærimus, ergo videbimus, immo videmus ;  
 Hunc speculabimur, hunc<sup>3</sup> satiabimur, hunc sitiemus.  
 Cernere jugiter atque perenniter ora tonantis,  
 Dat lucra jugia, perpetualia dat lucra sanctis.  
 O sine luxibus, O sine luctibus, O sine lite,  
 Splendida curia, florida patria, patria vitæ.  
 Urbs Syon inclita, patria condita littore tuto,  
 Te peto, te colo, te flagro, te volo, canto, saluto.  
 Nec meritis peto, nam meritis<sup>4</sup> meto morte perire ;  
 Non<sup>5</sup> reticens rego, sum meritis<sup>6</sup> ego filius iræ.  
 Vita quidem mea, vita nimis rea, mortua vita ;  
 Quippe reatibus exitialibus obruta, trita.  
 Spe tamen ambulo, premia postulo speque fideque ;  
 Illa perennia postulo præmia nocte dieque.  
 Me Pater optimus atque piissimus ille creavit,  
 In lue pertulit, ex lue sustulit, a lue lavit.  
 Spes modo<sup>7</sup> plurima, spes validissima stat, stet in ipso,  
 Qui sua lumina post sua<sup>8</sup> crimina præbet abyssu.  
 Dum sua<sup>9</sup> suppleo roboram, gaudeo ; dum mea, ploro ;  
 Tum sibi<sup>10</sup> gaudeo, tum mihi defleo, flere laboro.  
 Dum sua cogito viscera, sed cito<sup>11</sup> gaudia cordis ;

<sup>1</sup> *Sacraque victima, sacraque, P.*

<sup>2</sup> *sed tamen, B.*

<sup>3</sup> *haud, P.*

<sup>4</sup> *jam meritis, B.*

<sup>5</sup> *Nec reticens, P.*

<sup>6</sup> *quod meritis, P.*

<sup>7</sup> *Spes mihi, P.*

<sup>8</sup> *post tua, P.*

<sup>9</sup> *Cum sua, P.*

<sup>10</sup> *Cum sibi, P.*

<sup>11</sup> *sentio, P.*

Dum mea sordida, mens jacet algida, conscia sordis.  
 Magna potentia, maxima gratia laxet iniquo;  
 Magna piacula, maxima vincula dæmone victo.  
 Gratia cœlica sustinet unica totius orbis  
 Parcere sordibus interioribus, unctio morbis.  
 Diluit omnia cœlica gratia, fons David undans  
 Omnia diluit, omnibus affluit omnia mundans.  
 O pia gratia, celsa palatia cernere præsta;  
 Ut videam bona, factaque consona cœlica festa.  
 Non animo coquar, aut sequar, aut loquar omne pro-  
 fanum;  
 Jungar habentibus æthera civibus, et sequar Agnum.  
 Sim<sup>1</sup> lue pectoris intro carens, foris hoste, labore,  
 Frigore, grandine, carne, libidine, morte, timore.  
 O sine crimine, vel sine turbine, patria cœli,  
 Te reus<sup>2</sup> ardeo, plus loquar, audeo mente fideli.  
 Omnia spes mea tu,<sup>3</sup> Syon, aurea, clarior auro;  
 Agmine splendida, stans duce florida perpete lauro.  
 O bona patria, num tua præmia plena tenebo?  
 O bona patria, num tua gaudia teque videbo?<sup>4</sup>  
 Dic mihi flagito, verbaque reddito, dicque videbis;  
 Spem solidam gero, rem retinens ero,<sup>5</sup> dic, retinebis.  
 Plaude, cinis meus, est tua pars Deus, ejus es, et sis;  
 Rex tuus est tua portio, tu sua, ne sibi desis.  
 Mens mea mens rea, non tibi pars ea jam rapietur;  
 Est tibi lacrima, pars erit optima, posce, feretur.  
 Optima portio, plena refectio, pax rata mentis,  
 Visio Numinis, oraque luminis omnipotentis.  
 Hinc sitis intima sanctaque lacrima spirat, anhelat;  
 Flendo fit hostia, flet sua noxia, flendoque velat.  
 Membra gravans gravat, acta, cor, os lavat, et levat  
 æque;<sup>6</sup>

<sup>1</sup> *Sum lue*, B.

<sup>2</sup> *Terreus*, P.

<sup>3</sup> *O mea spes, mea*, P.

<sup>4</sup> *Num tua præmia plena tenebo*,

B. This and the preceding line  
are transposed in P.

<sup>5</sup> *remme tenens ero?*, P.

<sup>6</sup> *lavat omnibus æque*, P.

Despicit extima, pulsat ad intima nocte dieque.  
 Se flet et improbat, angit, agit, probat, est sibi fornax ;  
 Flendo cor excitat, atque reclamitat, O Syon ! O pax !  
 Est lacrimantibus, esurientibus, examinatis,  
 Pneuma, refectio, vivificatio, visio Patris.  
 O sacer, O pius, O ter et amplius ille beatus,  
 Cui sua pars Deus ; O miser, O reus, hac viduatus.  
 Omnis et unica gloria cœlica, conditor unus,  
 Muneris est dator, ipse poli sator, ipseque munus.  
 Cor fovet illius, illius unius ora videre,  
 Agmina cernere, præmia sumere, lumen habere.  
 Gens pia vocibus, impia gressibus, invida morum,  
 Cur male vivitis, et bona perditis illa bonorum ?  
 Gens adamantina, saxea germina, germina dura ;  
 Quid bona spernitis, atque requiritis interitura ?  
 Gens male provida, turbaque turbida,<sup>1</sup> turbine mortis ;  
 Gens foris actibus, introque cordibus orba retortis.  
 Quid retroceditis, illaque spernitis intima dona ?  
 Manna relinquitis, atque recurritis ad Pharaona ?  
 Cur ea quæritis unde peribitis, unde ruetis ?  
 Cur pereuntia fine, ruentia morte tenetis ?  
 Turba theatrica, turba phrenetica, quo properatis ?  
 Quo rea corpora, quo rea pectora<sup>2</sup> præcipitatis ?  
 Quid rogo spernitis ante,<sup>3</sup> requiritis ire retrorsum ?  
 Perdita gens satis, ad scelus os datis, ad bona dorsum  
 Fluxa manentibus, obruta stantibus, ultima primis ;  
 Cur, homo, præficis ? altaque despicias omnis in imis ?  
 Surge, revertere, tende resurgere, tende reverti ;  
 Pande reum reus, ultor adest Deus, ultor operti.  
 Detege vulnera, detege funera quatríduana ;<sup>4</sup>  
 Vulnera detege, flendoque contege, percute sana.  
 Gens Babylonia, surgite, noxia gaudia flere ;  
 Flendo<sup>5</sup> repellere, pulsaque tergere, tersa cavere.

<sup>1</sup> *turgida*, P.

<sup>2</sup> *Quo rea pectora, quo rea corpora*, P.

<sup>3</sup> *atque*, P.

<sup>4</sup> *quatríduana*, A.

<sup>5</sup> *Flenda*, P.



Hora novissima, lux venit ultima, crimina torrens;  
 Grata sed effera, blanda sed aspera, clara sed horrens.  
 Imminet ultio, mors, tribulatio, qualis? amara;  
 Luxque jacentibus, evigilantibus horrida, clara.  
 Qui modo sustinet, arbiter imminet ille, sed ille  
 Versibus editur atque retextitur ore Sibyllæ.<sup>1</sup>  
 O tremor omnibus igne ruentibus, his quoque cœlis;  
 Rex venit ocius, hunc tremet impius atque fidelis.  
 Hoc duce præmia, iudice gloria percipietur;  
 Hoc quoque iudice,<sup>2</sup> fraus ruet, indice, culpa sciatur.  
 Mitis atrocior, agnus acerbior, alter, at idem,  
 Ipse videbitur et famulabitur æther eidem.  
 Ætheris agmina summaque culmina concutientur.  
 Æther, humus, mare tunc sonitum dare conspiciuntur.  
 Celsa cacumina sunt simul agmina celsa ruenda,<sup>3</sup>  
 Summa vel infera, sol, mare, sidera, concutienda.  
 Qui modo conticet, ut bene iudicet, ille tonabit,  
 In mala rugiet, in mala sæviet, in mala stabit.  
 Blandus amantibus, efferus hostibus aspicietur;  
 Hinc revocabilis, intolerabilis inde feretur.  
 Unius ipsius, his gravis, his pius, O stupor ingens;  
 Vultus habebitur, his miserebitur, illa refringens.  
 Longanimis, bonus, ille ferens onus hic reproborum,  
 Tunc mala puniet, ipseque muniet acta bonorum.  
 Hunc meritum teret, hunc pietas feret unica patris;  
 Non<sup>4</sup> sibi debita, sed sibi præbita gratia gratis.  
 Cum via sordeat, actio langueat una duorum;  
 Hic reprobabitur, ille merebitur alta polorum.  
 Cum via lubrica, cum sit et unica causa duobus;  
 Alter amabitur, alter habebitur hostis et orbis.  
 Plurima pluribus immo vel omnibus hoc fit<sup>5</sup> abyssus,  
 Quod bene sumitur, hic bene pellitur omne remissus.  
 Impenetrabilis, irreserabilis<sup>6</sup> hic Labyrinthus;

<sup>1</sup> ore retextitur ipse Sibyllæ, P.

<sup>2</sup> vindice, P.

<sup>3</sup> movenda, P.

<sup>4</sup> Nec, P.

<sup>5</sup> hic fit, P.

<sup>6</sup> insuperabilis, B.

Nos bona corporis aspicimus foris auctor et intus.  
 Corda Deus pia scit, negat impia, justus utrisque;  
 Quisque tremat sibi, gaudeat et tibi gratia quisque.  
 Quisque scelus fleat, atque tremens eat, et tremebundus,  
 Cras ruit<sup>1</sup> ordine, qui stat in agmine, nunc quasi  
 mundus.

Omnia qui regit, hos premit, hos legit, omnipotens Rex;  
 Est hominis via, nunc mala, cras pia, nunc rosa, cras  
 fæx.

Mox rosa fit rubus, ipseque cras lupus hæret ovili;  
 Os homo, cor Deus inspicit, est reus huic, bonus illi.  
 Facta tremat sua quisque, Deus tua viscera fidat;  
 Fidat et impia foedaque gaudia flendo relidat.  
 Ludite, ludite, corpore sospite, gens Babylonis;  
 Ludite cordibus, ad bona segnibus, ad mala pronis.  
 Lux venit ultima quæ procul omnia vestra fugabit;  
 Vestra palatia, gazophilacia vestra cremabit.  
 Rex veniet pius, et furor ipsius absque furore;  
 O tremor intimus, his rigidissimus, his pius ore.  
 Virga ruentibus ordine mentibus adveniet Rex;  
 Stantibus ordine mitior, et sine iudice iudex.  
 Judicium tulit, esseque pertulit ante Pilatum;  
 Justus id exseret,<sup>2</sup> id tulit, inferet id toleratum.  
 Virgine Rex satus, ipse dator datus, ipse patebit;  
 Curque moras paro? carne satum<sup>3</sup> caro cuncta videbit.  
 Turba nefaria cernet et impia quem crucifixit;  
 Cui bene vocibus improba mentibus<sup>4</sup> heu! maledixit.  
 Fructus in horrea tendet<sup>5</sup> et area discutietur;  
 Sumet in omnia secula gaudia cui modo fletur.  
 Gens ruet impia pars Babylonia, nata perire;  
 Cedet ad æthera pacis, ad infera filius iræ.  
 Tunc cumulabitur atque replebitur illa Gehenna;  
 Agmine criminis atque libidinis agmine plena.

<sup>1</sup> *Cras ruet*, P.

<sup>2</sup> *exeret*, B. P.

<sup>3</sup> *Cur morulas paro carne satus?* P.

<sup>4</sup> *improperantibus*, P.

<sup>5</sup> *tendit*, P.

Huic ibi mitius, huic erit acrius, huic fuga nulla ;  
 Deinde remissio, sive redemptio non erit ulla.  
 Hic<sup>1</sup> mala plangite, sidera<sup>2</sup> quærite, vos genus Evæ ;  
 Hic dolor utilis, ordo parabilis hic, ibi vae ! vae !  
 Fraus ibi vapulat, et tumor<sup>3</sup> ejulat, at sine fructu ;  
 Flet petulantia, luget inertia perpete luctu.  
 Cor variable moeret inutile, plorat amarum ;  
 Fit sine se, sine spe, sine nomine gens tenebrarum.  
 Quos Veneris modo pessima postmodo flamma Gehennæ<sup>4</sup>  
 Torret, agit, terit,<sup>5</sup> his furit, hos ferit<sup>6</sup> ultio pœnæ.  
 Pectora crimine, membra libidine, torrida torret ;<sup>7</sup>  
 Falsiloquos premit,<sup>8</sup> in tumidos fremit, omnibus horret,<sup>9</sup>  
 Innovat et necat, integrat et secat, ut moriantur ;<sup>10</sup>  
 Non morientia corpora, stantia non statuuntur.  
 Frigus ut ardeat, ignis ut algeat, idque precatur ;<sup>11</sup>  
 Hunc fugientibus, hunc repetentibus, id fugiatur.  
 Mors ibi plurima, flamma nigerrima, lux tenebrosa ;  
 Singula tangere non pede paupere, non queo prosa.  
 Ut nequit edere vox, homo promere læta bonorum ;  
 Sic nequit edere vox, homo promere mœsta malorum.  
 Cui dolus est modo, tortio postmodo dura doloris  
 Tortio turpia mentis, et impia puniet oris.  
 Ut flagra scilicet ultio duplicet in mea gesta ;<sup>12</sup>  
 Pectora devoret ossaque perforet intus et extra.  
 Audiat hoc pius, ut stet, et impius ut cito surgat ;  
 Stare timor creat, huncque statu beat, hunc lue purgat.  
 Pœna jacentibus<sup>13</sup> inferet auribus ultima sensum ;  
 Veraque lacrima plectet<sup>14</sup> ad ultima cor reprehensum.  
 Quos scelus alligat hic, ibi colligat ultio plectens ;  
 Mollia mollibus improbioribus improba nectens.

<sup>1</sup> *Hinc*, P.<sup>2</sup> *cætera quærite*, P. *vel cætera*  
over the word *sidera*, B.<sup>3</sup> *timor*, P.<sup>4</sup> *Gehenna*, P.<sup>5</sup> *gerit*, B.<sup>6</sup> *terit, his furit, his ferit*, P.<sup>7</sup> *torrent*, B.<sup>8</sup> *Falsio quos*, A. *Sarcina quos*  
*premit*, B.<sup>9</sup> *horrent*, B.<sup>10</sup> *morientur*, B.<sup>11</sup> *petatur*, B.<sup>12</sup> *ut mala dextra*, P.<sup>13</sup> *Plena jacentibus*, A.<sup>14</sup> *plectat*, P.

Nunc levis actio, tunc ligat ultio sordidiores  
 Sordidioribus, improbioribus improbiore.  
 Criminis agmina quomodo sarcina stricta ligantur ;  
 Et quia sunt sine fructificamine, ligna cremantur.  
 Sunt sine fructibus interioribus arida ficus,  
 Ramus inutilis atque cremabilis<sup>1</sup> utpote siccus.  
 Sunt caro terrea terraque carnea grex reproborum,  
 Prava creatio, mixta ligatio fasciculorum.  
 Postmodo fletibus, hi modo<sup>2</sup> risibus excipiuntur,  
 Mortis in ignibus, inque doloribus haud moriuntur.  
 Quantaque crimina, sunt cruciamina tanta malignis,  
 Cum mala plurima, tum duo pessima, frigus et ignis.  
 Sed neque lenius est, neque mitius, illud ab isto,  
 Corpora cordaque crux premit utraque, iudice Christo.  
 Temporis hic focus, est ad eum jocus,<sup>3</sup> umbraque dictus,  
 Est levis ignibus iste perennibus, et quasi pictus.  
 Hic ita plurimus, hic ita maximus ignis habetur,  
 Quod neque<sup>4</sup> fluctibus æquoris omnibus opprimeretur.  
 Frigora sunt ea tanta, quod ignea sarcina montis  
 Inde gelasceret ; hæc mala perferet actio sontis.  
 Lumina, tempora, frons, labra, pectora, viscera,  
     mammæ,  
 Os, gula, mentula, cruraque, pabula sunt ibi flammæ.  
 Flent ibi lumina, flent sua crimina transita pridem,  
 Fœtor et horridus et grave fœtidus horror ibidem.  
 Visio dæmonis, illaque Gorgonis ora rigescent ;  
 Omnibus omnia fœda vel impia facta patescunt.  
 Gens mala vermibus haud morientibus instimulantur ;<sup>5</sup>  
 Atque draconibus igne flagrantibus excruciantur.<sup>6</sup>  
 Vermis in ignibus ille realibus est ita vivens  
 Sicut in æquore piscis, et hæc<sup>7</sup> fore sic lego scribens,  
 Crux, flagra, malleus, ignis, et igneus est ibi torrens.  
 O caro, nox ibi densa manet tibi, lumen abhorrens.

<sup>1</sup> igne cremabilis, P.

<sup>2</sup> hic modo, P.

<sup>3</sup> locus, B.

<sup>4</sup> Ut neque, P.

<sup>5</sup> instimulatur, P.

<sup>6</sup> excruciat, P.

<sup>7</sup> hic, P.

Nox simul omnibus est habitantibus in regione  
 Mortis ; homo, geme, plange, dole, treme, terrea pone.  
 Ignea vincula denique singula membra catenant ;  
 Corpora lubrica membraque scenica vincula frenant.  
 Stant <sup>1</sup> cruce triplice gens rea, vertice mersa <sup>2</sup> deorsum ;  
 Ora tenent <sup>3</sup> sua, dorsa simul sua versa retrorsum.  
 Sunt superhorrida, nam lue sordida crura pedesque,  
 Inferius caput, hæc mala sunt apud infera certe.  
 Gens rea, plangite, non ego, credite, talia fingo ;  
 Hic <sup>4</sup> noto paucula, non singula scio, pauca relinquo.<sup>5</sup>  
 Sermo ratus meus, ut clibanum Deus ignis iniquos  
 Ponet, id astruit, hos David innuit orbis amicos.  
 Collige, mens mea, quam gravis est ea flamma furoris ;  
 Hic clibanus calet, haud clibanus solet esse <sup>6</sup> caloris.  
 Volvito pectore cur clibanus fore dicitur ignis ;  
 Mens pigra, mens vaga,<sup>7</sup> disce timens flagra<sup>8</sup> parta  
 malignis.

Si mala suggeris hic, ibi redderis ipsa tibi fax ;  
 Ipsa cremans eris, ipsa cremaberis ignea <sup>9</sup> fornax.  
 Heu ! lacrimabile, væ ! miserabile, mens mea, clama ;<sup>10</sup>  
 Non ibi lucida credis,<sup>11</sup> sed horrida, sed nigra flamma.  
 Quæ tamen emicat, et mala duplicat igne micante ;  
 Nam patet huic tua pœna, tibi sua, luce nigrante.<sup>12</sup>  
 Ultio pectora frigore, corpora concremat igne,  
 Utraque pars ruit in scelus, hoc luit utraque digne.  
 Quod gravioribus iste realibus est cruciatus ;  
 Dicit homo Deus, illeque Job meus, ille probatus.  
 Qui male præminet ultroque sustinet interiores,  
 Ut Deus astruit, in tenebras ruit exteriores.  
 Hic nisi fles, ibi fletus erit tibi, denteque stridor ;

<sup>1</sup> Stat, P.<sup>2</sup> mensa, B.<sup>3</sup> tenet, P.<sup>4</sup> Hæc, P.<sup>5</sup> non scio singula, plura relinquo,  
P. non scio singula, B.<sup>6</sup> Hic clibani calor, haud clibani  
valor esse, P.<sup>7</sup> Mens vaga, mens pigra, P.<sup>8</sup> timens nigra, P.<sup>9</sup> ignee, A.<sup>10</sup> mens rea, P.<sup>11</sup> credo, P.<sup>12</sup> migrante, B.

Fumus ab ignibus hunc cremat<sup>1</sup> editus, hunc gravis  
algor.

Sana probatio, quod cruciatio frigoris, ignis,  
Sit pereuntibus atque luentibus acta malignis.  
Job quoque, pagina si sacra carmina Job bene signes,  
Hos, ait, incitus a nive<sup>2</sup> transitus urget ad ignes.  
Testis et hic ratus, ergo styli latus est mihi tectum ;  
Rege, satellite, principe, milite, quod bene septum.  
Quomodo præmia, in flagra<sup>3</sup> jugia, regna piorum,  
Regna perennia, perpetua flagra malorum.  
His, decor amplior, his, dolor auctior<sup>4</sup> est sine fine ;  
Pars habet æthera, perditur altera strata ruinæ.  
Corpora lubrica, corda tyrannica percruciantur ;  
Frigore grandinis hæc, face fulminis illa cremantur.  
Arctat, arat, terit, angit, agit, ferit illa Gehenna,  
Vi, cruce, pondere, frigore, verberere, perpete pœna.  
Est ibi, credite, crux sine stipite, mors sine morte,  
Vox sine carmine, lux sine lumine, nox sine nocte.  
Non ibi publicus arbiter Æacus, aut Rhadamanthus ;<sup>5</sup>  
Non ibi Cerberus, at furor<sup>6</sup> inferus, ultio, planctus.  
Non ibi navita cymbaque prædita voce Maronis ;  
Sed quid ? adustio, nox, cruciatio, mors Babylonis.  
Non tenet Orphea, lex data, Typhea, fortia lora ;  
Non lapis hic gravis, aut lacerans avis interiora.  
Pœna nigerrima, pœna gravissima, pœna malorum ;  
Mens male conscia<sup>7</sup> cordaque noxia, vermis eorum.  
Cæditur invida mens, caro sordida, membraque lena ;  
Perpete vulture, perpete sulphure, perpete pœna.  
Assur ibi tremit, et sua gens gemit, esca draconis ;  
Post sua lilia perditæ, filia flet Babylonis.  
Quam male florida, quam sibi fulgida, quam stetit aucta ;  
Tam modo marcida, tam jacet horrida, tam labefacta.  
Est meretrix ea facta sibi dea, plena venenis ;

<sup>1</sup> *hunc creat*, B. P.

<sup>2</sup> *annue*, B.

<sup>3</sup> *sic flagra*, B.

<sup>4</sup> *dolor altior*, A.

<sup>5</sup> *Rodomantus*, A. P.

<sup>6</sup> *aut furor*, B. P.

<sup>7</sup> *male conscia*, P.

Subdita sordibus extitit omnibus, est quoque pœnis.  
 Dulce mel illius, immo fel ipsius ore biberunt,  
 Qui modo<sup>1</sup> lubrica sive volatica gaudia quæerunt;  
 Qui pereuntia lucra, ruentia regna perenni  
 Ante ferunt male, qui fatuo sale sunt ibi<sup>2</sup> pleni.  
 Vina cupidinis atque libidinis illius hausit  
 Turba nefaria, cui Babylonia sidera clausit.  
 Vertitur alea, quam fuit antea deliciata,  
 Tam<sup>3</sup> cruciatibus asperioribus est modo strata.  
 Quid modo noscitur, aut fore cernitur? illa favilla;  
 Illa peraruit, illaque corrui, et ruit illa.  
 Illa tonans Babel, illaque Jesabel ore<sup>4</sup> rebelli,  
 Ivit in<sup>5</sup> infera, plaudite sidera, plaudite cœli.  
 Quæ male creverat auctaque dixerat, "Est meus orbis;"  
 Se quoque perdidit, occidit, occidit in loca mortis.  
 Terra profundior ac tenebrosior est ea terra;  
 Gens ibi flet rea, sed nimis est ea lacrima sera.  
 Terra nigredine terraque turbine mortis operta;  
 Mors ibi<sup>6</sup> plurima, certaue lacrima, passio certa.  
 Illa tragœdia durat in omnia sæcula, durat  
 Cum dolor ubera, tortio viscera, flamma cor urat.  
 Clamor ibi tacet, horror ibi jacet, umbraue mortis;  
 Fert ibi crimina, fert cruciamina fortia, fortis.  
 Corda potentia sunt patientia flagra potenter;<sup>7</sup>  
 Ardet edax gula, linguaue garrula, crapula, venter.  
 Tortio plurima constat, et intima pœna malignis;  
 Plurima tortio, plurima passio, plurimus ignis.  
 Undat ibi niger ignis, et impiger excruciare;  
 Corda nefaria, luxuriantia membra cremare.  
 Nox mala duplicat, et Stygis emicat olla vaporans;  
 Flamma nigerrima torret et intima, nil ibi rorans.  
 Planctibus insonat, ignibus intonat unda camini;

<sup>1</sup> Quo modo, B.<sup>2</sup> sunt sibi, B.<sup>3</sup> Tunc, B.<sup>4</sup> Illaque Jezabel, illa tonans  
Babel ore, P.<sup>5</sup> Ivit ad, B.<sup>6</sup> Mors ubi, B.<sup>7</sup> patenter, B.

Non ea tristia, non quærimonia subdita fini.  
 Ignea flumina,<sup>1</sup> nigra volumina flamma retorquet;  
 Brumaque torrida flammaque frigida pectora torquet.  
 Vermis edax scatet, et puteus latet<sup>2</sup> altus abyssi;  
 Sunt ibi pectore, sunt ibi corpore quique remissi.  
 Ludite, vivite, fœnere divite gens aliena;  
 Vos caro decipit hic, ibi suscipit illa Gehenna.  
 Non ibi visio, non ibi mansio luce repleta;  
 Non locus ordinis, aulaque luminis, arvaque læta.  
 O Maro, falleris hic, ubi conseris arva piorum;  
 Elysios ibi non repperis tibi,<sup>3</sup> scriptor eorum.  
 Musa poetica, lingua scholastica, vox theatralis;  
 Hæc quia disseris,<sup>4</sup> et male falleris, et male fallis.  
 Fulgurat ignibus haud radiantibus illa Gehenna,  
 Plena nigredine, plenaque turbine, plenaque pœna.  
 Plena libidinis ac vitiaminis est famulabus;  
 Exilientibus hinc, redeuntibus huc<sup>5</sup> animabus.  
 Quos vomit hos vorat, undique perforat, undique pestes;  
 Vitaque mortibus est venientibus una superstes.  
 Uritur inguinis atque libidinis ignis, in igne;  
 Uritur, uritur; ista rependitur ultio digne.  
 Qui male tollitur hic, ibi plectitur actus ad imum;  
 Tunc loca pessima, tunc tenet infima, qui modo primum.  
 Qui laniat, capit, excruciat, rapit, hic rapietur.<sup>6</sup>  
 Dilaniabitur, excrucietur, arripietur.<sup>7</sup>  
 Quos modo fictio, tunc premet<sup>8</sup> ultio; quos probra,  
     mœror;  
 Quos Venus, ustio; quos gula, tortio; quos lucra, terror.  
 Dum licet, auribus hæc vigilantibus accipiatis;  
 Qui lucra conditis, in lucra curritis, ad lucra statis.  
 Gens cita pascere viscera viscere, carneque carnem;  
 Qui tumidis<sup>9</sup> satis, exiguis datis heu! neque panem.

<sup>1</sup> *fulmina*, A.

<sup>2</sup> *puteus patet*, P.

<sup>3</sup> *Elysios tibi non reperis ibi*, P.

<sup>4</sup> *deseris*, A.

<sup>5</sup> *recidentibus hic*, P.

<sup>6</sup> *capietur*, B. P.

<sup>7</sup> *et rapietur*, P.

<sup>8</sup> *premit*, B. P.

<sup>9</sup> *Qui tumidi*, P.



Est modo Lazarus hic, ibi tartarus, et gula pridem,  
 Ebria potibus, ebria pastibus<sup>1</sup> ardet ibidem.  
 Dives obit sine spe, sine nomine, dives egenus ;  
 Nomine Lazarus unde flet, inferus est modo plenus.  
 Dives aquam petit, esuriens metit ubera plena ;  
 Gloria fletibus, ebrietatibus est data pœna.<sup>2</sup>  
 Post sua funera, dives ad infera, pauper ad astra ;  
 Qui flet in ulcere, gaudet in æthere, flet gula pasta.  
 Stillula quæritur, et gula plangitur,<sup>3</sup> oraque sicca ;  
 Non data stillula, cur? quia parvula non data mica.  
 Qui minus haud dedit, ad minimum redit, ille pe-  
 tendum  
 Ad phialas stetit, et fluvium petit haud tribuendum ;  
 Gratificans ape vina, dapes dape, vesteque vestes,  
 Fert sua crimina, fert cruciamina,<sup>4</sup> fert modo pestes.  
 Flos ruit et decus in Stygium specus, in specus atrum ;  
 Flos quasi flos fuit, enituit, ruit ad cruciatum.  
 Cui fuerat minus, huic<sup>5</sup> Abrahæ sinus, huic Paradisus ;  
 Cui magis, ustio, lacrima, tortio, pœnaque, risus.  
 Nunc ubi pallia? nunc ubi prandia? nunc ubi cœna?  
 Pallia, prandia sunt fugientia, stat sibi pœna.  
 Purpura transiit, escaque finiit, ultio restat ;  
 Restat, et acriter, immo perenniter, illa molestat.  
 Flamma, fames, sitis, ultio divitis extat egentis ;  
 Pro grue, pro sue,<sup>6</sup> pro dape, pro lue, pro face ventris.  
 Grus, lupus,<sup>7</sup> ostrea, vel caro taurea, juncta suillæ ;  
 Faxque cupidinis, alea criminis, et jocus<sup>8</sup> ille.  
 Maneque prandia, sero<sup>9</sup> cibaria præterierunt ;<sup>10</sup>  
 Luce tyrannica nocteque lubrica facta ruerunt.<sup>11</sup>  
 Ille vir affluus, ille vir effluus,<sup>12</sup> illeque multus

<sup>1</sup> *Ebria pastibus, ebria potibus, P.*

<sup>2</sup> *est modo pœna, P.*

<sup>3</sup> *panditur, P.*

<sup>4</sup> *Fert cruciamina, fert sua cri-  
 mina, P.*

<sup>5</sup> *hic, P.*

<sup>6</sup> *Pro sue, pro grue, P.*

<sup>7</sup> *lepus, P.*

<sup>8</sup> *locus, B.*

<sup>9</sup> *sera, P.*

<sup>10</sup> *præteriere, P.*

<sup>11</sup> *ruere, P.*

<sup>12</sup> *superfluus, B. efferus, P.*

Est apud infera, fert ita littera<sup>1</sup> sacra, sepultus.  
 Aure capessite, mente recondite talia dites ;  
 Tollite saucia, ferte jacentia, pascite mites.  
 Hos fabe<sup>2</sup> pascite, qui prece divite vos bene pascant,  
 Ne vel egentia vel sitientia membra labascant.  
 Condite mentibus, edite moribus, edite factis ;  
 Quæque fides pia clamat, amat via sobrietatis.  
 Mente reponite, vocibus edite, reddite rectum ;  
 Sitis egentibus esca, viantibus atria, tectum.  
 Vos date, vestraque, vult Deus utraque, gaudet utrisque ;  
 Se Domino, sua pauperibus lucra det bene quisque.  
 Multa quid astruo ? Jam simul instruo vos ego mecum ;  
 Demus egentibus ima, gerentibus optima secum.  
 Qui dedit omnia Christus ad ostia nostra gemiscit ;  
 Indiget, ejulat, ultima postulat, huc<sup>3</sup> date dicit.  
 Nemo dat, indiget ; ergo quid ? exiget<sup>4</sup> ipse negatum ;  
 Tollimus ebria gens, modo gaudia, post, cruciatum.  
 Ecce peculia lucraque grandia condis avare ;  
 Nec numerum geris hic, quia pauperis est numerare.  
 Impia bestia, cernis ad ostia plangere Christum ;  
 Esurientibus et sitientibus hic modo mixtum.<sup>5</sup>  
 Hinc tibi Lazarus, indeque Tartarus, hoc fugis illum ;  
 Pasce, fer, aspice, nec reus<sup>6</sup> abjice corde pusillum.<sup>7</sup>  
 Terrea tu sibi, pauper homo tibi<sup>8</sup> cœlica præstat ;  
 Pane Deum dabit, hic obit, hic abit, hic tibi restat.  
 Terrea gloria, terrea copia plena favillæ ;  
 Gloria corrui, et status aruit illius ille.  
 Audiatur auribus interioribus, audiatur orbis ;  
 Orbis ut orbita vertitur incita turbine mortis.  
 Præterit et perit, et nebulam gerit orbis amœnum ;  
 Tollitur ocius ipse, vel ipsius<sup>9</sup> esse serenum.<sup>10</sup>  
 Orbis honor levis est, atomus brevis, et breve festum ;

<sup>1</sup> *uti littera*, P.

<sup>2</sup> *Hos stipe*, P.

<sup>3</sup> *huic*, P.

<sup>4</sup> *quod exigit*, P.

<sup>5</sup> *mistum*, P.

<sup>6</sup> *ne reus*, B.

<sup>7</sup> *pupillum*, P.

<sup>8</sup> *pauper et hic tibi*, B.

<sup>9</sup> *vel impius*, B.

<sup>10</sup> *omne serenum*, B. P.

Nil dat amabile, nil amat utile, ridet honestum.  
 Hosteque pectoris, hosteque corporis intus et extra,  
 Horruit aridus, aruit horridus, et sua festa.  
 Orbis amor perit, atque suos terit, orbis amantes;  
 Et sua gaudia, gaudia tristia, vera putantes.  
 Evigilabimus? an remanebimus in lue mundi,  
 Quem patet ignibus, illuvionibus,<sup>1</sup> hoste retundi?  
 Quid vaga? quid rea corda colunt ea quæ nihil extant?  
 Quæ breve plaudere, non breve plangere post breve  
 præstant.  
 Cur caro proximus ignis, et intimus hostis amatur?  
 Carnis amor perit, est rosa, fæx erit, ergo spuatur.  
 O caro candida, post breve foetida, plenaque fæcis;  
 Flos modo, mox fimus,<sup>2</sup> et fimus infimus, unde tumescis?  
 O caro carnea, jam modo glarea, postmodo vermis;  
 Nunc homo, cras humus; istud enim sumus; unde  
 superbis?  
 O caro debilis, O cito labilis, O male mollis,  
 Quid petis ardua, quid tibi cornua ferrea tollis?  
 Quid tibi crapula, milleque fercula, milleque pastus?  
 Res lue proflua, vinaque mortua, cur tibi fastus?  
 Unde superbia? fæx tua gloria, morte remissa;  
 Fæx tua prandia, fæx tua gaudia, fæx es et ipsa.  
 Quid tibi balnea, vestis et aurea? quid tibi venter?  
 Culta licet caro, semper eris caro, nec caro semper.  
 Post hominem cinis es, caro desinis esse, putrescis.  
 Vis tibi quantula sit? docet urnula, massaque fæcis.  
 O caro lactea, nunc rosa, postea sarcina vilis;  
 Flos tibi corruet, et rosa defluet, at juvenilis.<sup>3</sup>  
 Quæ modo florida, cras erit horrida, plus loquar,<sup>4</sup>  
 horror;  
 Horror amantibus, horror et hostibus, omnibus horror.  
 Cras eris<sup>5</sup> horrida, cras eris<sup>5</sup> arida, vilis, amara;  
 Tu modo candida, tu modo florida, tu modo cara.<sup>6</sup>

<sup>1</sup> *alluvionibus*, B. P.<sup>2</sup> *post fimus*, P.<sup>3</sup> *hæc juvenilis*, P.<sup>4</sup> *loquor*, P.<sup>5</sup> *erit*, B.<sup>6</sup> *tu tibi florida, tu caro cara*, B. P.

Tristia<sup>1</sup> replico, defluet illico forma decoris ;  
 Illico defluet, illico corruet, hic<sup>2</sup> nitor oris.  
 Plurima quid loquor?<sup>3</sup> illa caro, decor ille peribit ;  
 Hæc Venus, hic calor, ars ea seu valor ibit, obibit.  
 Quid caro labilis? aut quid inutilis est homo? cœnum.  
 Quid rogo carnea gloria? glarea. Quid rosa? fœnum.  
 Carnea gloria, carnis et omnia, carne vigente  
 Sunt quasi stantia, deficientia, deficiente.  
 Cur homo nascitur? aut puer editur? ut moriatur?  
 Exit in aera, sustinet aspera, migrat, humatur.  
 Glarea labilis, aura volatilis est homo natus ;  
 Mane stat aggere, nec mora, vespere fertur humatus.  
 Qui modo flos fuit, in spatio ruit unius horæ ;  
 Mox rapitur, licet ingenio micet atque decore.  
 Fit cinis infimus, ille probissimus et pretiosus,  
 Irreparabilis, irrevocabilis, officiosus.  
 Gleba reconditur, atque recluditur hospite tumba ;<sup>4</sup>  
 Laus stat imaginis, umbraque nominis, immo nec umbra.  
 Vir subit æthera si bene, tartara si male gessit ;  
 Corpus humi jacet, ars perit, os tacet, aura recessit.  
 Fæx fit, homo fuit, hunc et amans sputit, horret amatus ;  
 Nosseque denegat, instat ut obtegat ocius artus.  
 Instat ut efferat, et flet et imperat,<sup>5</sup> et parat urnam ;  
 Non tibi dum gemit<sup>6</sup> heu! lacrimam premit ungue  
 diurnam.  
 Mox feretrum vehit, aut feretrum præit, aut subit  
 orans ;<sup>7</sup>  
 Denique planctibus exequialibus it quasi<sup>8</sup> plorans.  
 Flens it, ovans redit, ut tumulo dedit ossa, recessit ;  
 Cessit amor pius, ut manus illius afflua cessit.  
 Occidit, occidit, hic ubi perdidit æs et amicum ;  
 Qui sibi riserat, æris amans erat, O cor iniquum.

<sup>1</sup> *Pristina*, P.

<sup>2</sup> *his*, P.

<sup>3</sup> *quid sequor*, P.

<sup>4</sup> *turba*, P.

<sup>5</sup> *flet ut ingerat*, P.

<sup>6</sup> *Non tibi quum*, B. *Nec triduum gemit*, heu, P.

<sup>7</sup> *præit arte subornans*, P.

<sup>8</sup> *est quasi*; P.

Ille probissimus, ille potissimus, ille vir, ille;  
 Ille quid est precor? illius et decor? urna favillæ.  
 Pulcher, amabilis, irreparabilis, unicus, aptus;  
 Instar aquæ fluit, e medio fugit illico raptus.  
 Occidit ut pecus, et decor et decus omne repente;  
 Et calor et color alget, abit dolor inde juventæ.  
 Cur morulas<sup>1</sup> paro? cara jaces,<sup>2</sup> caro, fæx es, humaris;  
 Esse quod es sinis, in cineres cinis extenuaris.  
 Quid fluitat cibus? et gula potibus undat et escis?  
 Pasta cibus, cibus es, caro, vermibus, atque putrescis.  
 Est tua cernere, pallida funere membra vel ora;  
 Funere pallida, sensibus algida, seque minora.  
 Flava vel aurea, quam per eburnea colla rotabas,  
 Cæsaries jacet, et cor et os tacet, unde tonabas.  
 Lumina visibus, auris et auribus, os caret ore;  
 Nasus odoribus, et cor amoribus, ossa calore.  
 Ad mala pes citus, ac<sup>3</sup> oculus situs in muliere,  
 Collaque lactea, brachia cerea computruere.  
 Cerea brachia tam specialia quam speciosa,  
 Membraque lubrica, continet unica parvaque fossa.  
 Candidus antea dens, labra flammea, flos faciei,  
 Et gena lucida, sunt modo putrida, pars saniei.<sup>4</sup>  
 Nunc ubi pocula? nunc ubi fercula? fercula mille?  
 Flos ubi primulus? et rubicundulus est color ille?  
 Vox ubi fractior, ille crebrosior<sup>5</sup> est ubi risus?  
 Sermoque lubricus, atque phreneticus, improba visus?  
 Nunc ubi baltheus? annulus aureus?<sup>6</sup> aurea vitta?  
 Patria nomina? nunc<sup>7</sup> ubi culmina sunt pro avita?  
 Rege caro sata vermibus est data,<sup>8</sup> factaque vermibus;  
 Regibus edita rebus et obsita, nunc es inermis.  
 Corpus amabile, nunc es inutile corpus et atrum;  
 Morte resolveris, atque cadaveris es simulacrum.  
 Terrea gloria nunc quasi lilia, cras quasi ventus;

<sup>1</sup> *monilas*, corrected in a later hand to *morulas*, A.

<sup>2</sup> *jacens*, P.

<sup>3</sup> *ad oculus*, B., evidently an error of the scribe.

<sup>4</sup> *scabiei*, B.

<sup>5</sup> *illecebrosior*, P.

<sup>6</sup> *aureus anulus*, P.

<sup>7</sup> *nec ubi*, B.

<sup>8</sup> *es data*, P.

Pulcra fugit modo tempore, postmodo morte, juvenus.  
 Splendida pectora, splendida corpora, corpus habentur ;  
 Utque senilia sic juvenilia busta videntur.  
 Mox puer interit, ut rosa deperit edita vere ;  
 A valido vigor eripitur, nitor a muliere.  
 Lyncea lumina mentis acumina si quis haberet,  
 Fellea dulcia, pulcraque turpia credo videret.<sup>1</sup>  
 Corpora candida, pectora vivida, membra venusta,  
 Ossaque regia sint modo qualia consule busta.  
 Vociferantia seque minantia busta loquuntur ;  
 Primus et ultimus, altus et infimus hic capiuntur.  
 Est homo res levis, est homo flos brevis, est homo  
     non ens ;  
 Est homo glarea, terraque terrea mente reponens.<sup>1</sup>  
 Est homo flosculus atque statunculus est animatus ;  
 Hunc vegetat, fovet, implet, agit, movet, ad breve flatus.  
 Hic ubi deserit<sup>2</sup> ossa, vir interit, est caro sordens ;  
 Est caro carnibus una vel omnibus amplius horrens.  
 Mortua vilior, ægra remissior est caro nostra  
 Quam caro cætera, sicque cadavera nulla reposita.  
 Verme cito scatet, atque<sup>3</sup> satis patet, ægra dehiscit ;  
 Moxque per aspera, flagraque per fera<sup>4</sup> quæque fatiscit.  
 Quod cito morbida, quod cito sordida fiat, omitto ;  
 Quod cito putrida, quod cito tabida,<sup>5</sup> dicere vito.  
 Adde quod horrida morte, quod hispida, quod fera  
     plus est ;  
 Foetida plus olet, ægra magis dolet, illico post est.<sup>6</sup>  
 Non tibi funere, sive cadavere, de pecuali ;  
 Vel metus ingruit, at febris<sup>7</sup> irruit ex sociali.  
 Cæsus iter secus, inde vir, hinc pecus, efflat uterque ;  
 Ejus an istius est timor amplius ? ejus aperte.  
 Non tibi fit metus exanimus pecus æquore prati ;  
 Amplius effera sunt tibi funera fratris humati.

<sup>1</sup> *membra reponens*, P.

<sup>2</sup> *desinit*, B.

<sup>3</sup> *utque*, P.

<sup>4</sup> *flagra per effera*, B.

<sup>5</sup> *Quod cito tabida, quod cito putrida*, P.

<sup>6</sup> *illico pus est*, P.

<sup>7</sup> *aut febris*, P.

Ossa revisere, vel prope pergere nocte timebis,  
 Cum minime secus exanimum pecus ire pavebis.  
 Nostra cadavera nostraque funera foetidiora,  
 Esse relinquatur, esseque noscitur horridiora.  
 Flatus homo levis, atque vapor brevis, ad breve paret;  
 Paret et enitet, illico delitet, herba fit, aret.  
 Flens homo nascitur, et cito tollitur, efflat, humatur;  
 Stat breve, mox cadit, est modo, cras abit, hic breve  
 statur.

Turbo levissimus, atque brevissimus, est homo flatus;  
 Ipse laboribus, ipse doloribus est generatus.  
 Hic caput exerit, emicat, interit, est quasi bulla;  
 Bulla citatius, aura fugacius, haud perit ulla.<sup>1</sup>  
 Est caro terrea, terraque carnea, fumus, imago;  
 Massa putredinis, unda voraginis; immo vorago;  
 Dum sibi cœlitus influit, habitus,<sup>2</sup> est rosa, floret;  
 Est vapor, abluit,<sup>3</sup> illico corrui, est fimus,<sup>4</sup> horret.  
 Hic homo gignitur ex lue, nascitur ex muliere;  
 Nuper homo satus,<sup>5</sup> est lacrimis datus, hic sibi flere.  
 Vagit ad ubera, vivit ad aspera, mors vocat, itur;  
 Qui modo floruit, illico corrui, et sepelitur.  
 Illico labitur, illico tollitur, illico transit.  
 Transit, abit, ruit, hic modicum fuit; hic breve mansit.  
 Huc cito<sup>6</sup> prodiit, hinc cito transiit, et quasi nunquam  
 Extiterit, perit, hic tribulos serit, hic saliuncam.  
 Hic tribulos petit, hic tribulos metit, hic tribulatur;  
 Lætitiæ favet, et flet, amat, pavet, modo gravatur.  
 Donec homo viget, affluit, indiget, ut rota currit;  
 Dat, rapit, it, fremit,<sup>7</sup> opprimitur, præmit, uritur, urit.  
 Urit, et uritur; angit, et angitur; ad mala crescit;  
 Gaudet honoribus, inque laboribus his requiescit.  
 Crux sibi plurima qui petit infima summa petendo,  
 Ergo tumultuat, obstreperit, æstuat, hæc satagendo.

<sup>1</sup> *haud fugit ulla*, P.

<sup>2</sup> *alitus*, B. *halitus*, P.

<sup>3</sup> *cum vapor abluit*, B. *affluit*, P.

<sup>4</sup> *infimus*, P.

<sup>5</sup> *Nuper ad hoc satus*, B.

<sup>6</sup> *Hic cito*, P.

<sup>7</sup> *et fremit*, P.

Ut rota vertitur,<sup>1</sup> ut rosa<sup>2</sup> cernitur, et quasi<sup>3</sup> claret ;  
 Dives æger<sup>4</sup> tremit, altus ovans gemit, affluus aret.  
 Denique mortibus undique pluribus excruciatum,  
 Urna furens capit, opprimit et rapit, O grave fatum.  
 Laude superstite ; nomine divite dives habetur ;  
 Urna putredine patria nomine tota repletur.  
 Fama fit,<sup>5</sup> est sonus, hic probus, hic bonus, hic fuit  
 ille,

Clarus origine, fortis imagine, plenus Achille.  
 Fama virum dabat, ipsaque mox labat, aret et ipsa ;  
 Ad breve florida, post breve marcida, scissa, remissa.  
 Mox ubi transiit, hic homo desiit esse, vocari ;  
 Haud anima calet, haud animal valet, ergo probari.  
 Truncus iners jacet, ille modo tacet, ante tonabat ;  
 Fæx jacet horrida, qui rosa florida culmine stabat.  
 Vita volubilis, immo volatilis est quasi punctum ;  
 Quod geometrica dat sibi fabrica, quam cito sumptum.  
 Mors via<sup>6</sup> maxima, mors patet ultima linea rerum ;  
 Quo pede testea calcat et aurea, nil sibi serum.  
 Imminet omnibus, hinc famulantibus, inde tyrannis ;  
 Irruit ocius, unica totius est via carnis.  
 Socrate doctior, Hercule fortior, a triduana  
 Febre resolvitur, indeque noscitur omnia vana.  
 Vanaque vivere, vanaque currere sole sub isto ;  
 Omnia perspice, denique codice scito magistro.  
 Ecce patentibus ad mala visibus, ad bona cœcis ;  
 Igniculus febris est tibi funebris, unde tumescis ?  
 Quid tibi roboris ? illius Hectoris, illius ossa ;  
 Et minus<sup>7</sup> eminet, unica continet arctaque fossa.  
 Quid tibi grammatis ? arida Socratis ossa tenentur ;  
 Vox animæ Plato, justitiæ Cato, pulvis habentur.  
 Quid tibi faminis ? illa Demosthenis et Ciceronis ?

<sup>1</sup> *veritur*, P.

<sup>2</sup> *rasa*, corrected to *rosa*, A.

<sup>3</sup> *sibi claret*, B.

<sup>4</sup> *Dives eget*, B. P.

<sup>5</sup> *sic*, P.

<sup>6</sup> *Mors tua*, P.

<sup>7</sup> *Quæ minus*, P. *i. finis*, A. B.  
 as an interlinear Gloss.



Lingua peraruit, aura superfluit<sup>1</sup> artis et oris.  
 Quid tibi sanguinis est, vel originis? et Fabiorum  
 Stirps ruit ardua, turbaque mortua fluxit eorum.  
 Te decor extulit, Absalon abstulit, ultio duplex,  
 Fæx caro lactea redditur, aurea cæsaries fæx.  
 Quæ tibi culmina? quæ tibi nomina? quid tibi laudis?  
 Culmina, nomina, laus quoque pristina quod ruit audis.  
 Quæ tibi gloria? quæ tibi gratia? quæ tibi doni?  
 Non tibi gloria; non tibi<sup>2</sup> gratia, quæ Salomoni.  
 Est tibi regia magnificentia, prole Philippi;<sup>3</sup>  
 Non eris altior, at meritis minor hoc<sup>4</sup> quoque scribi.  
 Huic pudor, otia, sessio, regia colla fuere;  
 Ludere, prælia, cunctaque mœnia sponte patere.  
 Orbis et extima vidit, et ultima, vir fore natus,  
 Gentibus, urbibus, et dominantibus est dominatus.  
 Vicerat omnia, vincitur obvia facta<sup>5</sup> secutus;  
 Post hominem cinis est, quasi turbinis, aura solutus.  
 Flos erat, est fimus ille potissimus, illeque fortis;  
 Vix ibi<sup>6</sup> sportula plena, vel urnula, quo prius orbis.<sup>7</sup>  
 Est ubi gloria nunc Babylonia? nunc ubi dirus  
 Nabugodonosor? et Darii vigor? illeque Cyrus?  
 Qualiter orbita viribus inscita præterierunt,  
 Fama relinquitur illaque figitur, hi putruerunt.  
 Nunc ubi curia pompæque Julia? Cæsar, obisti;  
 Te truculentior, orbe potentior ipse fuisti.  
 Orbis ut extera sanguine, sidera laude subires;  
 Mota furentia sunt tua<sup>8</sup> brachia, prælia, vires.  
 Cum genero sene, brachia non bene conseruisti;  
 Non socer illius, aut socius pius esse tulisti.  
 Qui cinis es modo, tantus eras homo quantus et orbis.  
 An tibi subditus extitit ambitus urbis et orbis.  
 Ecce resolveris, area pulveris, urna favillæ;

<sup>1</sup> *superfluit*, P.<sup>2</sup> *nec data*, B. P.<sup>3</sup> *i. Alexandro*. Gloss in A. *i. Alexandro filio Philippi*. Gloss in B.<sup>4</sup> *hic quoque*, P.<sup>5</sup> *fata*, B. P.<sup>6</sup> *Vix modo*, B. P.<sup>7</sup> *erat plenus*. Gloss in A.<sup>8</sup> *sunt tibi*, B.

Cæsare nudus es, et prope nullus es, O ferus ille.  
 Nunc ubi Marius atque Fabricius inscius auri?  
 Mors ubi nobilis et memorabilis actio Pauli?  
 Diva Philippica, vox ubi coelica nunc Ciceronis?  
 Pax ubi civibus atque rebellibus ira Catonis?  
 Nunc ubi Remulus?<sup>1</sup> aut ubi Romulus? aut ubi Remus?  
 Stat rosa pristina nomine, nomina nuda tenemus.  
 Quam cito labilis atque volubilis orbita sphaeræ,  
 Corda volantia,<sup>2</sup> corpora fortia præteriere.  
 Et breve<sup>3</sup> floruit, et cito corrui unda priorum;  
 Gloria finiit, area transiit omnis eorum.  
 Nos quoque tollimur, et proficiscimur, ad quod et ipsi;  
 Imus in infera, perdimus æthera, mentes remissi.<sup>4</sup>  
 Mors animantibus imminet omnibus, ibimus omnes;  
 Mors vocat, ibimus, haud retinebimus orbis honores.  
 Ibimus, ibimus, atque redibimus, ad quid? ad imum;  
 Ima potentia sunt profitentia corpora limum.  
 Est via libera mentis, ad æthera, carnis, ad ima;  
 Hæc bene suscipit, hæc male despicit, ad sua prima.  
 Stat caro, mens gemit, Eva virum premit, inde reatus;  
 Mens levat, et lavat, at caro cor gravat, inquinat  
 actus.  
 Dulcia jurgia dum feret obvia cornua luna;  
 Hæc agit illaque, desinet utraque facta<sup>5</sup> quod una.  
 Cur caro carnea, terraque terrea ferre laboras?  
 Carnea, terrea, temporis alea versat in horas.  
 Tempus et omnia temporis inscia stare rotantur;  
 Singula currere, nulla recurrere fluxa probantur.  
 Corporis optima cerne simillima currere vento,  
 Currere singula, currere secula cœca memento.  
 Est resolubilis, immo volubilis orbis, ut orbis  
 Illius omnia, peste ruentia, tabida morbis.  
 Lux sua claruit, ecce peraruit ejus amœnum;

<sup>1</sup> *Regulus*, P.

<sup>2</sup> *valentia*, B. P.

<sup>3</sup> *Et bene floruit*, P.

<sup>4</sup> *reversi*, corrected to *remissi* in  
A.

<sup>5</sup> *veraque facta*, P.

Lux sua floruit,<sup>1</sup> et cito corrui, est modo cœnum.<sup>2</sup>  
 Quomodo flumina cerne volumina currere rerum;<sup>3</sup>  
 Orbis honor ruit, et fugit, et fluit orbe dierum.<sup>4</sup>  
 Ut rota volvitur, indeque pingitur ut rota mundus;  
 Quippe volubilis, et variabilis, ac ruibundus.  
 Irritus est ratus, instabilis status est status ejus;  
 It, redit, ut mare, denique nunc male, cras ibi<sup>5</sup> pejus.  
 Gloria terrea, quomodo gloria stat labefacta?  
 Glarea flumine, glarea turbine labitur acta.  
 Cuncta fluentia, nulla manentia sunt bona mundo;  
 Ridet honoribus exterioribus, intus arundo.  
 Gloria terrea, gloria vitrea, vitrea plane;  
 Illico tollitur atque resolvitur ejus inane.  
 Et bene sentio, fit variatio quaque<sup>6</sup> dierum;<sup>7</sup>  
 Si bene sentio fit variatio, fit fuga rerum.<sup>7</sup>  
 Mundus et omnia quomodo somnia vana recedunt;  
 Signaque plurima, tempora proxima judicis edunt.  
 Sidera flammea lunaque ferrea visa refertur;  
 Sol sine lumine, terra voragine subdita<sup>8</sup> fertur.  
 Terra levis tremit,<sup>9</sup> Eumenidum fremit umbra proterva;  
 Bellica currere fertur in aere visa caterva.  
 Agmina mortua currere conflua visa feruntur;  
 Signa gravissima, monstraque plurima conspiciuntur.  
 Gratia corrui, ordo refriguit, undat iniquum,  
 Quisque dolo studet, esse probum pudet, esse pudicum.  
 Jus præmitur cruce, grex grege, dux duce, rexque  
 regente;  
 Agmen et agmine, culmina culmine, gens quoque gente.  
 Omnia lubrica sunt modo publica, nulla teguntur;  
 Ingenialia vel furialia probra coluntur.  
 Ha! petulantia militat ebria nocte dieque;  
 Lex sacra displicet, illicitum licet, et libet æque.<sup>10</sup>

<sup>1</sup> *claruit*, P.

<sup>2</sup> *cecum*, A.

<sup>3</sup> *cerne fluentia culmina rerum*, B.

<sup>4</sup> *ordo dierum*, P.

<sup>5</sup> *cras sibi*, P.

<sup>6</sup> *quoque*, P.

<sup>7</sup> Transposed in P. and text of A.

<sup>8</sup> *subruta*, B. P.

<sup>9</sup> *locis tremit*, B. P.

<sup>10</sup> *et placet æque*, P.

Qui fore vult bonus, est miser, est onus, est onerosus ;  
 Qui mala postulat, ille deambulat imperiosus.  
 Justitiæ via nulla manet, quia virgo recessit ;  
 Cumque sororibus<sup>1</sup> introeuntibus æthera cessit.  
 Jus ruit, officit, ars mala proficit, ars mala prodest ;  
 Fraus stat, amor jacet, ordo flet, ars placet, est gula,  
 frons deest.<sup>2</sup>

Hæc præeuntia certaue nuntia credite finis ;  
 Finis enim venit, orbis honor perit, hoste, ruinis,  
 Seditionibus, illuvionibus,<sup>3</sup> igne, procellis,  
 Lite, libidine, fraude, gravedine,<sup>4</sup> sanguine, bellis.  
 Surgite, surgite, spemque resumite, spe tremebundi ;  
 Cernite currere regna, labescere culmina mundi.  
 Ultima tempora, ni sacra littera fallit,<sup>5</sup> aguntur ;  
 Dicta prophetica verbaque cœlica perficiuntur.  
 Fertur ut alea gloria carnea, plena favillæ ;  
 Ille minaciter imminet arbiter, arbiter ille.  
 Censor adest Deus, evigilet reus, est prope Christus ;  
 Qui modo detinet ?<sup>6</sup> en ferus imminet Antichristus.  
 Stirps venit impia, stirps mala, bestia perditionis ;  
 Quo duce sidera coget in infera cauda Draconis.  
 Imminet impius, est prope filius impietatis ;  
 Imminet, imminet, et caput obtinet in sibi stratis.<sup>7</sup>  
 Multiplicabitur et dominabitur hoc dominante,  
 Mors, tribulatio, tantaque passio quanta nec ante.  
 Jam tuba septima, plaga novissima jam properatur ;  
 Ecce recessio quam tua lectio, Paule, profatur.  
 Rege labescere, retro recedere<sup>8</sup> Roma videtur ;  
 Nec thronus ut prius,<sup>9</sup> aut status ut prius altus habetur.  
 Actio lubrica fit modo publica ; de medio fit ;  
 Roma, prior tua gloria mortua, rex tibi deficit.  
 His præeuntibus, immo sequentibus ordine signis ;

<sup>1</sup> *i. Astrea.* Gloss in A.  
<sup>2</sup> *ars placet omnibus est est,* P.  
<sup>3</sup> *alluvionibus,* P.  
<sup>4</sup> *gravamine,* P.  
<sup>5</sup> *fallat,* P.

<sup>6</sup> *Qui modo detrahet,* B.  
<sup>7</sup> *in male natis,* P.  
<sup>8</sup> *retroque cedere,* P.  
<sup>9</sup> *Nec thronus impius,* B. *Nec thronus ipsius,* P.

Imminet impius ille, vel illius horror et ignis.  
 Suntque patentia signa minantia, signa furoris;  
 Prorsus ut ultima jam fore proxima tempora<sup>1</sup> noris.  
 Flammivomus, niger, hispidus, aliger, est Draco visus  
 Nuper in aere, nil ego dicere nunc paro risus.  
 Claruit omnibus hoc<sup>2</sup> equitantibus atque colonis;  
 Fugit, inhorruit, et fuga terruit illa draconis.  
 Pestis, et horrida transiit oppida, transque volavit;  
 Et loca plurima fert ita maxima fama meavit.  
 In geminum caput egrediens, apud Anglica rura,  
 Femina prodiit, ipsaque finiit in duo crura.  
 Crura quidem duo,<sup>3</sup> sed sibi bis duo brachia stabant;  
 Hanc duo pectora, quatuor ubera mirificabant.  
 Vos volo credere, me rata dicere, scribere verum;  
 Par erat actio, par via, sessio par mulierum.  
 Ex mulieribus, immo sororibus, obstupor<sup>4</sup> istis  
 Altera transiit; atque superfuit altera tristis.  
 Post breve denique pars ruit utraque morte soluta;  
 Utraque pars ruit, hanc obitu fuit illa secuta.  
 Vir magno actibus in regionibus extat Hiberis<sup>5</sup>  
 Quem noto versibus, assero testibus hæc ego<sup>6</sup> veris.  
 Is<sup>7</sup> sine semine simplice virgine se fore natum,  
 Proh furor! edidit, et sibi credidit area fratrum.  
 Dixit ad ultima vipera pessima se fore Christum;  
 Hic<sup>8</sup> prope prædicat esse vel indicat Antichristum.  
 Non minor artibus in regionibus est Orientis<sup>9</sup>  
 Notus<sup>10</sup> et editus, ipseque perditus ordine mentis.  
 Dixit et impius hic quia maximus esset Helias;  
 Hinc fore proxima certior ultima tempora fias.<sup>11</sup>  
 Gens temeraria, dum licet impia facta fleamus;

<sup>1</sup> *tempora proxima*, P.

<sup>2</sup> *hic equitantibus*, B.

<sup>3</sup> *quater duo*, B.

<sup>4</sup> *O stupor*, B. P.

<sup>5</sup> *vivit Hyberis*, B. *ivit Iberis*,  
P.

<sup>6</sup> *Hic sine*, B.

<sup>7</sup> *hæc ego testibus assero veris*,  
P.

<sup>8</sup> *Hoc*, P.

<sup>9</sup> This line omitted in P.

<sup>10</sup> *Natus*, P.

<sup>11</sup> *scias*, P.

Ille minaciter advenit<sup>1</sup> arbiter, expaveamus.  
 Nemo capessere jus, mala plangere nemo relinquat;  
 Gaudia flentibus, irreverentibus ira propinquat.  
 Jam tuba septima, plaga novissima, lux pia dira,  
 Intonat, ingruit, enitet,<sup>2</sup> irruit, et venit ira.  
 Gens male conscia, quæ fugientia sunt, fugiamus;<sup>3</sup>  
 Gens male conscia lubrica gaudia flendo tegamus.<sup>3</sup>  
 Stare refugimus, ad mala fluximus, ad bona stemus;  
 Hora novissima, tempora pessima sunt, vigilemus.

*Explicit liber primus. Incipit secundus.*

---

<sup>1</sup> *imminet*, P.

<sup>2</sup> *emicat*, B.

<sup>3</sup> These two lines are transposed  
| in B. and P.

## BERNARDI MORLANENSIS

## DE CONTEMPTU MUNDI.

## LIBER SECUNDUS.

Aurea tempora primaque robora præterierunt,  
 Aurea gens fuit, et simul hæc ruit, illa ruerunt.  
 Flebilis incipit, aurea suscipit orbita<sup>1</sup> metas,  
 Transiit ocius et studium prius et prior ætas.<sup>2</sup>  
 Gratia firmior, ordo valentior esse solebat,  
 Melleque lactea lacteque mellea terra fluebat.  
 Afflua frugibus arva rigantibus arida coelis,  
 Dans bona dantibus atque fidelibus ipsa fidelis.  
 Pax dabat otia, gens erat inscia prorsus obesse;<sup>3</sup>  
 Terra fidelibus afflua patribus, afflua messe.  
 Pax jacet irrita, terraque perdita, jusque, bonumque;  
 Hujus amor ruit, illius aruit, aret utrumque.  
 Terra negat sata, pax homini data sola fugatur;  
 Quæ rata floruit, irrita corrui, et violatur.  
 Dum rata præstitit,<sup>4</sup> affluus exstitit omnis arator;  
 Pristina respuit, et nova messuit agricolator.  
 Donec erat rata, multa satis sata reddidit arvo,  
 Dans bona gramina<sup>5</sup> longaque semina semine parvo.  
 Gens erat optima, gens solidissima corde modesto;  
 Lucra forensia<sup>6</sup> cogere nescia, dives honesto.

<sup>1</sup> *aurea metas*, A. B.

<sup>2</sup> *prius abdicat ætas*, B.

<sup>3</sup> *abesse*, B.

<sup>4</sup> *perstitit*, P.

<sup>5</sup> *bona grandia*, A.

<sup>6</sup> *fauentia*, A., with *vel forensia*  
in the margin in a later hand.

Nescia fallere se sua tollere, sedula juri;  
 Nescia criminis, igne cupidinis haud levis uri.  
 Nulla pericula, quippe piacula nulla ferebant;  
 Arva fidelia<sup>1</sup> tectaque patria rite colebant.  
 Fœdera jugia, cum lue prælia sola gerebant;  
 Quærere culmina, scireque crimina,<sup>2</sup> crimen habebant.  
 Tunc quasi ludere sueverat ubere copia cornu,  
 Multaque copia, vitaque sobria, re, dape, potu.  
 Multa modestia multaque copia conveniebant,  
 Vivida corpora, nam bene pectora viva vigeabant.  
 Tunc erat inclita<sup>3</sup> quæ modo<sup>4</sup> perdita, mentis honestas;  
 Quæ modo maxima tunc erat ultima, nulla<sup>5</sup> potestas.  
 Tam lyra musica quam tuba bellica tunc reticebat;  
 Nec lyra musica nec tuba prælia præcipiebat.  
 Gens erat aurea<sup>6</sup> cui furor alea, cui scelus aurum:<sup>7</sup>  
 Cui pudor emptio, cui neque mentio divitiarum.  
 Non erat abdere fas, neque tollere lucra crumenis;  
 Plenus opum Tagus, aurifluus, vagus ibat arenis.  
 Moribus æmula lucra, piacula<sup>8</sup> quam præciosa;  
 Non homo foderat, aut fore noverat invidiosa.  
 Sumpsit ut aurea pondera ferrea spicula quisque;  
 Mors<sup>9</sup> tumor iraque sustulit utraque, pugnat utrisque.  
 Pristina secula non nisi regula nota regebat;  
 Secula pristina non nisi pagina viva<sup>10</sup> docebat.  
 Non Capitolia marmore fortia tunc, neque jaspis;  
 Non color Indicus, aut lapis unicus ex Arimaspis.  
 Gens erat utilis, invariabilis, alta, severa;<sup>11</sup>  
 Sueta cubilia conjugialia ducere sera.  
 Nulla libidinis, unica germinis insita cura;  
 Tunc sacra vincula, tunc dabat oscula crimine pura.  
 Quisquis erat pater, ille decem quater<sup>12</sup> egerat annos;  
 Ergo viros genus hic dabat haud Venus ebria magnos.

<sup>1</sup> *Aura fidelia*, P.

<sup>2</sup> *nosseque crimina*, P.

<sup>3</sup> *erat edita*, P.

<sup>4</sup> *quomodo*, B.

<sup>5</sup> *nilve*, B.

<sup>6</sup> *altera*, B.

<sup>7</sup> *arum*, B.

<sup>8</sup> *pericula*, P.

<sup>9</sup> *Mox*, B. P.

<sup>10</sup> *non sine pagina nuda*, P.

<sup>11</sup> *serena*, corrected to *severa*, A.

<sup>12</sup> *ducem quater*, P.



Effigialiter in puero pater ipse redibat ;  
 Stirps bona patribus intereuntibus orta subibat.  
 Non Venus ebria, sed pia gratia tunc dabat orbi,  
 Sospite<sup>1</sup> sanguine quosque satos sine semine morbi.  
 Membra virilia, corpora stantia stans cor habebant ;  
 Non ea potibus, hic dape, luxibus illud alebant.  
 Criminis alea, velleque balnea tunc erat<sup>2</sup> illis ;  
 Colla tegentibus aut refluentibus ire capillis.  
 Cygnea tempora, canaque pectora non revereri ;  
 Vina cupiscere, ludicra dicere, vim profiteri.  
 Gens bene conscia, gens bene sobria, gens erat ipsa ;  
 Non sibi pectora, non sibi corpora<sup>3</sup> mensve remissa.  
 Non dabat illius ordo quid amplius aut minus æquo ;  
 Ad nova pocula non sibi crapula,<sup>4</sup> non sibi præco.  
 Vina pericula, vinaque vincula, vina venena  
 Dicere sueverat, et fore noverat aspide plena.  
 Fons sibi vinea, tegmina linea rarus<sup>5</sup> habebat ;  
 Serica tegmina tunc neque femina sponsa trahebat.  
 Portio propria non nisi sobria<sup>6</sup> sponsa vacabat ;  
 Nunc nimis unica, tunc bona publica quisque vocabat.  
 Publica vellera, lac, sata jugera, fertilitates,  
 Pocula, prandia, pascua, prædia,<sup>7</sup> prata, penates.  
 Prandia mentior, hæc etenim<sup>8</sup> prior haud tulit ætas ;  
 Sueta reposcere nunc nisi<sup>9</sup> vespere nec satis escas.<sup>10</sup>  
 Pars quota vivere de Jovis arbore rite solebat ;  
 His heremitica prandia carica contribuebat ;  
 His cibus ex ove,<sup>11</sup> somnia sub Jove, stratus in herba ;  
 Jussa minoribus a gravioribus, a sene verba.  
 Pax sacra gaudia, pax dabat otia, fertilitatem ;  
 Sed neque gaudia probra, nec otia debilitatem.  
 Pax dabat otia sancta, negotia cultis agrestis,  
 Terra legumina, pocula flumina, cingula restis ;

<sup>1</sup> *Sospita*, P.<sup>2</sup> *non erat*, P.<sup>3</sup> *corpora*, *non sibi pectora*, P.<sup>4</sup> *non sibi corpora*, B.<sup>5</sup> *clarus*, P.<sup>6</sup> *non sibi sobrius*, P.<sup>7</sup> *pascua grandia*, P.<sup>8</sup> *hoc etenim*, P.<sup>9</sup> *nec nisi*, P.<sup>10</sup> *vespere præscia metas*, B.<sup>11</sup> *ex Jove*, P.

Obsequium pecus, hospitium specus, hordea victum,  
 Herba cubilia, petra sedilia, pellis amictum,  
 Ramus opuscula,<sup>1</sup> festaque fercula, raro legumen,  
 Lux pede tendere, nox requiescere, tædaque lumen.  
 Quæ modo marmore qualibet arbore templa struebant;  
 Quæ modo sculptibus atria cultibus<sup>2</sup> expoliebant.  
 Secula lactea, gens erat aurea, gens bona, de qua  
 Audeo paupere carmine dicere, gens fuit æqua.  
 Aurea gens fuit, aurea gens ruit, orba subivit;  
 Quæ cupit afflua menteque mortua vivere, vivit.  
 Afflua censibus, indiga sensibus, orba patronis,  
 Se dat in impia, raptat in invia perditionis.  
 Mundus origine non nisi nomine mundus habetur;  
 Munditias sput,<sup>3</sup> in Veneres ruit, hisque repletur.  
 Ille prior ruit, alter inhorruit, alter at idem;<sup>4</sup>  
 Non modo tempora sunt, neque pectora qualia pridem.<sup>5</sup>  
 Tempora florida, pectora vivida primo fuerunt;<sup>6</sup>  
 Tempora florida, pectora vivida præterierunt.  
 Aurea transiit, horrida prodiit orbis imago.  
 Plaga novissima, veraque lacrima, vera vorago.  
 Hæc neque nomine digna, nec ordine recta stat ætas;  
 Hæc vitiis perit, hæc animas gerit irrequietas.  
 Cumque ruens eat, hæc populum creat ad mala stantem;  
 Rebus, honoribus, ebrietatibus invigilantem.  
 Hæc bona perdidit; hæc genus edidit ore dolosum,  
 Pectore mobile, re variabile, mente probrosum.  
 Ista novissima dicitur infima fæx aliarum;  
 Ista novissima, prodiit intima mors animarum.  
 Recta perhorruit, ordine corrui, eminent astu,  
 Sollicitudine, fraude, libidine, crimine, fastu.  
 Est sine nomine, nam sine numine, nam sine jure;  
 Perdita cladibus est, quia fraudibus, hæ sibi<sup>7</sup> curæ.  
 Istius omnia flenda, nefaria, flere, profari;

<sup>1</sup> *opercula*, P.

<sup>2</sup> *cultibus atria frondibus*, P.

<sup>3</sup> *Mundiciem sput*, P.

<sup>4</sup> This line omitted in B.

<sup>5</sup> *pectora quæ viguerunt*, B.

<sup>6</sup> This line omitted in B. The two lines are transposed in P.

<sup>7</sup> *hæc sibi*, B. P.

Cuncta minus queo, credite, flens eo paucula fari.  
 Ut bene claruit,<sup>1</sup> ille peraruit aureus orbis,  
 Convenientibus<sup>2</sup> undique mortibus, undique morbis.  
 Secula prodita<sup>3</sup> re, lue perdita, prævaluere;  
 Stando jacentia, falso virentia, marcida vere.  
 Talia dum loquor, uror et excoquor igne fideli;  
 Concremor æstibus interioribus et face zeli.  
 Dum noto turpia quanta, quot impia, quæ mala terræ,  
 Sit licet inscia lingua, silentia non queo ferre.  
 Unde quid ordiar? unde subaudiar? eloquar unde?  
 Unde Deus monet, ipse quod os sonet afflat<sup>4</sup> abunde.  
 Quid prius<sup>5</sup> insequar? an mala persequar an bona  
 strata?<sup>6</sup>  
 Stant mala, jus latet, hinc satiræ patet area lata.  
 Parce modestia, multa sequentia sunt inhonesta;  
 Cura tamen mea facta<sup>7</sup> vetat rea, suadet honesta.  
 Da veniam, precor, hic satyram sequor,<sup>8</sup> hic mala  
 sperne;  
 Indue cor sene, dico malum bene, tu bene cerne.  
 Perdita crimine secula, limine mortis<sup>9</sup> in ipso;  
 Vociferans fleo, flere dolens<sup>10</sup> eo carmine misso.  
 O mala secula quærere sedula rem, pigra, rectum;  
 Fraus quibus edita, gratia perdita, jusque rejectum.  
 O mala tempora quæ mala pectora progenuere;  
 Nulla volentia, pauca<sup>11</sup> valentia recta videre.  
 Castus amor latet, et Veneris patet alta lacuna;  
 Omne bonum jacet, una Venus placet, omnibus una.  
 Vos, mea lumina, fundite flumina nunc lacrimarum;  
 Recta perit via, cor grave, mens pia ploret amarum.  
 Luxuries viget, ut stipulas liget ignis Averni;  
 Luxuries calet, atque palam valet edita cerni.  
 Pax flet, amor gemit, ira stat et fremit,<sup>12</sup> exule recto,

<sup>1</sup> *ut breve claruit*, B. P.

<sup>2</sup> *Cum venientibus*, B.

<sup>3</sup> *perdita*, B. P.

<sup>4</sup> *addat*, B.

<sup>5</sup> *Quid prior*, P.

<sup>6</sup> *stata*, P.

<sup>7</sup> *mea sacra*, P.

<sup>8</sup> *loquor*, P.

<sup>9</sup> *limine vocis*, P.

<sup>10</sup> *flore dolens*, P.

<sup>11</sup> *nulla*, B. Altered to *pauca*.

<sup>12</sup> *stat, effremit*, P.

Qua fero lumina, lætaque crimina laxaque specto.  
 Non ego visibus, immo nec auribus, haurio quicquam  
 Quod memorabile laude, quod<sup>1</sup> utile re fore dicam.  
 Quo libet exeo cernere, lugeo mox inhonesta;  
 Qua feror obvius est furor impius intus et extra.  
 Nemo libidinis aut vitiaminis effugit exsors;  
 Qua geminus polus eminent est dolor, est furor, est  
 mors.

Fraus sedet omnibus incolitur quibus utraque zona;  
 Omnis in omnibus ad mala partibus est caro prona.  
 Civica prælia nilque fidelia corda probantur;  
 Colchica pocula, nec minus oscula perfida dantur.  
 Prava licentia criminis omnia vult, valet, audet;  
 Post mala ducitur, in mala labitur, in mala gaudet.<sup>2</sup>  
 Nomine, gens tua, Christe, tibi sua, se dat<sup>3</sup> Averno,  
 Flenda perennibus undique fletibus audio, cerno.  
 Plausus ad impia, clamor ad ebria, post sed et ante;  
 Terga sonat<sup>4</sup> mea, facta sedent rea jure labante.  
 Intrat inania milite mcenia rex Babylonis,  
 Ipseque præsidet, ipsius assidet ala furoris.  
 Exul origine, se, patre, lumine fit Sedechias;  
 Prospice mens tibi, ne similis sibi crimine fias.  
 Proh dolor! omnia sunt quærimonia nunc<sup>5</sup> rationis,  
 Nuda tragœdia, lacrima propria<sup>6</sup> religionis.  
 Secula lubrica possidet unica mortis imago;  
 Lubrica secula gens replet æmula, prava propago.<sup>7</sup>  
 Docta sed inscia, blanda sed impia, sed vitiosa;  
 Dissociabilis, insatiabilis, ingluviosa.  
 Gens pia vocibus, impia moribus, ecce creatur;  
 Gens sibi provida, moribus invida, multiplicatur.  
 Gens mala<sup>8</sup> fame, pejor acumine, pessima re, gens  
 Quæ mala digerit, incitat, exerit, in mala vergens.

<sup>1</sup> *Quid . . . quid*, P.

<sup>2</sup> *ad mala gaudet*, P.

<sup>3</sup> *sedet*, B.

<sup>4</sup> *sonant*, P.

<sup>5</sup> *non*, P.

<sup>6</sup> *Nulla tragœdia propria lacrima*,  
P.

<sup>7</sup> *prava vorago*, P.

<sup>8</sup> *Est mala*, B. P.

Gens pia transiit, in Syon exiit hanc Babylona;<sup>1</sup>  
 Nunc Jacob, Israel, et Lia fit Rachel, ordo, corona.  
 Regnat in æthere, sugit ab ubere philosophiam;  
 Jam patriam via, Rachel habet Lia, Martha Mariam.  
 Ille chorus pius, et status illius, ivit, obivit;  
 Vivit in æthere, jam sine funere credite vivit.  
 Gens fuit aurea, quam modo laurea viva coronat;  
 Salvat adoptio, liberat actio, palma perornat.  
 Gens pia transiit, impia prodiit, et numerose;<sup>2</sup>  
 Vulgus inutile, corpore debile, cordis inane.<sup>3</sup>  
 Gens sine pectore plurima tempore fervet<sup>4</sup> in isto;  
 Obvia moribus, obvia legibus, obvia Christo.  
 Torpet in ordine, gaudet in agmine crescere, crescit;  
 Fit grege plurima, lucra scit infima, cætera nescit.  
 Ad mala labilis, ad bona debilis, his ea præfert;  
 In vitium perit, huic vacat, id gerit, id scit, id effert.  
 Est, neque mentior, ad mala lætior, ad bona tristis;  
 Reproba<sup>5</sup> comprobatur, et proba reprobatur, omnis in istis.  
 Scit bona vocibus acta, sed<sup>6</sup> actibus edere nescit;  
 Prompta malis viget, ægra Deo riget,<sup>7</sup> et lapidescit.  
 Aurea secula cordaque credula præterierunt;  
 Sunt modo sarcina, qui neque crimina nec mala quæerunt.  
 Suntque per ipsima,<sup>8</sup> qui lucra plurima non sibi servant;  
 Qui lucra grandia, lucra forensia non coacervant.  
 Vult modo carnea<sup>9</sup> commoda, terrea<sup>10</sup> vult modo quisque;  
 Præest gula plebibus, æs senioribus,<sup>11</sup> error utrisque.  
 Gratia venditur, omneque curritur in scelus ære;  
 Cumque fides labet, omnis habens habet, horret egere.  
 Cana fides fuit, hac amor, hac ruit ordo ruente;  
 Stante fide stetit ordo, fugam petit hac fugiente.  
 Pectora sobria prætereuntia præterierunt;  
 Corda virilia, casta cubilia, terga dederunt.

<sup>1</sup> *hac Babylona, B. in Babylona, P.*

<sup>2</sup> *numerosa, B. numerosum, P.*

<sup>3</sup> *corde probrosum, P.*

<sup>4</sup> *tempore vivit, P.*

<sup>5</sup> *Improba, P.*

<sup>6</sup> *scit, B.*

<sup>7</sup> *ægra bonis riget, P.*

<sup>8</sup> *peripsema, P.*

<sup>9</sup> *bona carnea, P.*

<sup>10</sup> *cum modo terrea, B.*

<sup>11</sup> *et senioribus, P.*

Lex Domini ruit, improba non luit improbus ausus ;  
 Ausibus ultio deest, datur unctio, pro cruce plausus.  
 Vis caret obice, crimina iudice, iudice lites ;  
 Probraque verbere, furtaque carcere, præsule mites.  
 Prorsus ad impia larga licentia fertur, ubique  
 In mala curritur, et male vivitur, itur inique.  
 Juris abit status, est scelerum latus undique fultum ;  
 Qui male quodlibet audet et exhibet, audit<sup>1</sup> inultum.  
 Fertur ad omnia transgredientia ramus olivæ ;  
 Mors replet æmula crimine secula, tartara cive.  
 Transgredientibus evenit omnibus, O furor, O fraus,  
 Pro cruce plaudere, pro patre sugere, pro stimulo laus.  
 Vis habet ubera, fictio prospera, fastus honorem ;  
 Lac levis actio, sceptræ remissio, probra furorem.<sup>2</sup>  
 Justitiæ vigor, ecclesiæ rigor, ordoque patrum,  
 Nunc ubi præminet ? aut ubi permanet unio fratrum ?  
 Quæ manus obvia sumit in<sup>3</sup> impia, sive superba ?  
 Non ego verbera dico, sed aspera vel dare verba.  
 Corde quis æstuat ut scelus arguat invaluisse ?  
 Quis pater ordinis est similaginis hostia fricæ ?<sup>4</sup>  
 Quis modo dux bonus, excipiens onus omne suorum,  
 Qui<sup>5</sup> bona clamitet, et bene militet in lucra morum ?  
 Quis gemit impia ? quis mala<sup>6</sup> stantia jusque relictum ?  
 Quis gladium librat oris, et hinc vibrat<sup>7</sup> in scelus  
 ictum ?  
 Quis docet<sup>8</sup> otia pellere noxia, flendaque flere ?  
 Quis probra spernere, spretaque tergere, tersa cavere ?  
 Omnis ad omnia nititur impia gens, gradus, ordo ;<sup>9</sup>  
 Et male vivitur, et male psallitur in decachordo.  
 Omnis ad omnia nititur impia mundus oberrans ;  
 Est senior gravis, est juvenis levis, est puer errans.  
 Præsul adest, præit,<sup>10</sup> ipse suum vehit, ipse suorum ;

<sup>1</sup> *audet*, P.<sup>2</sup> *favorem*, P.<sup>3</sup> *surgit in*, P.<sup>4</sup> *frixæ*, P.<sup>5</sup> *Quis*, P.<sup>6</sup> *quis probra*, P.<sup>7</sup> *vibrat oris et hinc librat*, B. P.<sup>8</sup> *Qui docet*, B.<sup>9</sup> This and the following line are omitted in B.<sup>10</sup> *perit*, B.

Hinc scelus,<sup>1</sup> hinc onus, altus ei thronus est grave  
lorum.  
Sceptriger est, fremit, hos levat, hos premit, estque  
tyrannus ;  
Quodque magis fleo, mitibus est leo, furibus agnus.  
Presbyter est, iter utile presbyter ad bona debet ;  
Non iter utile, sed lacrimabile vel sibi præbet.  
Clericus est, legit, haud bene se regit, ima volutat ;  
Et facienda scit, et minime facit, his ea mutat.  
Miles adest, gerit arma, furit, ferit, emicat hasta ;  
Castra perambulat, omnia strangulat, estque cerasta.  
Nobilis est, tumet ; ipse nihil timet,<sup>2</sup> ergo timetur ;  
Erigit ardua tortaue cornua, nil reveretur.  
Censor adest, labra vendit, amat lucra, censet iniquum ;  
Astat habentibus, obstat egentibus, os inimicum.  
Institor est, fora girat et æquora, propria laudat ;  
Et sua comprobat, in tua<sup>3</sup> reprobat, indeque fraudat.  
Rusticus est, serit, et sata congerit,<sup>4</sup> horrea farcit,  
Primitias tegit, et decimas legit, hinc sibi parcit.  
Singula latius et spatiosius hæc repetendo ;  
Addo revoluere, rosaque rodere denuo tendo.  
Pontificalia corda pecunia contenebravit ;<sup>5</sup>  
Pontificalia corda, carentia corde probavit.<sup>6</sup>  
Pontificum status ante fuit ratus, integer ante ;  
Ille statum dabat, ordine nec labat<sup>7</sup> ille labante.  
Qui super hoc mare debuerat dare se quasi pontem ;  
In Sion omnibus est via plebibus in Phlegethontem.  
Si nova promere, vel nova dicere<sup>8</sup> non grave nossem,  
Quos scio sed tego, pontifices ego dicere possem.  
Stat sibi gloria, pompa, superbia divitiarum ;  
Hoc prope tempore nemo studet fore pons asinarum.  
Præsulis infula, solvere vincula, vincla tenere,

<sup>1</sup> *Hinc zelus*, P.<sup>2</sup> *et nihil hic timet*, B.<sup>3</sup> *Et sua cum probat, et tua*, B.  
*et tua*, P.<sup>4</sup> *cum gerit*, B.<sup>5</sup> This and the previous line are  
transposed in P.<sup>6</sup> MS. B. gives in place of this  
line, *Pontificum via mensa per invia  
jura fugavit.*<sup>7</sup> *nunc labat*, P.<sup>8</sup> *Si nova dicere, vel nova fingere*,  
P.

Canone respuit, æreque destruit, astruit ære.  
 Regia culmina vel moderamina regia nactus,  
 Prædo fit hosticus, estque tyrannicus illius actus.  
 Rex modo nomine, consul imagine, mente tyrannus ;  
 Civibus improbus est, reprobis probus, et sibi magnus.  
 Hoc probra iudice non volat a cruce pasta volucris ;  
 Hoc male vindice, norma caret duce, fit una<sup>1</sup> lucris ;  
 Pro grege paupere recta capescere despicit arma  
 Theta<sup>2</sup> latronibus esse timentibus affore parma.  
 Ecclesiæ vigor,<sup>3</sup> imperii rigor interierunt ;  
 Est via fraudibus, his ea stantibus occubuerunt.  
 Schismata mutuo stant, gladii duo nil metuuntur ;  
 Juraque regia, pontificalia jura premuntur.  
 Lex Domini tacet, et gladius jacet imperialis ;  
 Mors animæ fremit, et gladius tremit heu! synodalis.  
 Plebs sine præside pressa tyrannide dilaceratur ;  
 Crimine perditur, hoste reliditur, igne crematur.  
 Nec stola<sup>4</sup> præsulis, hunc<sup>5</sup> neque consulis obvia dextra  
 A capitalibus intus, ab hostibus eripit extra.<sup>6</sup>  
 Qui stat in agmine primus imagine presbyteratus,  
 Est vitio levis, officio brevis, inguine fractus.  
 Ut soror intima fit sibi proxima presbyterissa,  
 Ipsa patrem vocat, ipsa thoro locat,<sup>7</sup> assidet ipsa.  
 Servet<sup>8</sup> uti solet, et cerebro dolet ipsa dolenti ;  
 Ipsa dapes emit, assidet, et gemit ipsa gementi.  
 Ipsa fovet, favet, audit, amat, pavet ipsa magistrum ;  
 Est thalamo sera,<sup>9</sup> mittit ad externa sæpe ministrum.  
 Præstat inaniter ordine presbyter ille vocatus ;  
 Heu! sibi corporat et populi vorat ille reatus.  
 Quam venerabile, quam sacret utile, qualeque sacrum ;  
 Non satis aspicit, ordinis efficit hinc simulacrum.  
 Plura libidine, dignaque sanguine, carneque Christi,

<sup>1</sup> *fit via*, P. In B. this and the following line are given as follows:—

*Improbra iudice norma caret duce  
fit via lucris ;*

*Hoc male vindice non volat a cruce  
pasta volucris.*

<sup>2</sup> *Tetra*, P.

<sup>3</sup> *rigor imperii vigor*, P.

<sup>4</sup> *schola*, P.

<sup>5</sup> *hanc*, B. P.

<sup>6</sup> *eripit astra*, B.

<sup>7</sup> *torum locat*, P.

<sup>8</sup> *Servit*, B. P.

<sup>9</sup> *fera*, B.



Ora minus gerit, orbaque plebs ferit acta magistri.  
 Non nisi nomine clerus in agmine sorteque cleri  
 Vivere sustinet, arduus imminet esse, videri.  
 Fervet in agmine, torpet in ordine quo titulatur;  
 Nomine clericus, actibus aulicus esse probatur.  
 Aspicias sine lege vel ordine currere clerum,  
 Atria visere regia, volvere turbida rerum;  
 Ad popularia stare negotia, resque forenses.  
 Adde quod exerit arma, quod ingerit ensibus enses.  
 Agmina ducere, prælia jungere, miles haberi,  
 Clericus eligit, et sacra negligit otia cleri.  
 Miles atrox rapit, angit, agit,<sup>1</sup> capit, urget egentes;  
 Quos premit opprimit, omnibus imprimit undique dentes.  
 Non modo non regit ore, manu tegit agricolentes,  
 Sed fugat, et ferit, et cremat et terit arva tenentes.<sup>2</sup>  
 Raptus ei cibus hos operit quibus os male nudat;  
 Ad mala militat, ad mala cursitat, ad mala sudat.  
 Miles edacior igne, rapacior est quoque milvo,  
 Tigride sævior, atque nocivior igne nocivo.<sup>3</sup>  
 Sævitur in agmine, clarus origine nobilitatis,  
 Non sibi<sup>4</sup> propria sed reverentia stat sibi patris.  
 Præficitur, præit, ore patres vehit, haud vehit actu;  
 Stemmata nobilis, est reprobabilis ipse reatu.  
 Rebus, origine, carne, nec ordine nobilitatur;  
 Est resolubilis, et caro nobilis, aret, humatur.  
 In vitium tener est homo degener altus et imus;  
 Cur? quia corpore non animo fore vult quasi primus.  
 Ad lucra supplicat, et male judicat ob lucra iudex;  
 Te scelus impedit, aureus expedit ære, silet lex.  
 Æs domat omnia, res piat impia, lex silet ære;  
 Vim lupus ingeris, agnus habebis, offer habere.  
 Per tua munera tangis et æthera, lege cremandus;  
 Census adest tibi, censor erit tibi, ne fuge blandus.  
 Munere non sinis ullius ordinis hunc meminisse;

<sup>1</sup> *agmen agit*, B.<sup>2</sup> *arva terentes*, P.<sup>3</sup> *angue nocivo*, P.<sup>4</sup> *Nec sibi*, P.

Ad lucra clamitat, et sua<sup>1</sup> vendicat ora, premit se.  
 Denique lex ita fit sibi subdita, non homo legi;  
 Aspice munere tot mala surgere, tot bona mergi.  
 Proh furor! aspice quam cito, iudice lucra tenente,  
 Stent mala, jus ruat, hæc levet, hæc spuât ille triente.  
 Quam sine iudice iudicet, aspice quam sine jure,  
 Quippe pecunia non Theodosia lex sibi curæ.  
 Institor omnia pene negocia fraude volutat;  
 Lucra lucris emit, hæc levat, hæc premit, his ea mutat.  
 Per nigra frigora, per juga,<sup>2</sup> per fora, per freta currit;  
 Fur capit, hunc ferit hostis, hiems terit,<sup>3</sup> æstus adurit.<sup>4</sup>  
 Captus, egens abit, et vacuus<sup>5</sup> canit ante latronem,  
 Lucra resuscitat, hinc iter incitat in Babylonem.  
 Inde repatriat, huc<sup>6</sup> nova nunciat, et nova defert.  
 Fraudat emens tua, quippe tuis sua pondera præfert.  
 Est male perfidus, ambulat invidus agricolator;  
 Sæpe novalia proxima propria jurat arator.  
 Jurat ut auferat, et cito pejerat atque scienter;  
 Inde frequentia mutuo jurgia, causa frequenter.  
 Rusticus hordea mittit in horrea, farra recondit:<sup>7</sup>  
 Horrea grandia vasa capacia, multaue condit.  
 Nec pecus aut sata, dante Deo data, vult decimare;  
 Nec sacra portio, nec decimatio redditur aræ.  
 Prava stat<sup>8</sup> actio quæque professio, gens, gradus, ætas;  
 Quæque nefaria patrat, habet via sobria metas.  
 Omne bonum perit, omnis homo gerit alteritatem,  
 Pugnat inertia solvere fortia, fraus pietatem.  
 Nunc premit<sup>9</sup> omnia sola pecunia, res dominatur;  
 Mammona conditur, ad fora curritur, ad lucra statur.  
 Stat modo Mammona, sunt oneri bona crimen honori;  
 Opprobrio via justitiæ, pia facta pudori.  
 Culmine clericus, arce monasticus excidit<sup>10</sup> ordo;

<sup>1</sup> *hic sua*, B. *his sua*, P.

<sup>2</sup> *per rura*, B.

<sup>3</sup> *ferit hos, hominem terit*, B.

<sup>4</sup> *æstus durit*, P.

<sup>5</sup> *haud vacuus*, P.

<sup>6</sup> *hinc*, P.

<sup>7</sup> *multa recondit*, B.

<sup>8</sup> *Prævolat actio*, B.

<sup>9</sup> *Comprimit*, B.

<sup>10</sup> *occidit*, P.

Pars ea frangitur, ista resolvitur ordine torto.  
 Altera flebilis, est miserabilis altera prorsus;  
 Utraque nomine stat, jacet ordine versa retrorsus.  
 Utraque pars labat,<sup>1</sup> illa decus dabat, ista decorem;  
 Utraque decedit, utraque perdidit arida florem.  
 Quis bonus est? bene spernitur a sene sancta senecta;<sup>2</sup>  
 A puero pudor, a valido rubor, et via recta.  
 Denique crimina, differo nomine dicere quorum,  
 Clamat, amat, gerit, et parit et perit ordo malorum.  
 Est facies ita crimine perdita totius orbis,  
 Ut neque jam puer exeat integer a lue mortis.  
 Sunt puerilia, sunt juvenilia cum senis ævo,  
 Sordida pectora, nullaque tempora sunt sine nævo.  
 Ipseque parvulus, haud quasi masculus; at reticebo,  
 Talia, talia, tam furialia probra silebo.  
 Parco retexere, differo prodere sordidiora;  
 Quod vitio fuit edere, polluit et cor et ora.  
 Stat Venus ignea, solvitur aurea zona pudoris;  
 Stant probra stantia, sunt modo retia tensa furoris.  
 Parcere clunibus excidit omnibus, omnibus inquam;  
 Non ego rodere, non reprehendere quemque relinquam.  
 Vulgus in impia, vulgus in omnia turpia fluxum,  
 Lugeo, rideo, Diogenes eo,<sup>3</sup> Democritus sum.  
 Nam meretricia nosse cubilia gens putat æquum;  
 Lex genii jubet,<sup>4</sup> inquit, ut hic cubet,<sup>5</sup> illaque secum.  
 Cur etenim data fœmina vel sata, ni patiatur?  
 Sexus id imperat, inquit, ut hæc ferat, ille feratur.  
 Quomodo prandia sic meretricia probra licere,  
 Gens putat ebria scilicet inscia se cohibere.  
 Omnis in omnibus ad mala partibus<sup>6</sup> omnia mundus,  
 Sponte sua ruit, ordine stans fuit,<sup>7</sup> est ruibundus.  
 Ultro relabatur, ultro resolvitur, occidit ultro;  
 Stante libidine, stanteque crimine, jure sepulto.

<sup>1</sup> *stabat*, B.<sup>2</sup> *sacra senecta*, P.<sup>3</sup> *ego*, P.<sup>4</sup> *gemit et jubet*, P.<sup>5</sup> *cubat*, P.<sup>6</sup> *patribus*, P.<sup>7</sup> *fluit*, B.

Qua Thanais fluit, et tropicum subit ora Sienes,  
 Quisque resolvere, nemoque cingere vult sibi renes.  
 Gens asinaria jugiter ebria luxuriatur;  
 Vitaque sobria castaque gratia vituperatur.  
 Quisque velut pecus, aut saliens equus, in scelus hinnit;  
 In Venerem salit, hanc fovet, hanc alit, hinc mala  
 gignit.

Nulla nefaria<sup>1</sup> cernimus omnia pulcra relinqui;  
 Dant sibi vincula carnis, et oscula carne propinqui.  
 Oscula turpia, nilque sororia clancula fratri<sup>2</sup>  
 Congeminat soror, est via, quid moror? ampla barathri.  
 Conseritur genus, omnibus est Venus unica cura;  
 Non modo septimus est gradus ultimus in genitura.  
 Legitimus perit, arva patris terit haud patris hæres;  
 Cum sinit omnia<sup>3</sup> cœca licentia per mulieres.  
 Pignora spuria dat vaga curia nobilitatis;  
 Pluribus ordine dispare, sanguine compare natis.  
 Fervet adultera, nec probat integra fœdera magnes;  
 Herodias vaga pluribus est data, nemo Johannes.  
 Nunc quoque lilia spiritualia prostituuntur;  
 Viva monilia, cœlica lilia subjiuntur.  
 Dos sacra rumpitur, atque resolvitur in probra velum;  
 Quisque sibi cavet, atque Dei pavet edere zelum.  
 Virgineus chorus aret, abit torus immaculatus;  
 Sponsa Dei ruit, omnis homo fluit in probra fractus.<sup>4</sup>  
 Ha! gemit omnia vivere turpia regula casta,  
 Hæc querimonia, sive tragœdia clamat ad astra.  
 Horreo dicere quæ reprehendere sæpe reflammor;  
 Criminis unius heu! ferit obvius æthera clamor.  
 Criminis actio, vociferatio dicitur ejus;  
 Quod Noe tempore nunc scelus affore vel puto pejus.  
 Est modo sanguine, fraude, libidine terra repleta;  
 Ventre modestia, munere gratia, re bona spreta.  
 Omne quod aspicias improbra fornicis est resolutum;

<sup>1</sup> *nefarius*, P.

<sup>2</sup> *clanculo freni*, A.

<sup>3</sup> *Conserit omnia*, P.

<sup>4</sup> *improbra stratus*, B.

Nil stat in ordine, nil stat ab inguine nunc bene  
tutum.

Dæmonialia denique retia stant modo scorta,  
Corpora perdita, tritaque semita, publica porta.  
Luxuries viget, impietas riget, undat iniquum ;  
Inquinat omnia turba nefaria, grex meretricum.  
Vita procacibus est meretricibus ire licenter ;  
Lingua, cor, actio, commaculatio, crapula venter.  
Omnis et unica gloria lubrica carnis amare ;  
Corda voragine, membra libidine commaculare.  
Femina sordida, femina perfida, femina fracta,  
Munda coinquinat, impia ruminat, atterit acta.  
Ad scelus, ad bona, fit mala femina calcar, habena ;  
Est fera femina, sunt sua crimina sicut arena.  
Non eo carpere quas benedicere debeo justas ;  
Sed quia debeo, carmine mordeo mente locustas.  
Nunc mala femina fit mihi pagina, fit mihi sermo ;  
Se<sup>1</sup> satis approbo, sed sua reprobo, persequar ergo.  
Femina nutibus, artibus, actibus, impia suadet ;  
Cogere crimina, totaque femina vivere gaudet.  
Nulla quidem bona, si tamen et bona contigit ulla,  
Est mala res bona, namque fere bona femina nulla.  
Femina res rea, res male carnea, vel caro tota ;  
Strenua perdere, nataque<sup>2</sup> fallere, fallere docta.  
Fossa novissima, vipera pessima, pulcra putredo ;  
Semita lubrica, res male publica, prædaque prædo.  
Horrida noctua, publica janua,<sup>3</sup> dulce venenum ;  
Nil bene conscia, mobilis, impia, vas lue plenum.  
Vas minus utile, plus violabile, flagitiosum ;  
Insatiabile, dissociabile, litigiosum.  
Merx leve vendita, sed cito perdita, serva metalli ;  
Flamma domestica, diligit unica fallere, falli.  
Exstat amantibus hostis, et hostibus exstat amica ;  
Ni petitur petit, idque lucri metit, ut sit iniqua.

---

<sup>1</sup> *Te*, P.

<sup>2</sup> *notaque*, P.

<sup>3</sup> *janua publica*, P.

Sunt sua gaudia, sunt sua propria, lux sua nocte ;  
 Hæc nihil excipit, ex patre concipit, exque nepote.  
 Fossa libidinis, arma voraginis,<sup>1</sup> os vitiorum,  
 Hæc fuit, est, erit, et per eam perit ordo bonorum.  
 Donec erunt sata ruricolis data, credita ruri,  
 Hæc lea rugiet, hæc fera<sup>2</sup> sæviet obvia juri.  
 Hæc furor ultimus, hostis et intimus, intima pestis ;  
 Dum negat illicit, et scelus injicit ipsa<sup>3</sup> modestis.  
 Hæc caro carnea, se lue<sup>4</sup> Prothea mobilitate,  
 Vincere noscitur, hæc pia cernitur impietate.  
 Hæc vitium docet, ars mea non vocet hanc viciosam ;  
 Sed vitium voco, perfidiam probo, nomino noxam.  
 Merx ea plurima, res ea pessima, pessima rerum,  
 Cautior omnibus una fit artibus, ars mulierum.  
 Non lupa nequior hac, quia parcior impetus ejus ;  
 Non draco, non leo ; sed quid ea queo dicere pejus ?  
 Istius omnia non modo noxia sed bona dampnes ;  
 Hoc scelus arguit, enseque corrui ille Johannes.  
 Hæc quia<sup>5</sup> vir fuit Hippolytus ruit, hac ruit Ammon ;  
 Hac Joseph angitur, et coma raditur hac tua, Samson.  
 Hac Ruben, hac David,<sup>6</sup> hac Salomon ruit,<sup>7</sup> hac homo  
 primus ;  
 Hæc dat, agit, gerit, unde pudor perit, unde perimus.  
 Femina cordibus, ore, vel actibus, est draco dirus ;  
 Flamma gravissima serpit in intima quomodo virus.  
 In sua crimina se mala femina pingit, adornat ;  
 Fucat, adulterat, innovat, alterat, atque colorat.  
 Dum scelus instruit, ut leo circuit, ut fera currit ;  
 Currit et ignibus ignis edacibus uritur, urit.  
 Lubrica lumine, fervida crimine, crimen et ipsa,  
 Stans in amoribus, in levitatibus est modo fixa.  
 Glutinat, illicit, ut nimis inspicit insipientem ;

<sup>1</sup> *Fossa foraginis, arma libidinis,*

P.

<sup>2</sup> *hæc vera,* P.

<sup>3</sup> *illa,* P.

<sup>4</sup> *sed lue,* P.

<sup>5</sup> *quoque,* P.

<sup>6</sup> *hac dedit,* P.

<sup>7</sup> *cadit,* B. P.

Et quotiens licet, hanc totiens libet esse nocentem.  
 Quando fidelior et tibi junctior aspicietur,  
 Tunc famulum tibi præficiet, sibi si mage detur.  
 Cor leve, vox levis, atque fides brevis in muliere;  
 Femina munere dat breve ludere, non breve flere.  
 Ultima tristia, primaque dulcia sunt in amore,  
 Criminis istius assolet exitus esse<sup>1</sup> dolore.  
 Pectora perdita primitus excita flamma refflammat;  
 Criminis exitus<sup>2</sup> heu mihi! funditus, heu mihi! clamat.  
 Femina foetida, fallere fervida, flamma furoris;  
 Prima peremptio, pessima portio, prædo pudoris.  
 Propria germina, proh fera crimina! decutit alvo;  
 Edita dissecat,<sup>3</sup> abjicit, enecat, ordine pravo.  
 Femina vipera, non homo sed fera, nec sibi fida;  
 Plasmatis illius, immo sui prius est homicida.  
 Aspide sævior, et furiosior hæc furibundis;  
 Proh truculentia! viscera propria<sup>4</sup> mergit in undis.  
 Femina perfida, femina foetida,<sup>5</sup> femina foetor;  
 Est Sathanæ thronus, huic pudor est onus, hanc fuge,  
 lector.

Et legitur quia plus Domino pia, plus quoque grata  
 Prava virilia quam mulebria sunt bene facta.  
 O mala tempora! cur? quia stercora tot pepererunt;  
 Tantaque sordida, ne loquar horrida, tanta dederunt.  
 Omne bonum ruit, omnis homo fluit in probra<sup>6</sup> quæque;  
 Omne bonum jacet, omne malum placet omnibus æque.  
 Casta cubilia sunt modo vilia, lata petuntur;  
 Conjugalialia sive jugalia pacta<sup>7</sup> sinuntur.  
 Nupta virum sputit, inque viros ruit, hos trahit ad se;  
 Ne cubet unica, ne quasi rustica, dat sua, dat se.  
 Quæ bona femina? cui bona nomina? quæ bene casta?  
 Quæ pia præminet, aut fore sustinet integra claustra?

<sup>1</sup> *obsitus esse*, P.

<sup>2</sup> *excitus*, P.

<sup>3</sup> *Credita desecat*, P.

<sup>4</sup> *propria viscera*, P.

<sup>5</sup> *Femina foetida, femina perfida*,  
P.

<sup>6</sup> *improbra*, B.

<sup>7</sup> *facta*, B., corrected to *pacta*.

Quæ sacra fœdera? ne sit adultera, ne rea, signat,  
 Ne sobolem sine lege vel ordine, ceu<sup>1</sup> lupa, gignat.  
 Ut patris hic puer, hic pueri pater ore notetur;  
 Nil in origine, nil in imagine degeneretur.  
 Stirpsque viro data, patre viro sata, non patre verna,  
 Os patris exerat, ipsaque proferat acta paterna.  
 Cui rata pactio, vel benedictio quæ fit in ara?  
 Cui pia lumina? quæ bona femina? Credite, rara.  
 Rarior hæc avis, hæc nimis est gravis herba repertu;  
 Talia mordeo, talia rideo, non sine fletu.  
 Rara fidem gerit, omnis enim perit ordo marito;  
 Grex sine turture, nam sine passere nulla cupito.  
 Vir populis placet omnibus, ut vacet unica nupta;  
 Pluribus unica fit via lubrica, semita rupta.  
 Vir petit extera, gaudet adultera, publica gaudet;  
 Mox scelus instruit, evocat, annuit, ardet, et audet.  
 Conjugis otia conspicit anxia, læta feretrum,  
 Læta pericula, lætaque vincula, lætaque letum.  
 Jussio Julia, lexque Scatinia, nunc ubi dormis?  
 Vivitur omnibus, et sine legibus, et sine normis.  
 Plurima foemina, plurima crimina, multa ruina;  
 Plurima Lydia, rara Lucretia, nulla Sabina.  
 Nulla fere bona, nullus Amazona nunc videt ullam;  
 Absque procis tribus, hisque procacibus, audio nullam.  
 Tam sine lumine, quam sine crimine vult fere quæque;  
 Tam fore clunica, quam semel unica, diligit æque.<sup>2</sup>  
 Uxor adultera quærit in infera plus quoque mitti,  
 Quam comes unius, O furor impius, esse mariti.  
 Sufficientior et sibi gratior unus ocellus,  
 Quam comes unicus, o furor ethnicus! o rea tellus!  
 Elige quaslibet, excipe qualibet,<sup>3</sup> has coaduna;  
 Non rea corpore, castaque pectore pene nec una.  
 Per varium genus imperitat Venus imperiosis;  
 Flebile! sed quibus? astra flagrantibus, ima perosis.  
 Ipsa coinquinat, et sibi glutinat omnia mundi;

<sup>1</sup> *cui lupa*, B.<sup>2</sup> *unica, pluribus æque*, B.<sup>3</sup> *quolibet*, B.



In sua retia cogit inertia corda refundi.  
 Ipsa voracior atque rapacior ignibus ignis ;  
 Ardet inertibus, et male putribus insita lignis.  
 In Venerem ruit, in coitum fluit omnis ut unus ;  
 Conjugis illius arrha fit istius, est prope funus.  
 Quis modo non pater? et pueros puer instat habere ;  
 Imminet atria tectaue patria prole replere.  
 Quisque suam cupit, et thalamos subit, estque maritus,  
 In Jacob agmine, nec sine semine, sit benedictus.  
 Fit pater, editur,<sup>1</sup> edita traditur huic nova proles ;  
 Patris ad extera, matris ad ubera plurima moles.  
 O nova secula ! nunc quoque parvula nubere gliscit ;  
 Cruda puellula conjugis<sup>2</sup> oscula vimque cupiscit.  
 Dos sibi traditur, annulus additur, arrha dicatur ;  
 Hinc lyricus jocus, inde strepit coquus, esca vagatur :  
 Fervet ovantibus atque canentibus aula choreis ;  
 Pompa sequentibus et præeuntibus est hymeneis.  
 Nec mora, concipit, est gravis, accipit omnia matris ;  
 Plena trahentibus atque bibentibus ubera natis.  
 Major et ardua stirps sua, mox sua stirps dubitatur ;  
 Qui sibi filius est, pater illius esse putatur.  
 Morbida germina<sup>3</sup> gignit et agmina multa libido ;  
 Sæpe parens gravis est, et adest avis afflua nido.  
 Grex cito nascitur, et seges editur, hinc puerorum  
 Fit generatio, multiplicatio crescit eorum.  
 Quid mora ? plurimus ipseque pessimus errat ubique ;  
 Grex hominum sine simplice lumine mentis iniquæ.  
 Rura per omnia pene frequentia spargitur urbis ;  
 Nulla vacantia, nulla carentia sunt loca turbis.  
 Jam loca singula, mors,<sup>4</sup> specus, insula, jugera, prata,  
 Sunt habitantibus atque meantibus assiduata.  
 Jam juga Caspia primitus invia, sunt pede trita ;  
 Non modo maximus est, quia<sup>5</sup> plurimus est heremita.  
 Innumerabilis et miserabilis est hodie gens,

<sup>1</sup> Sic pater editur, P.

<sup>2</sup> Conjugat, B.

<sup>3</sup> gramina, B.

<sup>4</sup> mens, specus, B.

<sup>5</sup> Non quia maximus est, modo, P.

Post mala promptior, in mala pronior, ad mala  
vergens.

Quisque malum docet, et minime nocet esse nocentem ;

Quisque mero calet, et minime valet esse scientem.<sup>1</sup>

Quæritur ocius atque libentius<sup>2</sup> uda taberna

Quam sacra numine<sup>3</sup> splendida lumine templa superna.

Gens bibit impia vina furentia plus satis æquo ;

Fert oleum focus, inde subit jocus<sup>4</sup> ordine cæco.

Gens sitit ebria, vina celebria, Belgica<sup>5</sup> vina ;

Vina furentia vimque ferentia, plena ruina.

His Noe frangitur, his Loth aduritur, ante pudicus,

Hæret edacibus atque bibacibus ardor iniquus.

Qui fore crebrius expetis ebrius atque recumbis,

Ad mera pocula vis cito vincula<sup>6</sup> solvere lumbis.

His cito<sup>7</sup> vinceris, uris, et ureris ignis amore ;

Mens furialibus æstuat ignibus, ossa calore.

Vermis edacior, haud ego mentior, insitus hostis

Est tibi renibus, et viget ignibus intro repostis

Verme libidinis illico desinis esse modestus ;

Hic furit hostibus hostis, et æstibus acrior æstus.

Vina Venus cupit, hac face mens furit, actio fumat ;

Mox stomachus satur, in Venerem datur, improba spumat.

Ob mera pocula primo furit gula, postea venter ;

Mox Venus excita concitat abdita membra furenter.

Sunt fluitantia, stanteque stantia ventre pudenda ;

Hunc cibus, hunc Venus implet, amat scelus, hæc duo  
membra ;

Alterius ruit in phialas, fluit in probra luxus ;

Inde libidinis atque putredinis illico fluxus.

Alterius furor efficit ut pudor abjiciatur,

Ut pereat vigor, intereat rigor, ordo prematur.

Cura stat unica, luctaque publica carnis in esu ;

Ebrietas placet, et tua vox jacet, o bone Jhesu.

<sup>1</sup> In B. these two lines run :—

*Quisque malum docet, et minime  
debet esse scientem.*

*Lege vel artibus, et fore moribus  
insipientem.*

<sup>2</sup> *licentius, P.*

<sup>3</sup> *numina, P.*

<sup>4</sup> *vina subit jocus, P.*

<sup>5</sup> *vel, bellica, A. as a gloss. bel-  
lica, B. P.*

<sup>6</sup> *cingula, P.*

<sup>7</sup> *His male, B. His ubi, P.*

Regnat edax gula, plenaque crapula, corda gravantur  
 Ebrietatibus, improbitatibus exstimulantur.  
 Plena voragine, plena libidine, ventreque plena,  
 Tempora sunt quibus unus amor, cibus, et caro lena.  
 Viscera pastibus, os dare potibus est modo clarum ;  
 Et Venus et gula sunt modo regula ventricularum.  
 Christicolas nego, ventricolas ego dico gulosos ;  
 Nulla nefaria, denique turpia nulla perosos.  
 Nunc bonus est reus, est stomachus deus, est schola  
     venter ;  
 Quisque gulæ studet, ha! piget et pudet ire pudenter.  
 Quod loquar<sup>1</sup> accipe, diruta principe stante cocorum  
 Jerusalem jacet, unda cibi placet, immo ciborum.  
 Semita spernitur atque requiritur ecce platea ;  
 Dant sua vincula cuique prius gula, post Cytherea.  
 Proh dolor! aspice secula triplice stricta furore ;  
 Triplice crimine nexa, libidine, fraude, tumore.  
 Corda superbia, sed Venus ebria corpora nectit ;  
 Corpora cordaque fraus ligat, utraque mors sibi flectit.  
 Sarcina terrea corda premit rea collaque prona ;  
 Corde reflectimur, immo<sup>2</sup> revertimur ad Pharaona.  
 Imus in invia, stamus ad impia, sed male stantes,  
 Prætereuntia vel pereuntia prorsus amantes.  
 Imus et ibimus unde peribimus, unde ruemus,  
 Qui pereuntia sive ruentia sola videmus.  
 Pax flet, amor perit, hic furit et ferit, ille feritur.  
 Mars rigidus<sup>3</sup> fremit, ille stat, hic gemit, in scelus itur.  
 Sanguineum rapit, et rotat, et quatit ira flagellum ;  
 Fert fera spicula, sæva pericula, funebre bellum.  
 Pax viget ethnica, pax ruit unica Christicolarum ;  
 Si bene sentio, junctior<sup>4</sup> unio paxque ferarum.  
 Cernite gens rea, nulla leam lea, non aper aprum  
 Devorat aut secat, et<sup>5</sup> sobolem necat ultio patrum.

<sup>1</sup> loquor, P.<sup>2</sup> imo, P.<sup>3</sup> rigidum, B. P.<sup>4</sup> junctio, A.<sup>5</sup> aut, P.

Spiritualia denique prœlia denique temptat<sup>1</sup>  
 Semper, et impia mens<sup>2</sup> homicidia sæpe cruentat.<sup>3</sup>  
 Ha! pede compare lugeo crescere fasque nefasque;  
 Militat hinc furor, inde manus furor armat utrasque.  
 Guerra parentibus hic, ibi fratribus est uterinis;  
 In sua viscera gens furit, effera<sup>4</sup> regnat Erinnyes.  
 Proh truculentia! funera patria filius ardet;  
 Conqueritur quia mors homini via posthuma tardet.  
 Et pater impius expetit illius ordine pulchro,  
 Ante recondere splendida paupere membra sepulcro.  
 Matris anilia lumina filia claudere gaudet;  
 Flereque funera postea libera quod libet audet.  
 Aspide pocula dant nece pabula plena novercæ;  
 Mors subit effera, qui petit extera divite merce,  
 Dives opes luit, in jugulum ruit hospitis hospes;  
 Rara superstite, nullaque sospite conjuge sospes.  
 Conjuge vir perit, hancque viri ferit ensis acutus;  
 A rigido tener, a socero gener est male tutus.  
 Persequitur nece, si minus, aut prece frater amicum;  
 Quem nequit ensibus, opprimit artibus, O cor iniquum.  
 Gens sibi noxia, turba præimpia sunt sibi damno;  
 Proximus est tibi, mutuo tu sibi quod lupus agno.  
 Gratia corrui, atque refriguit ignis amoris;  
 Est modo perdita regia semita, semita moris.  
 Cassaque lumine plenaque crimine corda gelantur;  
 Frigida pectora, veraque frigora stare probantur.  
 Gratia corrui, algor inhorrui amplior Istro;  
 Est populos sine moribus, ordine, rege, magistro.  
 Lex Domini ruit, huicque caput fluit undique rore;  
 Qui tepidos bonus, O gravis hic sonus, evomit ore.  
 Denique quid moror? et tumor et soror ira tumoris  
 Stant super omnia, frausque bifaria cordis et oris.  
 Gens proba transiit, improba prodiit, atque probrosa,  
 Garrulitatibus, ebrietatibus officiosa;

<sup>1</sup> *temptant*, B. *prœlia nos male temptant*, P.

<sup>2</sup> *mentem*, P.

<sup>3</sup> *cruentant*, B. P.

<sup>4</sup> *ebria*, P.

Plena pigredine,<sup>1</sup> plena libidine, crimine plena,  
 Callida pectore, parvaque corpore,<sup>2</sup> frontis egena.  
 Patria pectora,<sup>3</sup> patria robora fert prope nemo ;  
 A patre filius est quasi Sisyphus a Polyphemo.  
 Forma parentibus atque nepotibus haud manet una ;  
 Corporis omnia deficientia sunt quasi luna.  
 Corporis ut status excidio datus est, ita mentis ;  
 Gens scatet arida, corpora languida, cordaque gentis.  
 Pectore pessimus et sibi proximus est modo quisque ;  
 Qui tibi supplicat, intima duplicat arte dolisque.  
 In duo scinditur, unio solvitur alteritate ;  
 Schismate foedera, simplaque viscera duplicitate  
 Ille fit istius, iste <sup>4</sup> fit illius hostis, amicus ;  
 Ridet et invidet, abstat <sup>5</sup> et assidet, æquus, iniquus.  
 Perditur irrita regia semita simplicitatis ;  
 Induit impia fictio pallia duplicitatis.  
 Vos volo credere quod volo dicere, pseudopphetas ;  
 Nulla feracius aut <sup>6</sup> numerosius hæc tulit ætas.  
 Denique sordibus interioribus hi Pharisæi  
 Sunt via lubrica, janua publica perniciæ.  
 Pestis inhorruit, agmen et irruit hypocritarum,  
 Hispida corpore, lubrica pectore gens tenebrarum.  
 His sacra nomina, sacraque tegmina, corda superba ;  
 Agnus eis patet in tunica, latet anguis in herba.  
 Sunt petulantia corda,<sup>7</sup> rigentia fronte Catonis,  
 Cerea moribus, ærea vultibus <sup>8</sup> in mala pronis,  
 Corda minacia, corda rapacia, corda lupina,  
 Fucat imagine, palliat ordine vestis ovina ;  
 Corda tumentia, corda carentia monade cordis ;  
 Sunt pia frontibus,<sup>9</sup> impia fructibus, atria sordis.  
 His dolus additur, ut coma <sup>10</sup> raditur et mutilatur ;  
 Fingit ovem lupo, atque rosæ rubus assimilatur.  
 His mera pocula, pluraque fercula regula tota ;

<sup>1</sup> *Plena putredine*, B.<sup>2</sup> *robore*, with *vel pondere* written above, B.<sup>3</sup> *Patria corpora*, P.<sup>4</sup> *ille*, P.<sup>5</sup> *obstat*, B. P.<sup>6</sup> *ac*, P.<sup>7</sup> *corde*, P.<sup>8</sup> *vultibus ærea moribus*, P.<sup>9</sup> *pia vultibus*, P.<sup>10</sup> *non coma*, B.

His locus unio, jus simulatio, lex sua vota.  
 Scandala, schismata, nullaue sabbata mentis in illis ;  
 Denique tollitur actibus, additur ordo capillis.  
 Forpice, pectine crinis, et ordine canonizantur ;  
 Insipientior hic ego mentior? at simulantur.  
 Fronte vetustior, et quasi justior unus eorum  
 Inferioribus ordine fratribus, est schola morum.  
 Cor mala ruminat, os bona seminat, et bona fatur.  
 O pudor, O scelus! est Sathan, angelus esse putatur.  
 Est Sathan actibus, ipseque vocibus angelus idem ;  
 Quod sonus edocet, actio dedocet, hostis eidem.  
 Nec sua turpia, nec videt impia,<sup>1</sup> fratribus Argus ;  
 Eloqui sator et veniæ dator est sibi largus.  
 Corda carent<sup>2</sup> sene dicta, senis bene dicta probantur ;  
 Membra senilia sub juvenilia vota citantur.  
 Vulpe lupum tegit, ordine se regit exteriori ;  
 Ore patet bonus, inque suo dolus interiori.  
 Mens male conscia, sarcina propria proxima pestis,  
 Se sibi subjugat, effugit, effugat intima testis.  
 Frons gerit Hectora, vincere Nestora creditur ætas ;  
 Est cutis arida, fertque per hispida brachia setas.  
 Jam prope funera pollice dextera computat annos,  
 Cumque senex labet hic, animos habet ipse tyrannos.  
 Jam quid apertius? en Cato tertius æthere missus,  
 Fronte severior, in cute justior, intro remissus.  
 Est Cato<sup>3</sup> tempore, cernitur affore Maurus Hiarba ;  
 Hinc Venus evirat, inde virum parat<sup>4</sup> hispida barba.  
 Frons hominem gerit, intus homo perit, est lupus intus ;  
 Sed tua gloria stat tibi filia regis abintus.  
 Quid mora nectitur? ordo relinquitur, ad mala statur ;  
 Stat simulatio, morigeratio ludificatur.  
 Irrita dextera sit sibi littera Pithagoræa ;  
 Dextra tibi jacet et scelerum placet ire platea.  
 Arcta relinquitur, et via carpitur ampla quibusque ;

<sup>1</sup> *Nec videt impia, nec sua turpia,*  
P.

<sup>2</sup> *Corde carent,* P.

<sup>3</sup> *Est caro,* B.

<sup>4</sup> *facit,* P.

Quærimus inuia, fluxa, fluentia, confluimusque.  
 Architriclinia, sceptrâ, sedilia prima petendo,  
 Quisque tumultuat, instat, et æstuat hæc satagendo.  
 Mundus honoribus est neque moribus omnis anhelus;  
 Sunt modo<sup>1</sup> stantia luxus, inertia, fictio, zelus;  
 Stant<sup>2</sup> simulatio, dissimulatio, crimen utrumque;  
 Alea, crapula, fraus, facinus, gula, flagitiumque;  
 Ora bilingua, lis, homicidia, Mars, tuba, terror;  
 Vis, probra, jurgia, quid moror? omnia quæ docet<sup>3</sup> error.  
 Talia germina scilicet agmina sunt vitiorum;  
 Germina talia sunt capitalia vulnera morum.  
 Prima superbia suadet in inuia pergere mentem;  
 Ingerit agmina, maxima crimina,<sup>4</sup> crimina septem.  
 Prima superbia jusserat<sup>5</sup> impia, grex ululatum;  
 Prima cor obsidet, et cito possidet hoc<sup>6</sup> grege stratum.  
 Hæc manet,<sup>7</sup> hic ruit, et bona subruit, et mala servat;  
 Stante libidine, stanteque crimine, crimen acervat.  
 Mascula pignora vivaque pignora<sup>8</sup> mergit Hebræi;  
 Sed muliebria servat et omnia mollitiei.  
 O mala secula! Cur? quia regula nulla tenetur;  
 Promptus ad extima, doctus ad intima, stultus habetur.  
 Non patientia, sed violentia dat modo pacem;  
 Qui tacet esurit, et lucra parturit esse loquacem.  
 Lingua sophistica, lingua tyrannica, lingua forensis,  
 Præcipit omnia, percutit obvia, qualiter ensis.  
 Lingua volubilis est modo nobilis, huc ades, audit;  
 Mutus episcopus, ordine reprobus, ostia claudit.  
 Nil tumidum sapis, aut pecus aut lapis esse probaris;  
 Es quasi vipera; pectora libera testificaris.  
 Nunc male<sup>9</sup> reddere gloria, cedere culpa tenetur;  
 Irreverentia laus, patientia crimen habetur.  
 Quam stipe vivere, non mala reddere tam pudet æque;

<sup>1</sup> *Stant modo*, P.<sup>2</sup> *Stat*, B. P.<sup>3</sup> *me docet*, P.<sup>4</sup> *crimina maxima*, P.<sup>5</sup> *jussa dat*, P.<sup>6</sup> *hæc*, P.<sup>7</sup> *monet*, P.<sup>8</sup> *robora*, P.<sup>9</sup> *mala reddere*, B. P.

Ad scelus, ad probra, gens viget improba<sup>1</sup> nocte dieque  
 Heu! mala mentio, pejor et actio, pessimus usus,  
 Stat modo criminis, est vigor ordinis ille retrusus.  
 Tot nego sobria corda quot ostia reffua Nili;  
 Tot pia viscera quot vaga sidera nunc reperiri.  
 Sicubi quem fore, simplice pectore cerno modestum;  
 Id rude<sup>2</sup> deputo, monstraque computo, pectus honestum.  
 Comparo turribus<sup>3</sup> æquor arantibus arida velis,  
 Ruraque piscibus, aera navibus, astra camelis.  
 Flaccus Horatius et Cato, Persius et Juvenalis;  
 Quid facerent rogo si foret his modo vita sodalis?  
 Temporis istius acta Lucilius ille stuperet;  
 Et sua prospera sanctaque tempora non reticeret.  
 Diceret optima quæ fore pessima tempora dixit;<sup>4</sup>  
 Scriberet aurea, quæ nigra, quæ rea,<sup>5</sup> quæ mala scripsit.  
 Prospice secula, prospice singula mersa tenebris;  
 In mala labere, lapsus amabere, rectus egebis.  
 Vis mala linquere, recta capescere, vivere recte;  
 Es lyra publica, scena theatra fit tibi de te.  
 Proh dolor! omnia mergit in impia, vera Charybdis;  
 Crimina congere primus<sup>6</sup> habebere, maximus ibis.  
 Vis requiescere, tutoque vivere, vis tibi pacem?  
 Leno potentibus esto reatibus, unge minacem.  
 Facta videns rea, percipe caprea lumina talpæ;  
 Visa tuo cito corde repellito, radito, scalpe.  
 Si mala prodere, crimina rodere vis aliena,<sup>7</sup>  
 Nil tibi consulis, insuper exulis est tibi pœna.  
 Fert fera jurgia, pungere turpia nunc vitiorum;  
 Est probra carpere, veraque dicere fons odiorum.  
 Est mihi sarcina qui mea crimina vel bene prodit,  
 Mens male conscia<sup>8</sup> luminis omnia rodit, et odit.  
 Gens bibit ebria pocula noxia, pocula lethes;

<sup>1</sup> *impia*, P.<sup>2</sup> *Ac rude*, P.<sup>3</sup> *curribus*, P.<sup>4</sup> *quæ sua tempora pessima dixit*,  
P.<sup>5</sup> *quæ nigra vel rea*, P.<sup>6</sup> *congere magnus*, P.<sup>7</sup> *alienas*, P.<sup>8</sup> *mala conscia*, P.



Quæ morientibus invenit omnibus ille poetas.  
 Quisque mali memor unius immemor est pietatis,  
 Justus eget lare, nemo bonis dare vult sua gratis.<sup>1</sup>  
 Singula censibus, omnia mercibus, at sine nummo  
 Nil, ubi nil geris ; heu ! casa pauperis est sine fumo.  
 Divitis atria seu laquearia celsa renident ;  
 Mascula pignora primaque robora nunc sibi rident.  
 Accubat affluus, ambulat arduus ipse liburno ;  
 Et quotiens placet, in thalamo jacet altus eburno.  
 Mane coquos citat, et stomacho litat illico taurum ;  
 Mellea pocula crassaque fercula sustinet aurum.  
 Nox sibi sompnia, sol dare prandia festa recurrit ;  
 Par barathro gula quid nisi secula tota ligurrit.  
 Nidor ei sapit, atque gulam rapit esca culinæ ;  
 Sunt sua prandia, fœnera, jurgia, lucra, rapinæ.  
 Est homo bestia, ventris et hostia, bestia nempe,  
 Ventreque turgida, denteque vivida, mortua mente.  
 Vult bona prandia, vult bona prædia, vult bona prata ;  
 Vult bona pocula, vult bona fercula, nil bona facta.  
 Res valet, æs sapit, his titulos<sup>2</sup> rapit, archa diebus ;  
 Lingua, scientia, vitaque sobria, nil sine rebus.  
 Munera ditibus, at flagra mitibus ingeminantur ;  
 Jura minoribus, inferioribus arma minantur.  
 Omnia præcipit, insuper accipit omnia nummus ;  
 Dives et inclytus, æreque præditus, arceque summus.  
 Terrea possidet, hæc sibi, providet, auget, acervat ;  
 Forte latronibus illa vel hostibus aucta reservat.  
 Denique scrinia fracta vel ostia flens magis<sup>3</sup> aret,  
 Quam sua pignora caraque corpora si tumularet.  
 Secula circinat, impia ruminat, ima volutat ;  
 Itque per æquora, per juga, per fora, sidera mutat.  
 Trans mare nititur, exulat, utitur orbe recenti ;  
 Dant sibi littora, dant maris æquora, non freta venti.

---

<sup>1</sup> vult modo gratis, P.

<sup>2</sup> his tumulos, P.

<sup>3</sup> ostia plus magis, P.

Res sua frivola, mens sua<sup>1</sup> subdola, sors sua flenda;  
 Vendita sompniat, empta perampliat, aretat emenda.<sup>2</sup>  
 Lucra lucris parat, et graphiis arat<sup>3</sup> illa vel ista;  
 Debita condita,<sup>4</sup> quæque recondita divite cista.  
 Huic requiescere dulce sub aggere<sup>5</sup> divitiarum;  
 Sæpe revolvere diligit, addere sæpius aurum.  
 Denique deficit, his quia proficit, aret inundans;  
 Mammona creditur,<sup>6</sup> et sitis additur, O sitis undans.  
 Fit sine nomine nominis omine Tantalus ille;  
 Sunt sibi<sup>7</sup> gaudia lucra, pecunia, prædia, villæ.  
 Horrea construit, omnibus affluit unus opimus;  
 Ad bona serior, ad mala promptior, ad fora primus.  
 Dives ad omnia concitus impia,<sup>8</sup> tardus ad æquum;  
 Ut rosa cernitur, ut rota sternitur,<sup>9</sup> et sua secum.  
 Stans hodie cluit, ipseque cras ruit, ipse sed alter;  
 Mane videt sua dives, et hæc tua vespere pauper.  
 Dormiet affluus, illico mortuus omnia perdet;  
 Mox sua non sua latro feret sua, se nece sternet.  
 Ut folium<sup>10</sup> leve subtrahit ad breve fur sua, mors se,<sup>11</sup>  
 Deserit<sup>12</sup> omnia tunc lucra noxia, stant sibi novæ.  
 Quæ labor intulit annuus abstulit<sup>13</sup> una vel hora,  
 Divitis omnia, quæque nitentia, quæque decora.  
 O miserabilis, o sibi flebilis,<sup>14</sup> o miser idem;  
 Quanto pecunia, tanto modestia crescit eidem.  
 Pertimet omnia, quem sua copia reddit egentem;  
 Res sua possidet, auget, et obsidet undique mentem.  
 Cura cor anxiat,<sup>15</sup> angor inebriat, impedit error;  
 Pallet ei color, hinc dolus, hinc dolor, undique terror.  
 Sompnus inania multaue sompnia nil sibi præstant;<sup>16</sup>

<sup>1</sup> *Res sibi frivola, mens sibi, P.*

<sup>2</sup> *temenda, P.*

<sup>3</sup> *et gratiis arat, P. grafis, B.*

<sup>4</sup> *credita, P.*

<sup>5</sup> *sub agmine, P.*

<sup>6</sup> *conditur, B. P.*

<sup>7</sup> *Sunt sua, B. P.*

<sup>8</sup> *et est citus, P.*

<sup>9</sup> *vertitur, P.*

<sup>10</sup> *solum, P.*

<sup>11</sup> *mox se, P.*

<sup>12</sup> *Desinit, B.*

<sup>13</sup> *enim abstulit, P.*

<sup>14</sup> *O sibi flebilis, o miserabilis, P.*

<sup>15</sup> *cur anxiat, P.*

<sup>16</sup> *nil ea præstant, P.*

Luce negotia, nocte minacia visa molestant.  
 Scrinia frangere, cætera tollere, latro videtur;  
 Dives egens tremit, evigilans<sup>1</sup> gemit, idque veretur.  
 Illico surgitur, archa revolvitur, æs reperitur;  
 Noctis abit mora, lux vocat ad fora, merx strepit, itur.  
 Post lucra cursitat, in lucra militat, ad lucra spirat;  
 Spirat, et æquora<sup>2</sup> nauta, pedes fora sæpe regirat.  
 Per mala maxima, per flagra plurima, vitat egere;  
 Fraudat, et eripit, id dat, id accipit,<sup>3</sup> æs novat ære.  
 Pauca suis dare, nil tibi, Lazare,<sup>4</sup> quærit avarus;  
 Fletus inest tibi, fletus erit sibi; qualis? amarus.  
 Nunc locuples eat, expleat, impleat impia vota;  
 Post breve defluet, illaque corruet<sup>5</sup> area tota.  
 Quomodo glarea decidet area divitiarum;  
 Copia concidet, area decidet, et vir earum.  
 Lucra ruentia, prætereuntia lucra patenter.  
 Vult, voluit, volet, et colit et colet hæc homo semper.  
 Dum dabit Anglia lac, ebur India, Smyrna cicadam,  
 Per fora, per juga, curret agens lucra plurimus Adam.<sup>6</sup>  
 Lucra, pecunia, res, opulentia, nunc dominantur;<sup>7</sup>  
 O mala lacrima pauperis optima, nullificantur.<sup>8</sup>  
 Plurima prædia, sive peculia, fraude lucratus,  
 Nunc benedicitur, ipseque dicitur esse beatus.  
 Quisque palatia vult sibi grandia, construit ædes;  
 Hic quasi propria secla per omnia sit sibi sedes.<sup>9</sup>  
 Nemo perennia construit atria, terrea cuncti;  
 Atria splendida, castraque florida, sunt rosa mundi.<sup>10</sup>  
 Pingimus atria, turba nefaria, gens Chananæa;  
 Atria marmore, forsitan arbore<sup>11</sup> structa Sabæa;  
 Pingimus atria, Christus ad ostia nostra gemiscit;

<sup>1</sup> *et vigilans*, P.<sup>2</sup> *ad æquora*, P.<sup>3</sup> *æs dat et accipit*, P.<sup>4</sup> *corruet, illaque defluet*, P.<sup>5</sup> *nil tibi tradere*, B.<sup>6</sup> *i. homo*. Gloss in A.<sup>7</sup> *dominatur*, P.<sup>8</sup> *nullificatur*, P.<sup>9</sup> This and the previous line are transposed in B. and P.<sup>10</sup> *sit tibi sedes*, B.<sup>11</sup> *forsan et arbore*, P.

Nos dape tendimur, et bene pascimur, ille famiscit;  
 Nos male crapula solvit, agit gula, tibia frangit;  
 Ille sitit, gemit, esurit, et<sup>1</sup> tremit, et grave plangit;  
 Nos grue<sup>2</sup> pascimur, ansere vescimur, ille neutro;<sup>3</sup>  
 Ha! reus ungitur, et Deus angitur, ordine pulcro.<sup>4</sup>  
 Nos ave, nos ove, nos sue, nos bove, pascimur,<sup>5</sup> hic  
 non;

Pectora saxea stringit et ærea viscera dæmon.  
 Gens sumus ebria, gens sumus impia, dæmone plena;  
 Pessima natio, prava creatio, gens aliena.  
 Fercula plurima quærimus, optima pondera<sup>6</sup> ventri;  
 Vilia mittimus, immo relinquimus esurienti.  
 O mala secula! cur? quia singula nunc vitiantur;  
 Illaque luxibus, improbitatibus ista ligantur.  
 Dis stat,<sup>7</sup> inops ruit, hunc populus spuit, excolit illum;  
 Stultus habens fremit, inque probos emit ille sigillum.  
 Jus periit, quia lata patet via luxurie,  
 Garrulitatibus, ebrietatibus, ingluvei.  
 Carnis amantibus, ordinis hostibus invidiosis.  
 Concubitoribus, irreverentibus, ambitiosis,  
 Nulla nefaria nullaque turpia non peraguntur;  
 Re modo perdita<sup>8</sup> non prius agnita voce geruntur.  
 Ingenialia, vel furialia, crimina fiunt;  
 Illa novissima tempora pessima jam patefiunt.  
 Nam meretricia pœne cubilia nil reputantur,  
 Et venialia quod genialia sint<sup>9</sup> vocitantur.  
 Frons perit omnibus in lue stantibus, in probra stratis;  
 Quando boni minus, amplior aut sinus improbitatis?  
 Quando nefaria plus dominantia? quando malorum  
 Copia latior? aut fuit arctior area morum?  
 Si Deus impia, si capitalia cuncta juberet,

<sup>1</sup> *gemit, æstuat, et, P.*

<sup>2</sup> *Nos grave, P.*

<sup>3</sup> *ille nec ullo, P.*

<sup>4</sup> *ordine nullo, P.*

<sup>5</sup> *vescimur* in A. as a various reading. *vescimur*, B. P.

<sup>6</sup> *optima pocula, P.*

<sup>7</sup> *Distat inops, P.*

<sup>8</sup> *prodita, P.*

<sup>9</sup> *sunt, P.*

Quis vigilantius illa, quis amplius ista<sup>1</sup> teneret?  
 Si scelus addere, sobria spernere jure liceret,  
 Quis magis adderet hæc, ea sperneret atque caveret?  
 Per varium genus omne caput Venus una sagittat,  
 Quisque salubria, nemo nefaria promere vitat.  
 Ob mala grandia si modo præmia celsa darentur,  
 Non mala promptius aut bona tardius appeterentur.  
 Dum loquor, horreo,<sup>2</sup> non scio, non queo, non volo  
 fari  
 Fanda nefandaque, quis queat utraque vel lacrimari.  
 Quæ rogo flumina, quæve volumina sint lacrimarum  
 Sufficientia tergere turpia tot furiarum?  
 Si furialia dixero talia, non erit æquum,  
 Si scelus est minus, heu! jacet eminus actio legum.  
 Carmen arans fleo, carmine non queo, non queo prosa,  
 Tot mala dicere, probra retexerre, ferre probrosa.  
 Plurima sunt ea, desit<sup>3</sup> eis mea vox referendis;  
 Non ea vocibus, est pudor omnibus his retegendis.  
 Deficiet scio charta, locutio, tempus, et hora,  
 Si volo tangere, si reprehendere vel graviora.  
 Musa quidem mea jam nimis est ea lassa patrare;<sup>4</sup>  
 Non tamen est rea progenies ea<sup>5</sup> lassa notare.<sup>6</sup>  
 Ergo parum stylus isteque dactylus hic reprimetur;  
 Secula perdita, post quoque subdita musa loquetur.  
 Alta per æquora currimus, anchora nunc jaciatur;  
 Vis ubi plenior auraque grandior ibit, eatur.

*Explicit liber secundus. Incipit tertius.*

<sup>1</sup> *illa*, P.

<sup>2</sup> *hæreo*, P.

<sup>3</sup> *defit*, P.

<sup>4</sup> *notare*, P.

<sup>5</sup> *ea progenies rea*, P.

<sup>6</sup> *notare*, P. B has, instead of this line, *Quæ pede pervia, laude sed invia vult penetrare.*

## BERNARDI MORLANENSIS

## DE CONTEMPTU MUNDI.

## LIBER TERTIUS.

Perdita secula, moribus æmula, prævaluerunt;  
 Sunt sine nomine qui sine crimine vivere quærunt.  
 Aurea secula pacis et oscula deperiere;  
 Secula perfida, secula fœtida<sup>1</sup> sunt modo vere.  
 Secula fœtida, non voco sordida, sed voco sordem;  
 Sordibus afflua, non voco mortua, sed voco mortem.  
 O mala tempora! perfida pectora nobilitantur;  
 Fraude carentia, criminis inscia, bruta vocantur.<sup>2</sup>  
 Fraus decus obtinet, arteque præminet, arte potitur;  
 Quartus homo sine<sup>3</sup> fraudis acumine vix reperitur.  
 Fraus ore simplice, fraus dupla duplice compta colore,  
 Fert dupla pallia, continet impia corde, mel ore.  
 Diploidem gerit, intus enim ferit, in cute ridet,  
 Scorpio fraudibus interioribus ore renidet.  
 Hei mihi! quo ferar? et quærer, et quærar ista quærelæ;  
 Subdita tempora, persequar ulcera clausa medelæ.  
 Ardeo corpore, cogor et edere non sat honeste,  
 Plena furoribus hæc, ea sordibus, omnia peste.  
 Nunc Venus æstuat, ira tumultuat, æs dominatur,  
 Norma relinquitur, unio scinditur, ordo fugatur;  
 Stat petulantia, deest reverentia, luxus inundat,  
 Sobrius indiget, hypocrisis viget, error abundat;

---

<sup>1</sup> *Secula fœtida, secula perfida, P.*

<sup>2</sup> *necantur, A.*

<sup>3</sup> *Qualiter ars sine, B.*

Præminet uncia,<sup>1</sup> præest opulentia, servit egestas,  
 Floret inertia, flet pia gratia, mœret honestas ;  
 Flet sacra regula, venditur infula, Simon amatur,  
 Fictio judicat, aureus emicat, arca minatur ;  
 Qui tumet, enitet, ars pia delitet, impia claret,  
 Pauperies ruit, affluus affluit, aridus aret ;  
 Jus crucifigitur, ultio quæritur, arma reident ;  
 Justior exulat, indigus ejulat, improba rident.  
 Gratia deperit, et pudor interit, occidit ordo ;  
 Ordo relinquitur, et male psallitur in decachordo.  
 Mens pia vapulat, utilis exulat, utile marcet ;  
 Recta remissio, rem simulatio,<sup>2</sup> jus dolus<sup>3</sup> arcet.  
 Ad probra cedere, turpeque vivere, dat modo quæstum ;  
 Ad probra curritur, utile perditur, aret honestum.  
 Stat schola criminis, occidit ordinis, ad mala statur ;  
 Impius ungitur, ha ! pius<sup>4</sup> angitur et lapidatur.  
 Falsa dat oscula, vera pericula frater amico ;  
 Lex sacra rumpitur, et male subditur æquus iniquo.  
 Stant mala secula, stant probra, stat gula, fraus stat,  
 abit frons ;  
 Dis stat, inops jacet, heu ! sapiens tacet, angitur insons.  
 Quisque fluentia, nemo manentia captat habere,<sup>5</sup>  
 Nemo salubria, spiritualia nemo videre.  
 Gens viget invida,<sup>6</sup> vesteque fulgida, gens tenebrarum ;  
 Cui sua condere,<sup>7</sup> non sua tollere, nil dare, clarum.  
 Quomodo vestibus hæc ita mentibus est variata ;  
 Est variabilis, est reprobabilis, est reprobata.  
 Adde quod algida corde, quod invida, plenaque felle,<sup>8</sup>  
 Mutuo dissidet, opprimit, invidet, estque rebellis.  
 Mundus ad omnia volvitur impia, sordibus hirtus ;  
 Crimen inhorruit, unica corruiit unica virtus.  
 Innumerabile, debile, labile, stat genus Evæ ;

<sup>1</sup> unica, P.<sup>2</sup> fit simulatio, P.<sup>3</sup> dolor, B.<sup>4</sup> at pius, P.<sup>5</sup> curat habere, P.<sup>6</sup> impia, P.<sup>7</sup> sua credere, B.<sup>8</sup> plenaque fellis, P.

Dic, mea tibia, tolle tragœdia flebile, vœ! vœ!  
 Gens male libera tendit ad infera calle sinistro;  
 Nil nisi flebile, nil nisi debile,<sup>1</sup> sole sub isto.  
 Sermo Dei tacet, ordo perit, placet alea fati;  
 Esse pium pudet, omnis homo studet impietati.  
 Per caput istius iste, per illius<sup>2</sup> ille licenter  
 Jurat, et abnuit omne quod eruit irreverenter.  
 Tollit in æthera, proh male! libera brachia latro;  
 Jurat et omnia purget ut obvia crimina sacro.  
 Depositum negat, utque scelus tegat est scelerosus;  
 Non timet abdere<sup>3</sup> rem, neque tangere sacra probrosus.  
 Qui male<sup>4</sup> conscius evolat ocus, occupat aras;  
 Denegat abdita, quæ sibi credita salva putaras.  
 Per sua lumina, per sacra numina, per Crucifixum,  
 Jurat alacriter, atque procaciter urget id ipsum.  
 Pejerat heu! leve, sicque lucrum breve fert homo fictus;  
 Nec sibi criminis ultio fulminis irruit ictus.  
 Nec sibi pes dolet, ambulat ut solet alite dextro;  
 Omnia prospera dat Deus, aspera nulla scelesto.  
 Stans tua<sup>5</sup> quærere, quæris et addere monomachiam;<sup>6</sup>  
 Duplice corpore suspicis affore<sup>7</sup> sponte Goliam.  
 Te ferus opprimit, et tibi comprimit ora manusque,  
 Vincit,<sup>8</sup> inania sunt tua prælia, causaque, jusque.  
 Fit tibi frigida, fit tibi<sup>9</sup> fervida lympha probamen;  
 Id quoque proferet, haud sibi perferet<sup>10</sup> esse gravamen.  
 Omnia debita sunt tibi<sup>11</sup> reddita voce, nihil re;  
 Ille tenet sibi quam repetis tibi, rem tenet ille.  
 Transeo carmina, tactaque limina sortilegorum;  
 Transeo crimina<sup>12</sup> vel speculamina mechanicorum.<sup>13</sup>

<sup>1</sup> *Nil sibi debile, nil sibi flebile, P.*

<sup>2</sup> *Per caput illius iste vel istius, P.*  
*illius iste per istius, B.*

<sup>3</sup> *addere, B.*

<sup>4</sup> *quam male, P.*

<sup>5</sup> *Stas tua, P.*

<sup>6</sup> *i. similem Goliae. Gloss in B.*

<sup>7</sup> *conspicis affore, P.*

<sup>8</sup> *vicit, B.*

<sup>9</sup> *Fit sibi . . . fit sibi, B. P.*

<sup>10</sup> *Id quoque perferet, haud sibi proferet, P.*

<sup>11</sup> *sibi, P.*

<sup>12</sup> *Transeo carmina, P.*

<sup>13</sup> *metameorum, A.*



O facinus grave! vir putat ex ave fata<sup>1</sup> doceri;  
 Pennaque vulturis exprimit auguris omen haberi  
 Dexteram plaudere, levaque plangere pennula tradit;  
 Graculus obviat, ille repatriat, ardea vadit.<sup>2</sup>  
 Stella comas dedit, ille cito redit in sua castra,  
 Fata scit inscius, est liber illius ales et astra.  
 Hactenus hæc satis; ulterius ratis hæc mea tendat.  
 Quæ mala, quæ rea, quæ nigra sunt,<sup>3</sup> mea vox reprehendat.

Mens modo<sup>4</sup> conscia, fraudis et inscia, sorte sub æqua,  
 Vir malus<sup>5</sup> est bonus, est bonitas onus, o via cæca!  
 Fratris amor ruit, atque Dei ruit,<sup>6</sup> est modo ventris,  
 Curaque plurima corporis ultima, nullaque<sup>7</sup> mentis.  
 Stat schola criminis, et sitis inguinis atque palati;  
 Damna pudor pavet, ha! probitas favet improbitati.  
 Vir sine crimine, lite, cupidine, felleque pingui  
 Est, neque mentior, est bove rarior ille trilingui;  
 Ocius aliger hircus, olor niger invenientur;  
 Ante triceps pecus, ante biceps equus exorientur.  
 Crimine plectitur et cruce sternitur æquus iniqui;  
 Et nimii modus, et reprobis probus, ordoque ficti.  
 Gens Belial sine lege vel ordine qui sua quærent,  
 Quæ Domini minus est, pudor minus, æque ruerunt.  
 Plura nefaria, major inertia non fuit unquam;  
 Qui rosulas petit, innumeram metit, heu! saliancam.  
 Nemoque talia, tanta tot impia vellere curat;  
 Nemo sat imminet, ut bona seminat, ut scelus urat.  
 Sobrius actibus est gravis omnibus, omnibus unus;  
 Quisque<sup>8</sup> superfluous est quasi mortuus, est quasi funus.  
 Vix stat in agmine legis agens bene ista vel unum,  
 Qui reprobet probra, qui faciat bene iotha vel unum.<sup>9</sup>  
 Stant fera vulnera, nullaque dextera, vel prope nulla,  
 Vel mala vellere, vel bona ponere suscipit ulla.  
 Grex flet amarius, est operarius in grege rarus.

<sup>1</sup> *facta*, P.

<sup>2</sup> This line and the thirty which follow are wanting in MS. A.

<sup>3</sup> *quæ nigra, quæ mea vox*, P.

<sup>4</sup> *mens mea*, P.

<sup>5</sup> *ut malus est bonus*, P.

<sup>6</sup> *stuit*, P.

<sup>7</sup> *nullave mentis*, B.

<sup>8</sup> *Nilque superfluous*, P.

<sup>9</sup> *qui faciat bona nullus ad unum*, P.

Pontificum status excidio datus, exstat avarus.  
 Sternite, sternite,<sup>1</sup> gutture sospite, pseudomagistri,  
 Vestraque stent prius, ordo jubet pius, hinc lucra Christi.  
 Solvit inertia luxus et otia, cum grege clerum ;  
 Nunc gula regula, vox sacra fabula, fabula verum.  
 Vis bona dicere, diceris edere gesta novella,  
 Risus es omnibus, et quasi cornibus hirta capella.  
 Sus ruit, æs viget, ha ! pudet et piget esse pudicum ;  
 Floret honoribus, affluit omnibus ausus iniquum.  
 Ausus atrociam, nescius otia ferre vir extat ;  
 Exprimit Hectora qui fera pectora crudaque gestat.  
 Accipis atria, nomina, prædia, si scelus audes,  
 Pocula mellea dat, replet horrea, tendere fraudes.  
 Vis tibi culmina, suggere crimina, cernere pare,<sup>2</sup>  
 Da, rape, fer, preme, frange, tona, fremere, fare,<sup>3</sup> minare,  
 Crimina culmine, culmina crimine plena feruntur ;  
 Fers fera cornua, culminis ardua quære, dabuntur.  
 Barba vocabere, sceptrum lucrabere si mala quæris,  
 Si mala præficis et bona dejicis, antefereris.  
 Vivis iners homo, nomen habes Dromo, si bene vivis ;<sup>4</sup>  
 Si male, rex eris, æquiparaberis ordine divis.  
 Tisiphone fremit, heu ! nocet, et premit esse benignum ;  
 Ars mea<sup>5</sup> te beat, atque ducem creat, ut duce dignum<sup>6</sup>.  
 Arcte levaberis, unus eras, eris altus, opimus ;  
 Altus honoribus, exterioribus ordine primus.  
 Si prior incipis impia, principis ad latus ibis ;  
 Principis ad latus ibis, eris status his, tremor illis.  
 Consiliarius, atque vicarius, et lateralis  
 Regis habebis, atque foveberis illius alis.  
 Qui bene vivere vult, ruit aggere, qui secus, est rex ;  
 Frons perit et pudor ; ira stat et pudor, ordo flet et lex.  
 Impatientia, fraus, petulantia, fert, petit,<sup>7</sup> urit ;  
 Schismata, scœnera, ferrea pectora, mors ita currit.

<sup>1</sup> *stertite, stertite*, B. P.

<sup>2</sup> *crimina, raptor avaræ*, B.

<sup>3</sup> *frende*, B. *frange*, P.

<sup>4</sup> *si male vivis*, P.

<sup>5</sup> *Ars mala*, P.

<sup>6</sup> *haud duce dignum*, P.

<sup>7</sup> *fert, ferit*, P.

Mortua regula, fictio, crapula, flet, teget, arcet ;  
 Vivere noxia, cor leve, sobria, jus ita marcet.  
 Qui bona spernere, spreta retundere non dubitavit,  
 Qui mala prætulit, is lucra retulit, æs cumulavit.  
 Accipe, tertius est tibi filius, ille probatur ;  
 Qui bona despicit, et mala præficit,<sup>1</sup> et mala fatur.  
 Qui crucis omnia, divaque brachia, membraque jurat,  
 Se quoque grandior, et sene cautior, ad mala durat.  
 Cætera pignora, vivere corpora mortua mœres,  
 Cui nihil est Deus, hic, ais, est meus, hic erit hæres.  
 Qui sine cornibus, aut sine cordibus appetit esse,  
 Vel sine dentibus, eligit omnibus iste subesse.  
 Qui furit et ferit, ille decus gerit, ille fit ille ;  
 Qui timet et tacet, hic flet, eget, jacet umbra favillæ.  
 Dum loquor hoc,<sup>2</sup> fleo, flendo dolens eo, plango, ge-  
 misco ;  
 Hoc fleo culminis, illa libidinis oblita visco.  
 Secula culminis hinc amor, inguinis inde sagittat ;  
 Stat Venus ignea, nemoque carnea vincula vitat.  
 Heu ! modo gloria quanta, quot impia, quæve nefanda  
 Gens agit impia, turba perebria,<sup>3</sup> turba cremanda !  
 Membra libidine, pectora crimine polluit, urit ;  
 Ingenialia laxa per omnia crimina currit.  
 Omnes in omnia denique turpia gens modo jurat.  
 Quisque nitescere carne, requirere carnea curat ?  
 Ordinis agmina claudite lumina, nec minus aures ;  
 Ne rogo credite, credere parcite res stabulares.  
 Parcite credere quæ pudet edere, sed tamen edam,  
 Horrida nomine, plus mala crimine crimina quædam.  
 Heu ! male publicus est Sodomiticus ignis et æstus ;  
 Nemo scelus premit, aut tegit, aut gemit esse<sup>4</sup> scelestus.  
 Ad fera crimina claudite lumina quotquot adestis ;  
 Fit furor impius, est ubi conscius, est ubi testis.

<sup>1</sup> *perficit*, P.

<sup>2</sup> *hæc*, P.

<sup>3</sup> *vel ebria*, B. *turba præimpia*, P.

<sup>4</sup> *Nemo scelus tegit, aut premit, aut fugit esse*, P.

Ingenialiter et furialiter ille fit illa;  
 Juno relinquitur, ipsa repellitur et Petronilla.  
 Plangite secula, plangite singula, crimine plena;  
 Mas maris immemor, o furor! o tremor! est ut hyæna.  
 Aspice sordibus ingenialibus, aspice multos,  
 Quo scelus ordine, quo noto nomine? nempe sepultos.  
 Criminis istius, heu! sonat ipsius<sup>1</sup> horror ad astra;  
 Nuda fit actio, vociferatio, mens geme casta.  
 Mutuo conscius ille fit istius, illius iste;<sup>2</sup>  
 Est prope mortua lex tua, vox tua, sors tua, Christe.  
 Lex Sodomæ patet, innumerus scatet heu! Ganymedes;  
 Dum scelus exhibet, hæc fera quaslibet incolit ædes.  
 Prima sedilia, cuncta cubilia, sunt Ganymedis;  
 Juno relinquitur, et capra subditur, O furor hædis!  
 Si numerum gregis istius exigis, ocius edo;  
 Eloquor ocius, explico promptius ore tragædo.  
 Quot seges hordea, pontus et ostrea, littus arenas,  
 Cycladas Adria, thura<sup>3</sup> dat India, Tibur avenas.  
 Castra, suburbia quippe sacraria non minus undant  
 Hac lue surdida, proh pudor!<sup>4</sup> horrida cuncta redundant.  
 Mundus iners perit, horrida vult, gerit horridiora;  
 Sulphure pascitur esseque cernitur una Gomorrha.  
 O furor ultimus, est moda plurimus hermaphroditus;  
 Reddit inania conjugialia pacta maritus.  
 Ingenialia crimina stantia, regula mæret  
 Lepra minoribus et potioribus ista cohæret.  
 Lex genii perit, usus et interit hac lue notus;  
 Nescit ea<sup>5</sup> pecus, aut canis, aut equus, ast homo<sup>6</sup> totus.  
 Seminares voco, semiviros probo, se maculantes;  
 Debita sexibus inferioribus heu! sibi dantes.  
 Hæc nimis effera crimina, cætera justificarunt;  
 Myrrha, Jocastaque, Phædra, Lycissaque jam sibi plau-  
 dunt.

<sup>1</sup> *impius*, B. P.

<sup>2</sup> *ille fit illius, istius iste*, P.

<sup>3</sup> *Cycladas, arida thura*, P.

<sup>4</sup> *proh dolor!* P.

<sup>5</sup> *eam*, P.

<sup>6</sup> *aut homo*, P.

Gens animalibus insipientibus assimilanda,  
 Plus animalibus insipientibus est reprobanda.  
 Bestia non sapit, et tamen hic capit<sup>1</sup> hæc rationem;  
 Vir sapiens sapit, et minime capit hic rationem.  
 Ætheris agmina, celsaque culmina, quando videtis  
 Talia crimina, cur fera fulmina cur cobibetis?<sup>2</sup>  
 Ætheris agmina, celsaque numina, num vigilatis?  
 Crimina talia, totque nefaria,<sup>3</sup> cur toleratis?  
 O Deus, o Deus! ut quid in hoc reus est tuus orbis?  
 Cur tibi perditus, et sibi traditus his modo morbis?  
 Cur tua plasmata sunt vitio data tam furiali?  
 Cur tua plasmata crimine perditata? crimine tali?  
 Vos, mea lumina, tam fera crimina stantia flete;  
 Flete per omnia, gens bene conscia, flendo dolete.  
 Luxus et otia crimen alentia, proh dolor! undant;  
 Plurima turpia, ne loquar omnia, nunc superundant.  
 Omne bonum ruit, omnis homo fluit in probra fractus;  
 Omne ruit decus, in pecudes pecus est homo factus.  
 Mors premit omnia, vitæque sobria clamat, "Obivi;"  
 Facta vigent rea, mortua lex mea, parcite, divi.  
 Clamat amor pius, o fera totius orbis imago;  
 Heu! modo qualia, quanta, quot impia, quæve vorago!  
 Crimina plurima, crimina pessima, sunt patefacta,  
 Nec prius agnita, nec prius edita, nec prius acta.  
 Polluit aera dicere tam fera, tam ferienda,  
 Tam stabularia, tam furialia, tam reticenda.  
 Plus pudet edere, desino solvere talibus ora;  
 Plurima diximus hic, neque novimus his graviora.  
 Jam mea pagina talia crimina jam reticescat;  
 Lubrica pandere, cor sine pondere frangit, inescat.  
 Quis probra talia, tanta nefaria, totque venena,  
 Quis ferat edere? non ego paupere pauper avena.  
 Et Maro deficit hic, neque sufficit os Ciceronis;

<sup>1</sup> hæc capit, B. P.<sup>2</sup> non cobibetis, B.<sup>3</sup> tot furialia cur, P.

Naso retunditur, arida redditur unda Salonis.  
 Ora trilingua, vociferantia, das mihi<sup>1</sup> centum,  
 Non tamen omnia proloquar impia facta nocentum.  
 Musa tamen mea percutiens ea,<sup>2</sup> carpere tendet;  
 Si nequit impia sternere stantia, vel reprehendet.  
 Nam modo quis sine mortis imagine? num gravis ætas?  
 At levis est ea,<sup>3</sup> nec vetitis rea vult dare metas.  
 Num puer? at puer est vitio celer, est sine loris.  
 Num juvenum valor! at juvenes calor urit amoris.  
 Num vir? at omnia facta virilia vir fugat<sup>4</sup> omnis.  
 Corda fleant pia; cur? quia stat via perditionis,  
 Stat via latior, area largior impietatis,  
 Ad scelus omnibus omne ruentibus, ad mala stratis.  
 Gaudia lubrica, lucra volantia,<sup>5</sup> sola putantur;  
 Ut mare fluctibus, omnia pestibus exagitantur.  
 Vela Notus ferit, ecclesiæ perit unica navis;  
 Credita patribus, ad bona segnibus, ad mala gnavis.  
 Mersa reatibus, orba regentibus, acta procellis,  
 Obruta fraudibus, obruta litibus, obruta bellis.  
 Dormit in æquore, despicit affore cœlita dextra;  
 Scandala fratribus intus agentibus, hostibus extra.  
 Nemo per æquora remus et anchora navis habetur;  
 Crimine mergitur, ordine scinditur, hoste repletur.  
 Per mala plurima, per probra maxima, mersa dehiscit;  
 Ventus agens mare, perstitit hanc male vincere, vicit.  
 Vox sonet anxia, celsa potentia, surge, perimus;  
 Nos fer et erige, ne sine remige gens tua simus.  
 Se sacra concio, se generatio sacra refflammet;  
 Clamet ad æthera, crimine libera, mens pia clamet.  
 Surge, piissime, flumina reprime, frange procellas;  
 Des pia pectora,<sup>6</sup> des bona tempora, crimina pellas.  
 Esto memor gregis, hunc rege, qui regis ætheris aulam;  
 Reprime flumina, tantaque flamina confer in auram.

<sup>1</sup> *da mihi*, P.

<sup>2</sup> *percipiens ea*, P.

<sup>3</sup> *est mea*, P.

<sup>4</sup> *vir fugit*, P.

<sup>5</sup> *volatica*, B. P.

<sup>6</sup> *des mihi pectora*, P.

Pax aquilonibus aufugientibus adsit ab austro ;  
 Integra deforis, ipsaque pectoris,<sup>1</sup> insita claustro.  
 Surge, quid omnibus, heu ! pereuntibus in lue dormis ?  
 Vivitur omnibus et sine legibus et sine normis.  
 Parca perit manus, esurit<sup>2</sup> orphanus, hostis abundat ;  
 Das mihi, do tibi, quisque cavet sibi ne sua fundat.  
 Grandia pondere lucra recondere quisque<sup>3</sup> laborat ;  
 Æs, quasi numina, gens adamantina servat, adorat.  
 Quisque pericula moribus æmula vult, lucra dico,  
 Robora languida floreqque florida lilia sicco.  
 Ordinis et valor et rigor et calor est tepefactus ;  
 Proh furor ultimus ! in lucra vendimus ora, cor, actus.  
 Ad bona claudimus, ad mala<sup>4</sup> vendimus, osque manusque,<sup>5</sup>  
 Plebs emit inscia, stulta pericula<sup>6</sup> vendit utrumque.  
 Stulta peritia lucra scit impia, cætera nescit ;  
 Vatis imagine, carnis acumine quisque tumescit.  
 Quis modo cœlita sudat ut ethnica<sup>7</sup> scripta doceri ?  
 Ore quis edere, corde reponere carmina veri ?  
 Qui bene disputat, et cito computat arte scholari,  
 Non petit actibus, at petit artibus abba creari.  
 Garrula Socrate, curva sophismate qui gerit ora,  
 Jactat acumina, vult sacra culmina, se potiora.  
 Per sua grammata sive sophismata pontificatur ;<sup>8</sup>  
 Nec fit ad æthera pons, sed ad infera porta levatur.<sup>9</sup>  
 Qui trivii leve, quadrivii breve dogmata legit ;  
 Ardua postulat, arduus ambulat, ut leo pergat.  
 Fert fera pectora, qui scit Agenora vel Melibæum ;  
 Qui metra Sapphica, qui mala civica, qui Capaneum.<sup>10</sup>  
 Pristina grammata, prisca poemata, prisca Thalia,  
 Sunt modo maxima, suntque peroptima philosophia.  
 Gregorius meus, immo tonans Deus illius ore,  
 Sero revolvitur, et cito clauditur absque favore.

<sup>1</sup> *impia pectoris*, P.<sup>2</sup> *exulat*, B.<sup>3</sup> *quisque recondere lucra*, P.<sup>4</sup> *at mala*, P.<sup>5</sup> *manumque*, P.<sup>6</sup> *stulta peritia*, B. P.<sup>7</sup> *quis studet ethica*, P.<sup>8</sup> *pontificantur*, P.<sup>9</sup> *levantur*, P.<sup>10</sup> *Conopæum*, P.

Sed sua gloria secla per omnia fine carebit ;  
 Mundus eum canet,<sup>1</sup> et sua laus manet, atque manebit.  
 Jam stylus aureus ejus et igneus haud morietur ;  
 Aurea pagina per sua germina suscipietur.  
 Ille Platonibus et Ciceronibus ad Styga raptis,  
 Raptus ad æthera, vivit ad ubera stans deitatis.  
 Hic specialiter atque fideliter est relegendus ;  
 Sed stylus ethnicus atque poeticus abjiciendus.  
 Dant sibi turpiter oscula Jupiter et schola Christi ;  
 Laus perit illius, eminent istius, est honor isti.  
 O mala secula, cur ? quia fabula præest modo vero,  
 Vita ruentibus est mala<sup>2</sup> plebibus, est mala clero.  
 Militat inguinis atque libidinis unâ voluptas ;  
 Cumque pudor labet, ipsa vias habet unica ruptas.  
 Non modo plumbea, sed jacit<sup>3</sup> aurea tela cupido,  
 Perdidit omnia, lite superbia, sorde libido.  
 Hæc duo retia sunt capientia nunc prope<sup>4</sup> cunctos,  
 Tam sibi crimine, quam sibi sanguine carneque junctos.  
 Hæc draco suggerit, hæc caro digerit, his cor obedit ;  
 Hæc meditatio, dextra, locutio, vult, agit, edit.  
 Sic scelus exerit, explicat, ingerit, Eva, vir, hostis ;  
 Mens jacet ignibus usta patentibus, usta repostis.  
 Turpia quislibet<sup>5</sup> eligit, exhibet, explicat, audet ;  
 Audet, amat, gerit, indicat, exerit, indeque gaudet.  
 O furor, o tremor,<sup>6</sup> o quid agam ? tremor<sup>6</sup> intro, tacebo ?  
 Corde tacens coquar, improba tot loquar aut cohibebo ?<sup>7</sup>  
 An dabo versibus ? hinc ego<sup>8</sup> pluribus ipse jocosus.  
 An loquar auribus ? ibo nocentibus hinc odiosus.  
 Res fera dicere, sed reticescere crimina crimen ;  
 Mens mihi dicere, non reticescere mens mihi crimen.  
 Stant modo stantia, criminis omnia, crimen ubique ;  
 Nil Venus aut gula frena tenent sua, calcar utrique.

<sup>1</sup> *Mundus enim canet*, P.

<sup>2</sup> *est modo*, P.

<sup>3</sup> *jacet*, P.

<sup>4</sup> *jam prope*, B. P.

<sup>5</sup> *quilibet*, B. P.

<sup>6</sup> *cremor*, B. P.

<sup>7</sup> *loquar ? haud cohibebo*, B.

<sup>8</sup> *hinc eo*, P.



Quemlibet<sup>1</sup> hoc licet, instat ut explicet improba quisque;

Plebis<sup>2</sup> euntibus ad mala patribus, error utrisque.

Pontificum vigor aret, abit rigor, est rea dextra;<sup>3</sup>

Mens mala cogitat, os scelus incitat, intus et extra.

Cessit episcopus, estque Dei domus absque decore;

Zelus et igneus, arcus et æreus, absque rigore.

In mala stemmatis, aut<sup>4</sup> anathematis insonat arcus;

Stirpe tumentibus, ære fluentibus est cito parcus.

Et cito flexilis in mala, nobilis et generosi;

Pertinet illius æs, genus istius, et scelerosi.<sup>5</sup>

Nullius ulcera perfodit aspera vox face zeli:

Crimina maxima sunt probra<sup>6</sup> plurima, plurimus Heli.

Se simul obruit is, quia noluit acta suorum;

Et pater occidit, et bona perdidit illa bonorum.

Jezabel impia ducit in invia, nullus Helias;

Quo duce justior, accumulatio hospite fias.

Sola colentibus infima patribus ecclesiarum;

Mors fuit<sup>7</sup> intima, nempe gravissima, mors animarum.

Res lacrimabilis est via præsulis, ut via plebis;

Secula consule, secula præsule nuda videbis.

Si bona promere, cætera tergere præsulis extat,

Fugit episcopus, est mitra, deest opus, huic<sup>8</sup> ea præstat.

Si ducis est bene subdita ducere, dux modo nemo;

Sed ducis est bene subdita ducere, dux perit ergo.

Res caret indice, dux grege, grex duce, plebe sacerdos;

Plebs patre, plebs ruit, et dominos luit arce superbos.

Agmina nescia cogis in impia, tu, Draco, cogis;

Probra fiventibus atque faventibus his pedagogis.

O nigra lacrima, sunt gregis optima quæque vorantes;

Nocte canes sine sollicitudine, luce latrantes.

Quo modo culmine sunt ita crimine sæpe priores?

<sup>1</sup> *Quodlibet*, P.

<sup>2</sup> *Plebs it*, P.

<sup>3</sup> *arida dextra*, P.

<sup>4</sup> *stemmatis, haud*, P.

<sup>5</sup> *scelebrosi*, B.

<sup>6</sup> *proba*, P.

<sup>7</sup> *Mors furit*, P.

<sup>8</sup> *hinc*, P.

Infatuant male corda suo sale, schismate mores.  
 Cæcaque lumina dant super agmina cæca ducatum ;  
 Qui perit<sup>1</sup> et subit, in foveam ruit, inque reatum.  
 Hos vigiles nego, damnoque non ego, sed sua merces.  
 His timor edere jus, probra cedere, tergere fæces,  
 Urere putrida,<sup>2</sup> tollere morbida, quærere fractos ;  
 Hos Sathanæ dare, quos liquet in mare mortis adactos ;  
 Verba minacia, facta rapacia, ferre, ligare ;  
 Fluctibus obvia tendere brachia, pro grege stare.  
 Grex pius esurit, atque fames furit unica verbi,  
 Pauca mali sine fructificamine dant sata servi.  
 Lingua probabilis est reprobabilis actio patrum ;  
 Janua clauditur, his neque dicitur, "Euge beatum."  
 Dogmata cœlita raro famelica turba docetur ;  
 Nec lucra stantia, sed pereuntia lucra monetur.  
 Dum bona negligit, impius eligit ordo regentum,  
 Abdere stercore, quam grave ! fœnere ferre talentum.  
 Sæpe neophytus, aut puer obsitus a grege culpæ,  
 Frons sine lumine, mens nigra crimine,<sup>3</sup> plenaque vulpæ,  
 Præsit<sup>4</sup> honoribus, et pater omnibus est adolescens,  
 Nec sene tempora nec patre pectora laxa coercens.  
 Is ne studet precor ecclesiæ decor, ne<sup>5</sup> paronymphus,  
 Panis egentibus et sitientibus affore cyphus.  
 Qui lucra colligit, et male porrigit illa ministris ;  
 Qui puerum sapit, his dat, eis rapit, omnis in istis ;  
 Scit tibi profore, vel bene præfore qui sibi nescit,<sup>6</sup>  
 Cui gena mascula<sup>7</sup> barbaque primula vix bene<sup>8</sup> crescit.  
 Turba neophyta fert sacra vendita, res mala talis  
 Est modo regia, cras sibi gratia pontificalis.  
 Mane vir aulicus, aspice, clericus est modo tonsus ;  
 Ventris episcopus, ecclesiæ procus est, neque sponsus.  
 Ad sacra culmina denique crimina suscipiuntur ;

<sup>1</sup> *Qui præit*, P.

<sup>2</sup> *Vrtere putrida*, A.

<sup>3</sup> *plenaque crimine*, P.

<sup>4</sup> *Præ fit*, P.

<sup>5</sup> *decor ac*, B.

<sup>6</sup> *præfore qui sibi præfore, vel bene nescit*, P.

<sup>7</sup> *gena macula*, B.

<sup>8</sup> *vir bene*, B.

Sobria pectora canaque tempora rejiciuntur.  
 Horreo dicere, parco retexere, vito profari  
 Plurima quæ scio, cognita nescio sat lacrimari.  
 Obtinet atria pontificalia fœda juvenus,  
 Corpore lubrica, corde volatica quomodo ventus.  
 Clarus origine sive propagine, clarus avita,  
 Expetit atria pontificalia, vi, neque vita.  
 Sanguine nobilis, et minus utilis ad sacra moris,<sup>1</sup>  
 Sanguine dimicat, hoc sibi<sup>2</sup> vendicat, illud honoris.  
 Quilibet improbus exstat episcopus, abba creatur;  
 Vi, pretio, prece, dignus homo nece sceptrâ lucrat.  
 Nullus ei tremor, haudque suæ memor est aliarum;  
 Non sine Simone,<sup>3</sup> sed sine canone, dux animarum.  
 Mox docet inscius, et sibi nescius ipse præesse,  
 Est aliis via, sed tamen est, quia dicitur esse.  
 Ipse laboribus, ipse reatibus est fuga, fulcrum;  
 Huic replet altile, ventris inutile mane sepulchrum.  
 Ad lepores probus, exit<sup>4</sup> episcopus, accipitatur;  
 Copula solvitur, et fera quæritur atque citatur.  
 Ergo nitens equus addit ei decus, immo decorem;<sup>5</sup>  
 Quo neque Græcia sed neque Thracia det meliorem.  
 Miles obambulat ut latus excolat associatus;  
 Forte nec unicus est sibi clericus adlateratus.  
 Jam tuba detonat, et nemus insonat, eccho resultat;  
 Incidit obvia damula retia, quam fuga multat.  
 Sero latrantibus exilientibus hinc repedatur;  
 Nox subit algida, cœnaque splendida nocte paratur.  
 Caupo Falernica<sup>6</sup> vel Mareotica vina refundit;  
 Cœna fit afflua, pastor ad ardua fulcra recumbit.  
 Est cibus undique, tunc ibi denique pastor habetur;  
 Vera vocabula pasta cibus gula rem profitetur.  
 Sed sua pascua non nisi menstrua sunt animarum;  
 Solaque funera solaque munera primitiarum.

<sup>1</sup> *ad lucra moris*, P.

<sup>2</sup> *hic sibi*, P.

<sup>3</sup> *sine semine*, B.

<sup>4</sup> *erit episcopus*, B.

<sup>5</sup> *atque decorem*, P.

<sup>6</sup> *Falerrica*, A.

Quid mora? pascitur, est quia dicitur, est sibi<sup>1</sup> pastor;  
 Assa subit fera, caupo parat mera, cætera pistor.  
 Cinctus agit cocus, ipse nitet focus, omnia rident;  
 Atria lumine, nec minus agmine, plena reident.  
 Sunt holovitrea,<sup>2</sup> nec minus aurea vascula coram;  
 Hic data fercula, sunt ibi pocula, fastus ad horam.<sup>3</sup>  
 Damula manditur, insuper additur altile crassum;  
 Additur altile, mensa volatile suscipit assum.  
 Vina fluunt mera, firmior est sera, plorat egenus;  
 Ventris episcopus, ordine reprobus, est dape plenus.  
 Surgit homo satur, ad cyathos datur inde recursus;  
 Fit nova potio, cui benedictio fit nova rursus.  
 Guttore sospite, stanteque guttore ventris anhelat;  
 Gestaque strenua narrat, et ardua corda revelat.  
 Nectare plenior et dape plenior<sup>4</sup> est Epicurus  
 Hac teritur cruce,<sup>5</sup> pro grege, pro duce vota daturus.  
 Ad penetralia strataque mollia sero vocatur,  
 Lampas et aureus hic sibi cereus ante locatur.  
 Serica pallia fulcraque mollia vernula vertit;  
 Carneus hic globus, et reprobus probus ad probra stertit.  
 Mane fremit domus, ecclesiæ procus intrat<sup>6</sup> ad ædes;  
 Ecclesiam petit, ut minimum stetit, est sibi sedes.  
 Grande tonantia pontificalia verba perorat;  
 Pectora aspide mens rea, jaspide dextra laborat.  
 Inde gregem præit, hinc Aaron vehit et diadema;  
 Mitra caput colit, atque manum polit Indica gemma.  
 Pro patre præsule, pro duce consule, pro grege, pro se;  
 Non satagit prece, nec rapit a nece, flendo suos, se.  
 Parcaque notio, parcior actio legis eidem;  
 Voce Deum probat, actibus improbat, improbus idem.  
 Vox eget actibus, actio vocibus, ordo labore;  
 Vivat uti monet, osque manus<sup>7</sup> sonet, et manus ore.  
 Sit sacra regula, quam<sup>8</sup> tegit infula pontificalis,

<sup>1</sup> *et sibi*, P.

<sup>2</sup> *ola vitrea*, A. *olovitria*, B.

<sup>3</sup> *dantur ad horam*, B.

<sup>4</sup> *et dape pinguior*, P.

<sup>5</sup> *i. ironia*. Gloss. in B.

<sup>6</sup> *exit*, P.

<sup>7</sup> *manu*, P.

<sup>8</sup> *quem*, P.

Debile fulciat, et nidæ<sup>1</sup> nutriat omne sub alis.  
 Culpa patrem sciat, actio sentiat æqua ministrum ;  
 Ordo patrem<sup>2</sup> sciat, actio sentiat orba magistrum.  
 Laus tibi<sup>3</sup> tortio, pœna probatio sit reproborum ;  
 Clastra gregi struat, et vitium spuatur, haud<sup>4</sup> vitiorum.  
 Scala fit ætheris, arcaque fœderis, hostia viva ;  
 Quos foris asperat, ultio proferat, intus oliva.  
 Pax patre, iudice fraus, tumor obice, grex patre tanto  
 Floreat, exulet, occidat, ambulet ordine sancto ;  
 Virgaque ferrea, frangere terrea vasa minetur ;  
 Increpet, arguat, obsecret, instruat, auxilietur.  
 Vitet inutile<sup>5</sup> quin super utile ponat honestum ;  
 Nocte gelu ferat, atque die gerat, ut Jacob æstum.  
 Sint vigilantia, sint sibi nescia lumina sompni ;  
 Sit sine vulnere mens, sine munere sit manus omni.  
 Vox logion ferat, et labor inferat huic humerale ;  
 Gallus eat bonus,<sup>6</sup> assit ei sonus oris et alæ.  
 Quæ requiescere,<sup>7</sup> quæ quibus edere, cur, ubi, quando  
 Prosit, oporteat, haud male torpeat in meditando.  
 Larga manus serat, haud animam ferat actus avaram ;  
 Mentis aromata, vel thymiamata, portet ad aram.  
 Sit sacra buccina, vivaque pagina sit speculator ;  
 De grege gaudeat, in grege luceat, auctus et auctor.  
 Pictor imagine, signifer agmine, dux grege scitur ;  
 In grege dux placet, in duce grex jacet, aut stabilitur.  
 Est bona filia, notio,<sup>8</sup> gloria, gemma parentis ;  
 Plebs bona præsulis, urbs bona consulis, ars bona  
 mentis.  
 Secula pristina non modo culmina non rapiabant ;  
 Sed sibi præbita, non sibi debita, nil retinebant.  
 Patria dextera, qui regit æthera, cum peteretur,  
 Rex fore noluit, ut liber instruit et profitetur.

<sup>1</sup> *et rude*, P.<sup>2</sup> *parem*, B. P.<sup>3</sup> *Laus sibi*, P.<sup>4</sup> *aut*, P.<sup>5</sup> *Urat inutile*, P.<sup>6</sup> *Gallus erat bonus*, B.<sup>7</sup> *Quæ reticescere*, P.<sup>8</sup> *nescio*, B.

Noluit extima, qui Deus intima regna gubernat ;  
Spernat homo reus id quod homo Deus, et bene  
spernat.

Subdat honoribus interioribus exteriores ;  
Non steriles emat, at steriles premat orbis honores.  
Sed quis eos premit ? omnis eos emit, instat emendo ;  
Instat, it, æstuat, atque tumultuat hæc satagendo.  
Hinc fera schismata, dum diademata sacra petuntur ;  
Nec bene præbita, sed male vendita præripiuntur.  
Ecclesiastica dat manus aulica, jussio legum ;  
Sacra relinquitur, atque requiritur impia regum.  
Cœlita munera quam grave ! dextera dat laicalis ;  
Dat data cœlita, vox prius aulica, post synodalis.  
Grandis abusio, regia jussio prævalet, itur ;  
Sic homo culmine, si minus ordine, lite potitur.  
Munera munere cœlita tollere, stat modo cuique ;  
Qui dat et accipit, hæc male desipit, error utrique,  
Hæc sine Cæsare, sacra jubet dare gratia, gratis ;  
Ne male venditor, ille sit, institor hic pietatis.  
Heu ! draco fulmina<sup>1</sup> per sacra culmina spargit utrique ;<sup>2</sup>  
Primo patres capit, inde gregem<sup>3</sup> rapit, instat utrique.  
Pacis ovilia sanctaque millia,<sup>4</sup> Christe, tuorum  
Dum videt, invidet, invidus obsidet<sup>5</sup> agmen eorum.  
Stat mihi<sup>6</sup> Mammona, defleo Simona, tumque paratum,<sup>7</sup>  
Stant lucra Simonis, alea dæmonis in grege patrum.  
Sceptra magus gerit, atque gravi ferit omnia morte ;  
Vivit adhuc magus, atque suo vagus errat in orbe.  
Vivit et imminet, ut mala seminet, ut bona vellat ;  
Ducat in invia, suggerat impia, recta repellat.  
Vox rata Simonis irrita canonis<sup>8</sup> ecce tenetur ;  
Vivere mortuus hostis et arduus ire videtur.  
Simonis ossibus in senioribus est data tumba ;

<sup>1</sup> *flumina*, A.

<sup>2</sup> *ubique*, B. *sparsit ubique*, P.

<sup>3</sup> *greges*, P.

<sup>4</sup> *sacraque munera*, P.

<sup>5</sup> *instat et obsidet*, P.

<sup>6</sup> *Stant modo*, B. *Stat modo*, P.

<sup>7</sup> *jam reparatum*, B. P.

<sup>8</sup> *irrita caconis*, A.

Gratia venditur, unica tollitur ære columba.  
 Stat furor editus, ordoque perditus, immo sepultus;  
 Venditor hinc ovis, inde sacri bovis est modo multus.  
 Simplicitas ove, sermo Dei bove significatur;  
 Venditor illius omnis et istius<sup>1</sup> æde fugatur.  
 Venditor est reus, huic loquitur Deus ipse, "Recede;"  
 Hunc fugat agmine, dejicit ordine, pellit ab æde.  
 Vendis inanibus utraque laudibus, utraque donis;  
 Quod<sup>2</sup> super his petis aure lucrum metis, ore reponis.  
 O via devia, non modo gratia gratis habetur,  
 Vi male tollitur, æreque p̄scitur,<sup>3</sup> ære tenetur.  
 Gratia vendita, gratia tradita vi feritatis.  
 Non fore gratia, sed violentia cernitur actis.  
 Gratia, gratia, quam parit uncia<sup>4</sup> ternaque marca;  
 Gratia nomine stat, jacet ordine, fons suus arca.  
 Gratia quæritur ore, capescitur ære petita;  
 Esse quod est nequit, hanc tribuens petit æs Giezita.  
 Ære magus petit, æs Giezi gerit, ambo nefandi;  
 Ille repellitur, isteque ceditur ulcere grandi.  
 Mors manet illius, et color istius omnibus hærens;  
 Mens quibus est rea, per lucra terrea surgere quærens.  
 Hic male surgitur, hinc cito<sup>5</sup> sumitur alta ruina;  
 Est gravis hic thronus, hic honor est onus, est rosa<sup>6</sup>  
 spina.  
 Est tibi sarcina qui tua crimina sive tuorum  
 Tergere despicias, et minus aspicias ad lucra morum.  
 Est tibi gloria qui mala propria, qui gregis æque  
 Stas stipe tergere, stas prece tollere nocte dieque.  
 O mala secula, venditur infula pontificalis;  
 Regula perdita, pravaque semita, semita talis.  
 Gratia venditur, emptio quæritur ecclesiarum;  
 Quæ tamen emptio, sacra redemptio fertur earum.  
 Gens cupidissima, crimina pessima recta perorant;  
 Simonialia nempe negotia voce colorant.

<sup>1</sup> *istius omnis et illius*, P.

<sup>2</sup> *Quid*, P.

<sup>3</sup> *oreque p̄scitur*, P.

<sup>4</sup> *unica*, P.

<sup>5</sup> *hic cito*, P.

<sup>6</sup> *hæc rosa*, P.

Ut sacra vox ait ; inde lupus trahit, hinc rapit agnos ;  
 Nemo repellere stat, grege paupere flente, tyrannos.  
 Quisquis ovilia spiritualia pascere debet,  
 Pascitur, accipit, his bona diripit, his ea probet.  
 Atque garundine,<sup>1</sup> non moderamine, pontificatus ;  
 Siccus oves rigat, immeritos ligat, ipse ligatus.  
 Mortua vivida, sanaque mortua<sup>2</sup> censet haberi ;  
 Inde lupum tremit, hinc furit et fremit<sup>3</sup> in grege cleri.  
 Sunt sibi<sup>4</sup> mollia, non sibi fortia corda leonis ;  
 Hæret in obvia, tollere brachia, parcere pronis.  
 Cumque cadens cadat, ordine degradat ordine stantes ;  
 Degradat, invidet, atque labans videt ipse labantes.  
 Estque favoribus et popularibus undique linguis  
 Expositissimus, ad mala plurimus, ad lucra pinguis.  
 Se male possidet, atque suæ videt<sup>5</sup> haud bene famæ,  
 Cui tepor ordinis, atque libidinis undique flammæ.  
 Hos premit, his favet, in mala non cavet acta relabi ;<sup>6</sup>  
 Vult celebrarier, atque vocarier in grege Rabbi.  
 Audit ave precor,<sup>7</sup> hinc thronus altior, altaque sceptrâ,  
 Primaque pocula, primaque fercula,<sup>8</sup> prima cathedra.  
 Crimina vindice culpaque iudice non ruit illo ;  
 De grege se fovet, his lacrimas<sup>9</sup> movet huic cocodrillo.  
 Lac sibi tollitur, atque resumitur a grege lana ;  
 Nec gregis ulcera flet, neque funera quatruiduana.  
 Os timor obstruit, et lupus irruit, intrat ovile ;  
 Ille furens furit, iste manens fugit, hoc sibi<sup>10</sup> vile.  
 Per sibi pervia, pastor in ostia,<sup>11</sup> fur aliunde ;  
 Lex mala furibus his subeuntibus intrat abunde.  
 O mala secula, venditur infula pontificalis ;  
 Infula venditur, haud reprehenditur emptio talis.  
 Venditur annulus, hinc lucra Romulus auget et urget ;

<sup>1</sup> *Gaudet arundine, P.*

<sup>2</sup> *sanaque morbida, P.*

<sup>3</sup> *hinc furit, hinc fremit, P.*

<sup>4</sup> *Sunt modo, P.*

<sup>5</sup> *suæ studet, P.*

<sup>6</sup> *nil cavet ipse relabi, P.*

<sup>7</sup> *ave prior, P.*

<sup>8</sup> *Primaque fercula, primaque pocula, P.*

<sup>9</sup> *hinc lacrimas, P.*

<sup>10</sup> *hic sibi, P.*

<sup>11</sup> *ut hostia, B. ad ostia, P.*



Est modo mortua Roma superflua; quando resurget?  
 Roma superfluit, afflua corruit, arida,<sup>1</sup> plena;  
 Clamitat, et tacet, erigit, et jacet, et dat egenam.  
 Roma dat omnibus omnia dantibus, omnia Romæ;  
 Cum pretio, quia juris ibi via, jus perit omne;  
 Ut rota labitur, ergo vocabitur hinc rota Roma;  
 Quæ solet ubere laude flagescere<sup>2</sup> sicut aroma.  
 Roma nocens nocet, atque viam docet ipsa nocendi;  
 Jura relinquere, lucra requirere, pallia vendi.  
 Sæpe notarius est ibi carius emptus, ut illa  
 Quæ cupis exaret, ex sacra præparet, ipse sigilla.  
 Si tua nuncia prævehit<sup>3</sup> uncia, surge, sequaris;  
 Expete limina, nulla gravamina jam verearis.  
 Quam sapientia non valet, uncia dat tibi pacem;  
 Uncia fœderat, uncia temperat ore minacem.  
 Aurea lamina dant tibi lumina cæca Quiritum;  
 Ostia pervia, verbaque Tullia, cor stabilitum.  
 Si datur uncia, stat prope gratia pontificalis;  
 Sin, procul hæc valet, hæc ibi lex manet, et schola talis.  
 Ergo prior tua dextera mortua Roma probatur;  
 Sparsa per extera jam tua dextera læva vocatur.  
 Dives es indiga, pinguis es arida, libera servis;  
 Libera, subderis, æreque venderis, ipsa protervis.<sup>4</sup>  
 Sæpe revenderis, hinc reprehenderis ore Jugurthæ;  
 Transita vocula, longaque fabula, persequitur te.  
 Scylla vorax rapis, et cupis et sapis,<sup>5</sup> et trahis ad te;  
 Roma ruens rota, fœda, satis nota cauteriat te.  
 Gurges es altior, arca voracior, alta lacuna;  
 Insociabilis, insatiabilis, omnibus una.  
 Quo bibis amplius, hoc inhiantius, huc date, clamas;  
 Dic rogo sufficit, at mihi deficit, ipsa reclamationas.  
 Si tibi det sua, non repleat tua guttura Crœsus;  
 Marca vel aureus, amodo non deus est tibi Jesus.

<sup>1</sup> *arida corruit, afflua*, P.

<sup>2</sup> *flagescere*, B. P.

<sup>3</sup> *prævenit*, P.

<sup>4</sup> *ipsa poternis*, P.

<sup>5</sup> *et rapis*, B. *et capis*, P.

Urbs caput urbibus, alta Catonibus, inelyta Scauris,  
 Urbs cupidissima, cur lucra maxima jugiter hauris?  
 Plus tibi Cæsare sustinuit dare Rex crucifixus;  
 Regna dat extera Cæsar, at æthera nunc tibi<sup>1</sup> Christus.  
 Alta Catonibus ac Scipionibus invaluisti;  
 Robore fractior es, modo fortior ordine Christi.  
 Sub Jove florida, sub Jove fulgida, sub Jove dives;  
 Sub cruce marcida, diruta, languida, sub cruce vives.  
 Es magis efflua,<sup>2</sup> fortis et ardua stas cruce dante;  
 Indiga divite, languida sospite, diruta stante.<sup>3</sup>  
 Sub cruce tartara, sub Jove barbarâ, mœnia sternis;  
 In Jove perderis, in cruce mergeris<sup>4</sup> ipsa supernis.  
 Interius cluis, exterius ruis in dominatu;  
 Urbs sine compare sub duce Cæsare, subque senatu.  
 Nunc aliquis ducis, unica lux crucis, unica præstat;  
 Cæsaribus Petrus, atque deis Deus altior exstat.  
 Crux tibi prævia, crux tibi gloria, gemmaque frontis,  
 Certa redemptio, non cruciatio, jam modo sontis.  
 Jam cruce crux caret, hæc tibi dux manet ad bona  
 cœli.

Mors erat, est decus, est Sathanæ metus, arma fideli.  
 Roma Petro data, voce Petri sata, subdita Christo;  
 Quæ noto carmine cur bona crimine perdis in isto?  
 Istud agis<sup>5</sup> male, quod prope nil dare vis, nisi danti;  
 Quod sacra nomina, sacraque culmina, lucra paranti.  
 Cur lucra respicis, et minus inspicias acta magistra?  
 Petrus apostolus, haud homo subdolus, horruit ista.  
 Ista perhorruit, insuper obruit ista colentes;  
 Corde Petrum gere, Roma, vias tere recta sequentes.  
 Plus tibi contulit, amplius attulit hic idiota;  
 Per sacra retia, quam tua Græcia, Græcia docta.  
 Plus tibi profuit, et tibi præbuit ille sagena,  
 Quam capitolia Cæsare fortia, rhetore plena.

<sup>1</sup> *non nisi*, B. P.

<sup>2</sup> *afflua*, P.

<sup>3</sup> This line and the preceding are transposed in P.

<sup>4</sup> *jungeris*, B. P.

<sup>5</sup> *agit male*, B.

Enseque Julius, oreque Tullius, haud tribuerunt  
 Quanta Petrus cruce, quique Petro duce te coluerunt.  
 Sunt tibi lilia, sunt tibi milia multa rosarum ;  
 Illa vel has lege, Roma, nitens grege reliquiarum.  
 Eloquio schola, martyrio stola, pace ligustrum ;  
 Te docet, induit, ornat, ab his ruit omne vetustum.  
 Te sacra pignora sanctaque corpora, Roma, coronant ;  
 Te rosa sanguine lilia virgine mente perornant.<sup>2</sup>  
 Nunc sacra culmina dant tibi nomina vana Catonum ;  
 Te Petrus extulit, et tibi se tulit ipse patronum.  
 Nomina perdita, crimine prodita,<sup>3</sup> Roma, stetisti ;  
 Nunc petis æthera, servaque libera subderis isti.  
 Corneliis nimis et Fabiis satis alta trecentis ;  
 Altior istius, istius unius es documentis.  
 Ne rueres ruit, alter enim fuit, est tibi<sup>4</sup> Paulus ;  
 Alter adest tibi, vir minimus sibi, cur ? quia Saulus.  
 Denique pertulit ipse quod intulit ob mala Sauli ;  
 Saulus atrox ruit, hunc lavat et luit hostia Pauli.  
 Hi duo lumina, vel duo flumina jam Paradisi ;  
 At tua limina sunt tua crimina tergere missi.  
 Hi tua moenia reddere fortia plus potuerunt,  
 Quam quibus edita primitus, addita deinde fuerunt.  
 E quibus æmulus impia Romulus arma citari,<sup>5</sup>  
 In sua viscera jussit, et effera jussa patrari.<sup>6</sup>  
 Roma, resurgito, te tibi reddito, reddito Romam ;  
 Cujus eras prius ordinis illius exprime formam.  
 Quomodo corpora tunc, ita pectora nunc rege fracta ;  
 Fracta recollige, devia dirige, fis labefacta.<sup>7</sup>  
 Per fera prælia, quæque rebellia perdomuisti ;  
 Pignora stragibus et caput ensibus exposuisti.  
 Fac modo quod prius, ordo premit<sup>8</sup> pius impietatem ;  
 Virga piacula, crimina regula, lex levitatem.

<sup>1</sup> *perornant*, P.<sup>2</sup> *coronant*, P.<sup>3</sup> *Nomine prædita, crimina per-*  
*dita*, P.<sup>4</sup> *fuit et tibi*, P.<sup>5</sup> *citavit*, P.<sup>6</sup> *patravit*, P.<sup>7</sup> *sta*, B. *fer labefacta*, P.<sup>8</sup> *ordo liyet*, B.

Primitus elige, postea dilige<sup>1</sup> juris amantes ;  
 Non lucra grandia, sed synodalia jura<sup>2</sup> parantes ;  
 Qui tua nuncia per pereuntia secula clament,  
 Nostraque frigida per sua<sup>3</sup> fervida facta refflamment.  
 Sed facis hoc secus,<sup>4</sup> ecclesiae decus extenuantes,  
 Mittis in extera, tollere munera sola flagrantes.  
 Quem tua dirigit huc manus, erigit ille tributum ;  
 Nec bona<sup>5</sup> secula, sed bona fercula, molleque fulcrum.  
 Suetus ab ubere non nisi currere vel peditare,  
 Celtica curibus exit equestribus arva meare.  
 Qui modo gressibus ibat<sup>6</sup> ovantibus, incomitatus,  
 Militat arduus, et sibi confluus est equitatus.  
 Consiliarius, ipseque nuncius, et lateralis,  
 Papa tuus perit, acta libri vehit huc synodalis.  
 Hoc fremit hospite, sive satellite, regia plena ;  
 Clerus equestria vix animalia pascit avena.  
 Serica pallia dat sibi Gallia, Roma caprinum ;  
 Errat ibi pedes, ambulat hic eques in resupinum.  
 Gens fluit obvia, fit sibi gloria pulcra videri ;  
 Urbs strepit, aes sonat atque modos tonat<sup>7</sup> huic schola  
     cleri.  
 Ductus in atria pontificalia, molle recumbit ;  
 Pocula praecepit,<sup>8</sup> agmina suscipit, oscula jungit.  
 Concilium vocat, in solii locat aggere sese ;  
 Imperiosior ambit, et altior esse praesse.  
 Audit amantius impia, surdus aequa subaudit ;  
 Nam lucra terrea, causa parit rea, non rea, claudit.  
 Roma, quid exequar ? aut tibi praeloquar,<sup>9</sup> aut tibi  
     promam ?  
 Uncia te rotat, uncia te notat, haud fore Romam.  
 Tu populos tibi, te rutilans sibi marca subegit ;  
 Semper enim tua progenies lucra<sup>10</sup> vult, agit, egit.  
 Dum lucra Parthica, dum tuus hostica munera Crassus

<sup>1</sup> *dirige*, P.<sup>2</sup> *thura*, P.<sup>3</sup> *pessima*, P.<sup>4</sup> *haec secus*, P.<sup>5</sup> *Non bona*, P.<sup>6</sup> *gressibus urget*, B.<sup>7</sup> *sonis tonat*, B.<sup>8</sup> *percipit*, B.<sup>9</sup> *immo quid aloquar*, P.<sup>10</sup> *lucra progenies tua*, B. P.

Vult, sitit, inspicit, heu! sibi deficit, æs bibit assus.  
 Hæc sitis ebria, stat tibi propria, Marte togaque;  
 Te cremat, impiat, urit, inebriat, excruciatque.  
 Das sacra culmina, das moderamina sacra probrosis,  
 Arida mitibus, afflua ditibus, ambitiosis.  
 Fas mihi dicere, fas mihi scribere,<sup>1</sup> "Roma, fuisti."  
 Ecce relaberis, immo<sup>2</sup> resolveris ordine tristi.  
 Clauda ruis foris a pede roboris, intus ab æqui;  
 Irreparabilis hic, ibi labilis, inscia recti.  
 Urbs sine juribus, et sine patribus, obruta marces;  
 Dardanias premit, Ausonias emit aureus arces.  
 Fas mihi dicere, fas mihi scribere, "Roma, fuisti,"<sup>3</sup>  
 Obruta mœnibus, obruta moribus, occubuisti.  
 Urbs ruis inclita, tam modo subdita, quam prius alta;  
 Quo prius altior, tam modo<sup>4</sup> pressior, et labefacta.  
 Fas mihi scribere, fas mihi dicere, "Roma, peristi."<sup>5</sup>  
 Sunt tua mœnia vociferantia "Roma, ruisti,"<sup>6</sup>  
 Cauda redis caput, alta jaces apud omnipotentem;  
 Te tua propria clamat inertia stare jacentem.  
 Capta cupidine, sordida crimine, secula cernis;  
 Capta reducere sordida tergere secula spernis.  
 Qua patet<sup>7</sup> orbita jam tibi subdita tetragonalis,  
 Lex jacet irrita, gratia perdita spiritualis.  
 Qua Padus incipit, et mare suscipit ultima Thyle,<sup>8</sup>  
 Gratia scinditur, atque resolvitur omne virile.  
 Gratia mutua deest modo mortua, gratia cara,  
 Quæ neque verbere, sic neque carcere cedere gnara.  
 Gnara sub aere non modo quærere dulce serenum,  
 Sed bene libera ferre vel aera<sup>9</sup> turbine plenum.  
 Quam mala frangere, læta resolvere non videantur,  
 Cui bene<sup>10</sup> prospera fortiter aspera suscipiantur.

<sup>1</sup> *Fas mihi scribere, fas mihi dicere, P.*

<sup>2</sup> *ecce, P.*

<sup>3</sup> *Fas mihi scribere, fas mihi dicere, Roma, peristi, P.*

<sup>4</sup> *quam modo, A.; hoc modo, P.*

<sup>5</sup> *ruisti, P.*

<sup>6</sup> *peristi, P.*

<sup>7</sup> *Qua pater orbita, B.*

<sup>8</sup> *Tile, A. B.*

<sup>9</sup> *aere, P.*

<sup>10</sup> *Quin bene, P.*

Gens mala pullulat, et probra <sup>1</sup> postulat, estque probrosa ;  
 Stirpsque malis mala patribus est sata, stirps vitiosa.  
 Corpore fortior, immo ferocior hydra profecto,<sup>2</sup>  
 Ecce renascitur, altera redditur hydra resecto.<sup>3</sup>  
 Pectore vipera gens moritur fera, bis fera prodit,  
 Quæ male conscia luminis omnia rodit et odit.  
 Gens sterilissima, quæ premit intima tam lue pressa,<sup>4</sup>  
 Re bona <sup>5</sup> destruit omnia quæ fuit ore professa.  
 Est pia vocibus ethnica moribus impietatis ;  
 Catholicus sonus ore sonat bonus, et caret actis.  
 O dolor, o furor, o scelus, o pudor, omnia sordent ;  
 Criminis omnia nil bene conscia corda remordent.  
 Flet <sup>6</sup> pudor omnia crescere turpia, cedere pulcra,  
 Hypocrisis micat, et Sathanæ dicat alba sepulcra.  
 Mens pia vapulat, et decor exulat, exule jure ;  
 Quisque lucro perit, huic vacat, id gerit, hoc sibi curæ.  
 Terrea flumina, lucra, volumina quisque volutat ;  
 Commoda carnea lucraque terrea nemo refutat.<sup>7</sup>  
 Censibus affluus, est nimis arduus, est modo clarus ;  
 Divitiis placet, haud vitiis caret <sup>8</sup> hirtus avarus.  
 Vox sibi libera, nam sibi pondera divitiarum  
 Cura stat infima, cura stat ultima nunc animarum.  
 Immo nec infima, nec velut ultima, sed quasi nulla  
 Est ope fortior ordine dignior aurea bulla.  
 Rem sibi quærere, quisque recondere rem sibi sudat ;  
 Aurea limina,<sup>9</sup> publica lumina lumine nudat.  
 Diruta stantibus, inferioribus alta coæquat ;  
 Lumina regia, pontificalia lumina, cæcat.  
 Sola pecunia destruit omnia, cuncta venenat ;  
 Cor scit, onus premit, arma dat, os emit, ora serenat.  
 Criminis unctio, cordis ademptio, fur oculorum ;  
 Parma nocentibus et locupletibus est grave lorum.

<sup>1</sup> *et mala*, P.

<sup>2</sup> *resecto*, B. ; *refecto*, P.

<sup>3</sup> *profecto*, B. P.

<sup>4</sup> *quam premit intima tam leve  
pressa*, P.

<sup>5</sup> *Quæ bona*, P.

<sup>6</sup> *Fert pudor*, A.

<sup>7</sup> This and the preceding line are  
transposed in P.

<sup>8</sup> *tacet*, P.

<sup>9</sup> *lumina*, B. ; *lamina*, P.

Omnia mors ferit, omnia plebs gerit ordine mixto;  
 Pro fore præfore munera tempore constat in isto.  
 Omnia corripit, omnia decipit heu! nitor æris  
 Fert tua dextera grandia munera, grandis haberis.  
 Vilis origine, vilior ordine conditionis,  
 Si dare sustinet, in decus eminet illud Othonis.  
 Munere sobrius ambulat ebrius, ipseque cujus  
 Os homo, cor Deus approbat, est reus ejus et hujus.  
 Mutus ab ubere dives, habebere Tullius alter;  
 Dives amabere, pauper habebere quo modo pauper.  
 Sola fit arida, sola fit invida copia sensus,  
 Sola scit infera,<sup>1</sup> sola dat omnia copia census.  
 Heu! via carpitur ampla, relinquatur omnibus arcta;  
 Omnibus est gula, linguaque garrula, guttura farta.<sup>2</sup>  
 Cui rogo vivere, nunc stipe paupere, cui stat? amori.<sup>3</sup>  
 Vivida pocula crassaque fercula quis negat<sup>4</sup> ori?  
 Quot sine crimine cernis in agmine stare fideli?  
 Quis modo turpia, quis premit impia cuspide zeli?  
 Quis vitio rubet, aut animi studet esse pudici?  
 Se sibi subdere? lubrica vincere? dicere "Vici"?  
 Nunc ubi gratia criminis inscia? quis bene rectus?  
 Qui neque flexile re, neque mobile turbine pectus?  
 Quem mihi das sine fraudis acumine? quem sine sorde?  
 Quis colit utile, vitat inutile<sup>5</sup> corpore, corde?  
 Quis bona postulat? immo quis ambulat absque querela?  
 Cui gravis actio? stans meditatio? pura loquela?  
 Cui bene mens bona, nec labra dissona corde? colore?  
 Cui pia lacrima spe flagrat, intima pulsat amore?  
 Ordo, modestia, vitæque sobria, quid modo possunt?  
 Quæ modo sunt pia? plus loquar? impia quæ modo non  
 sunt?  
 Aurea tempora castaque pectora præterierunt;  
 Tempora pessima, scilicet ultima, jam subierunt;

<sup>1</sup> *inscia*, P.<sup>2</sup> *guttura fracta*, P.<sup>3</sup> *vivere, cui stipe paupere nunc**stat? amori*, P.; *nec stipe paupere*, B.<sup>4</sup> *neget*, P.<sup>5</sup> *jurat inutile*, P.

Stant modo stantia lucra, superbia, pax sine pace,  
 Fraus, Venus, otia, furtaque conscia noctis opacæ;  
 Schismata, prælia, vis, homicidia, traditiones;  
 Ira, protervia, livor, inertia, seditioes.  
 Stat simulatio, corrui actio religionis;  
 Heu! sua propria deputat omnia rex Babylonis.  
 Pax, patientia, norma, modestia, jus, et honestum,  
 Sunt vaga nomina, fictio culmina dat, probra quæ-  
 tum.

Ad bona frigit, ad mala ferbit ignis amoris;  
 Lex jacet abdita, stando stat edita flamma furoris.  
 Dat Venus<sup>1</sup> ebria mixta cubilia, more ferarum;  
 Lingua, tace, mea,<sup>2</sup> jam minus est ea dicere clarum.  
 Quid loquar,<sup>3</sup> O Deus, ecce stylus meus, ecce fatiscet;<sup>4</sup>  
 Vincor, et impia non loquor omnia, pars mala vincet.<sup>5</sup>  
 In tenebris sine simplice lumine cuncta tenentur;  
 Cuncta jacentia, pervigilantia nulla videntur.  
 Omnia possidet, urget, et obsidet una vorago;  
 Secula lubrica possidet unica mortis imago.  
 Nil sine vulnere lugeo cernere, credite verum;  
 Quisque nefas legit, altaque nox tegit omnia rerum.  
 Cernimus omnia pene silentia cæca tenere,  
 Et scelus objice, crimina vindice cuncta carere.  
 Quippe ruentibus ordine patribus ecclesiarum,  
 Corruit et rigor, et rigidus vigor ejus, earum.  
 Denique plebibus et senioribus æs dominatur;  
 Ad mala tenditur, ad fora curritur, ad lucra statur.  
 Gens temeraria, turba nefaria, gens scelerata,  
 Gens mala, gens rea, cur lucra terrea sunt tibi grata?  
 O male visibus interioribus exoculati,  
 Cur male vivitis armaque traditis ebrietati?  
 O male visibus interioribus, o male cæci,  
 Quid juvat addere, quid rea subdere pectora fæci?

<sup>1</sup> *Das, Venus, P.*

<sup>2</sup> *Lingua tacet mea, P.*

<sup>3</sup> *Quid loquor, P.*

<sup>4</sup> *fatiscit, P.*

<sup>5</sup> *loquar . . . vicet, B.; omnia non loquor impia, pars mala vincit, P.*





Gens vaga cordibus, ad bona tristibus, ad probra lætis,<sup>1</sup>  
 Cur sine lumine, non sine crimine, stando jacetis?  
 Paulus adest, tonat, ipseque sic sonat, "Evigilate,"  
 State viriliter, et socialiter in grege state.  
 Mens lue sordida, crimine torpida, pronaque ducis,<sup>2</sup>  
 Dedecus eruat<sup>3</sup> et decus induat, armaque lucis.  
 Surgite, surgite, gens rea tergite vel graviora;  
 Lux venit ultima, jamque novissima creditur hora.  
 Ut mala terminet, arbiter imminet ille timendus<sup>4</sup>  
 Dulcis amantibus, irreverentibus ipse timendus.<sup>5</sup>  
 Judiciaria parcere nescia, plena furoris,  
 Illa dies venit, hanc modo prævenit actio moris.<sup>6</sup>  
 Jam tuba septima, jamque novissima plaga paratur,  
 Censor adest Deus, evigilans reus excutiatur.<sup>7</sup>  
 Mens rea nitere crimine surgere,<sup>8</sup> si mala purges,  
 Dona perennia<sup>9</sup> tollere præmia fine resurges.  
 Certa loquens aro, surget homo<sup>10</sup> caro, mortua tandem;  
 Estque quod astruat, ista quod instruat hinc dubitantem.  
 Est avis Indica<sup>11</sup> quæ viget unica, nomine Phoenix;  
 Hanc cinerescere fert, ita surgere sermo fidelis.  
 Vermis et hinc avis esse sinit gravis, avolat<sup>12</sup> alis;  
 Inde renascitur, esseque cernitur hæc, modo qualis.  
 Id tua funere membra resurgere posse fatetur;  
 Surget, homo, tua tunc caro mortua, nil dubitetur.  
 Cedet ad<sup>13</sup> æthera mitis, ad infera qui modo turget;  
 Fluxa tenens fluet, ardua corruet, ultima surget.  
 Ibit in infera nunc male libera gens Babylonis,  
 Massa nefaria, portio propria perditionis.  
 Cœlita gloria stabit in omnia secula sanctis,  
 Pax erit omnibus illa videntibus ora tonantis.  
 Quid loquar amplius, aut ferar altius, aut sequar ultra?  
 Pagina, claudere, jamque retexere desine multa.

<sup>1</sup> *ad mala lætis*, P.<sup>2</sup> *pronaque fucis*, B.; *prona ca-*  
*ducis*, P.<sup>3</sup> *exuat*, B. P.<sup>4</sup> *tremendus*, P.<sup>5</sup> *verendus*, P.<sup>6</sup> *actio mortis*, P.<sup>7</sup> *evigilet reus, excutiatur*, P.<sup>8</sup> *crimina tergere*, B.<sup>9</sup> *digna perennia*, B. P.<sup>10</sup> *humo*, B. P.<sup>11</sup> *avis unica*, P.<sup>12</sup> *evolat*, B.<sup>13</sup> *Credet ad*, P.

Claudere, pagina, denique carmina nostra, valete;  
 Gens temeraria, turba nefaria, flendaque, flete.  
 Vos ego carpere, vestraque dicere<sup>1</sup> probra cupivi;  
 Vos ego carpere, vestraque dicere non probra quivi.  
 Heu! lacrimabile, vae! miserabile, dic, genus Evae;  
 Gens temeraria, nunc tibi gaudia, post tibi vae! vae!  
 Est apud infera, vae! tibi, gens fera, turba furoris;  
 Nunc quoque vae tibi! nam labor hic, ibi poena laboris.  
 Vos, sacra concio, sacra creatio, currite, state;  
 State flagrantibus aethera cordibus in bonitate.  
 Vos, sacra lilia, viva monilia, vasa decoris,  
 Luminis agmina, ferte praecamina<sup>2</sup> cordis et oris.  
 Ut Deus a nece nos trahat, hunc prece poscite<sup>3</sup> sancta;  
 Ut fuget impia tot, mala talia, foetida tanta.  
 Vestra precatio, lingua, cor, actio, mens bene casta,  
 Vitaque libera, clamet ad aethera, clamet ad astra.  
 Crimina crescere flete, tepescere jus, decus, aequum;  
 Flete, gemiscite, denique dicite, dicite mecum:  
 " Qui regis omnia, pelle tot impia, surge, perimus;  
 " Nos, Deus, aspice, ne sine simplice lumine simus.  
 " Tot probra, tot mala,<sup>4</sup> tot preme scandala, qui regis  
 " astra;  
 " Parce jacentibus, influe stantibus, omnibus asta.  
 " Christe piissime, scandala reprime, facta remitte;  
 " Et bona construe, caetera dilue, rex benedicte.  
 " Daemionalibus hactenus artibus erue tentos;  
 " Rex sate virgine, rex, cruce,<sup>5</sup> sanguine, morte, redemptos.  
 " Respice, respice, nos patris unice, origine nate;  
 " Da mala plangere, da bona<sup>6</sup> sumere, da tua, da te.  
 " Aurea tempora primaque roborata redde, rogamus;  
 " Nos modo dirige, postmodo collige, ne pereamus."

*De Contemptu Mundi liber tertius Bernardi  
 Morlanensis feliciter explicit.*

<sup>1</sup> *vestra sed edere, P.*

<sup>2</sup> *preconia, P.*

<sup>3</sup> *trahat hinc, prece poscite, P.*

<sup>4</sup> *tot malis, P.*

<sup>5</sup> *fer cruce, P.*

<sup>6</sup> *da mala, A.*

GODEFRIDI PRIORIS  
EPIGRAMMATA.

A = Oxf. Dig  
112, f. 125-147  
p. 103-147

*Incipit præfatio Godefridi prioris ecclesie sancti  
Swithyni Wintoniensis in sequens opus.<sup>1</sup>*

Undique susceptum qui<sup>2</sup> miscuit utile dulci,  
Undique laudatum pagina nostra refert;  
Quod sequor a longe, cum ludis seria libans,  
Immo per ludos seria notificans.<sup>3</sup>  
Proposui ludendo quidem<sup>4</sup> garrere aliorum  
Mores, carpo alios, me quoque carpo simul.  
Rubigo invidiæ, species invisæ cachinni,  
Omnis abest, ut me, rideo sic alios.  
Rideo mecum alios, ne nos male rideat alter;  
Ne quis nos possit lædere, rideo nos.  
Invidus irrisor redivivo crimine gaudet,  
Et semel irrisum, terque quaterque cupit.  
Nolo redargutis superesse notabile quicquam,  
Causa et quod sequitur depereant pariter.

I. *Dum nescias, esse discendum.*

Discendi, Damiane, modum te quærere dicunt;  
Discas, dum nescis, sit modus iste tibi.

<sup>1</sup> *Liber Proverbiorum domini G. prioris incipit, A.* The rubric given in the text is found in both the other MSS.

<sup>2</sup> *quæ, C.*

<sup>3</sup> *mortificans, C.*

<sup>4</sup> *quædam, C.*

II. *Ruinam in ascensu timendam.*

Sæpe ruis, dum sæpe petis nimis alta, Corane,  
Fac sit sufficiens una ruina tibi.

III. *Contemptum stulti non esse curandum.*

Contemptum stulti contempnere, Didime,<sup>1</sup> laus est,  
Contempni<sup>2</sup> a stulto dedecus esse nego.

IV. *Quod doces, esse faciendum.*

Multa, Salo,<sup>3</sup> sed plura, Cato, me verba docetis,  
At<sup>4</sup> nemo vestrum quanta docetis agit.

V. *Discendum esse, ne discas.*

Hebale, disce diu, juvenisque puerque labora,  
Neve senex discas, Hebale, disce prius.

VI. *Quod multorum est ab uno non esse quærendum.*

Soli laus tibi multorum quæris honorem,  
Sed quod multorum est dissociare grave est.

VII. *Colendo nequam nequicquam proficere.*<sup>5</sup>

Pecte lavaque canem, curam tibi ponis inanem,  
Pontice, sic studium dum colis Elvidium.<sup>6</sup>

VIII. *Onus quærerere, honorem quærendo.*

Quæris onus magnum, magnum dum quæris honorem,  
Cretice, sperne prius, non erit ulterius.

<sup>1</sup> *Dindime*, Camd.

<sup>2</sup> *Et tempni*, B.

<sup>3</sup> *Solon*, C.

<sup>4</sup> *Et*, B. C.

<sup>5</sup> *Colendo nequaquam proficere*, C.

<sup>6</sup> *Helvidium*, C.

IX. *Pro viribus tuis non omnes esse pensandos.*

Impos<sup>1</sup> virtutis, alios virtutis inanes  
 Æquiparando<sup>2</sup> tibi, Gratidiane, refers.

X. *A vitio esse surgendum.*

Alphesibœe,<sup>3</sup> luto semper versaris eodem,  
 Immersusque semel surgere dissimulas.

XI. *Vitiosum deprehendi dolere.*

Non culpam peccasse gravem, non crimen<sup>4</sup> inisse,  
 Sed te deprensus, Volusiane, doles.

XII. *Quod irrides, faciendum non esse.*

Deridens alios, non inderisus abibis,  
 Unde alios rides, Scævola, si facias.

XIII. *Qui multa possident multis egerc.*

Cum tu possideas, Andronice, plura petitis,  
 Haud mirum multis si tamen indigeas.

XIV. *Videndum esse cui secreta committas.*

Utre merum fracto committere, balsama cribro,  
 Stultum est, et stultum, Plance, tacenda Syro.

XV. *Libros non pretium eorum habere, non multum proficere.*

Libros ferre manu, non sensum corde nec ore,  
 Verbum, Caune,<sup>5</sup> parum proficit, immo nihil.

<sup>1</sup> B. appears to read *Compos*.

<sup>2</sup> *Æquiparando*, A. C.

<sup>3</sup> *Alphisebee*, C.

<sup>4</sup> *crimine*, C., apparently corrected  
 by a somewhat later hand to *crimen*.

<sup>5</sup> *Caunu*, C.

XVI. *Virtuti studere si sapias.*

Propositum sapiens virtutis sedulus urget;  
Hædue, non urges; fac, sapienter ages.

XVII. *Amicum tarde adquiri, sed cito amitti.*

Prudenti, Probe, consilio servandus amicus,  
Quem sero adquisis, sed cito perdis eum.

XVIII. *Pauca utilia multis inutilibus præponenda.*

Pauca Titus pretiosa dabat, sed vilia plura;  
Ut meliora habeam, pauca det oro<sup>1</sup> Titus.

XIX. *Miserum hominem nocere dum prodesse contendit.*

Te video solum dum prosis, Aule, nocere;  
Nec prodesse tamen, si petis ut noceas.

XX. *Loqui sed cum mensura debere.*

Pauca loqui moneo, sed non omnino silere;  
Ita velis, Orpheu, ne penitus sileas.

XXI. *Inimicum obsequio torqueri, vel corrigi.*

Hostes, Kare,<sup>2</sup> meos dum servio, munera præsto;  
Obsequiis venor, torqueo, vel revoco.<sup>3</sup>

XXII. *Amari volentem amare decere.*

Miraris quod nullus amat te, Ceciliane,  
Non quod amas nullum; dilige, carus eris.

<sup>1</sup> ore, C.<sup>2</sup> Care, C.<sup>3</sup> torqueo, revoco, B.; non revoco, C.

XXIII. *Vitium antequam petas subolere.*<sup>1</sup>

Druse, comedisti quem misit Silvius<sup>2</sup> hircum ;  
 Vel tibi non nasus,<sup>3</sup> vel tibi nasus olet.

XXIV. *Nec levare premenda, nec premere levanda.*<sup>4</sup>

Dum calcanda levas, premis extollenda, Repande,  
 Aut stultum aut nequam te ratione probas.

XXV. *Datum non repetere.*

Multa mihi donas, vereor ne multa<sup>5</sup> requiras,  
 Nolo mihi dones, Aulice, si repetas.

XXVI. *Neque decipere neque decipi.*

Nullum decipias, non decipiaris ab ullo,  
 Fallere vel falli, Pirame, par vitium est.

XXVII. *Petenti quod difficile est negari.*

Postulat usque sibi justa<sup>6</sup> ratione negari,  
 Qui quod difficile est, id sibi, Pyrrhe, petit.

XXVIII. *Cupere quod necesse est.*

Si mecum, Thaliarche, sapis, quodcunque necesse est,  
 Id cupias, animum casibus æquipara.<sup>7</sup>

XXIX. *Stare ubi alii jaceant decorum esse.*

Candide, ubi jaceant omnes, te stare decorum est ;  
 Quod stas, quod solus, magnum opus, egregium est.

<sup>1</sup> *Antequam petas non subolere*, C. ;  
 It is doubtful in B.

<sup>2</sup> *filius*, C.

<sup>3</sup> *Vel non est nasus*, B. C.

<sup>4</sup> *levanda nec premere*, B.

<sup>5</sup> *quod multa*, C.

<sup>6</sup> *usque justa*, B.

<sup>7</sup> *æquipera*, C.

XXX. *Exitus rerum inspiciendos.*

Aut sapit Archesilas, et prospicit ultima rerum,  
Aut si contempnit, non sapit Archesilas.

XXXI. *Cito vel sero decedere nihil ad rem.*<sup>1</sup>

Tarde vel subito<sup>2</sup> vita decedere, nil est ;  
Si bene discedas,<sup>3</sup> Pindare, non nihil est.

XXXII. *Sub onere rectum esse gloriosum.*

Sub quocunque onere, strepitu omni, omnive labore,  
Rectum stare, Licha,<sup>4</sup> gloria non modica est.

XXXIII. *Ridere vel rideri, vitium.*

Si rides alium, vel si rideris, utrumque  
Culpa est, Maure, prius turpe, sequensque magis.<sup>5</sup>

XXXIV. *Tempnere tempni debere.*

Vivere, Prote, velis feliciter atque beate,  
Tempni tempne, aliis vilis, et esto tibi.

XXXV. *Ne contempnamur, bene esse vivendum.*

Contempnat te nemo velim, sic vive, Trebati ;  
Tempnuntur mores? tempneris ipse miser.

XXXVI. *Honorandum esse doctorem.*

Arguitur furia, medicum dum percutit æger,  
Et tu doctorem dum, Menalippe, tuum.

XXXVII. *Non obloquendum amico.*

Frangis amicitiam dum, Turdale, rodis amicum ;  
Insidians socium, frangis amicitiam.

<sup>1</sup> *adesse*, C.<sup>2</sup> *vel sero*, B. C.<sup>3</sup> *decedes*, A.<sup>4</sup> *Lica*, B. C.<sup>5</sup> A leaf, or perhaps two, are here  
lost in MS. B.



XXXVIII. *Jurgia*<sup>1</sup> *pacem non creandam.*

Scæva, tene, quia siqua paret discordia pacem,  
Et tua nos pacant jurgia, Scæva, tene.

XXXIX. *Verbis picturatis non esse credendum.*

Verborum multos mihi, Victorine, colores  
Pingis, nullique est attribuenda fides.

XL. *Opinionem malam fugiendam.*

Commissum, Damasippe, tuum quod<sup>2</sup> verba sequantur,  
Hanc metuis,<sup>3</sup> quid plebs garriat, haud metuis.

XLI. *Melius probatum amare, quam amatum probare.*

Marce, perutilius censemus amare probatum,  
Quam quem reddideris, velle probare, tuum.

XLII. *Pingui ventre tenuem sensum non nutrirî.*

Vult sensum tenuem, curat dum, Mervie,<sup>4</sup> ventrem,  
Ob tenuem sensum<sup>5</sup> nutrit<sup>6</sup> aqualiculum.

XLIII. *Difficilia inquirenda, facilia non adeo.*

In scirpo nodum quærendo, Viselle, laboras,  
Dignaque quæsitū prætereundo<sup>7</sup> probas.

XLIV. *Vitium animæ despiciabilius quam corporis.*<sup>8</sup>

Ridemus Calirum dissutis naribus esse,  
Non rupilum fœdis moribus effluere.

<sup>1</sup> *Jurgia*, C.

<sup>2</sup> *quæ*, C.

<sup>3</sup> *Haud metuis*, C.

<sup>4</sup> *dum curas*, *Mergule*, C.

<sup>5</sup> *Ob sensum tenuem*, C.

<sup>6</sup> *mittis*, C.

<sup>7</sup> *prætereunda*, C.

<sup>8</sup> *quam corporum*, C.

XLV. *Socium non ascisci<sup>1</sup> omnimodis mobilem.*

Dum vertis habitum, mores,<sup>2</sup> et verba, Levine,  
Te sibi nemo parem, nemo facit socium.

XLVI. *Non semper studendum tristibus.*

Eutrapelus non blanditias, non gaudia vultu  
Significat, ringi, frendere, flere vacat.

XLVII. *Naturam assiduitate culturae novandam.*

Naturam<sup>3</sup> cultura novans, educit ab imo;  
Ergo nova<sup>4</sup> mores, Corve, colendo tuos.

XLVIII. *Velle sapere, non vocari sapientem.*

Nil, Beroine, sapis, et dicis te sapientem;  
Dum rapis hoc nomen, nil, Beroine, sapis.

XLIX. *Ut ventri imperes, gulam arcendam.*

In vilem fumum sorbillans omnia vertis,  
Merule, ventris amans, non regis ipse gulam.

L. *Non tantum grandia, sed et parva, cavenda.*

Quem leo non tetigit, dum mordet aranea<sup>5</sup> lædit,  
Enole, non tantum grandia, parva cave.

LI. *Hominem nequam nullo modo leniendum.*

Lenio sæpe mihi pastu volucremque feramque,  
Lenio te nullo, Nasidiene, bono.

LII. *Miseris nec quod miseri sint<sup>6</sup> credi.*

Grande doloris onus miseris superadjicitur, dum  
Nec quod sunt miseri, creditur, Aule, sibi.

<sup>1</sup> *ascisti, C.*

<sup>2</sup> *vertis mores, habitus, C.*

<sup>3</sup> *Natura, C.*

<sup>4</sup> *Sic nova, C.*

<sup>5</sup> *arena, A.*

<sup>6</sup> *sunt, C.*

LIII. *Consilium senum rejiciendum non esse.*<sup>1</sup>

Pannorum veterum facile contempnitur usus,  
Non sic concilium, Postumiane, senum.

LIV. *Non se ultro ingerendum.*

Jure repellendum Pethosirim dicimus, ultro  
Qui se non gratis ingerit officii.

LVIII. *Amare ut amicus sis.*

Omnis amicus amat, sed non qui amat omnis amicus;  
Si quem, Basse, tu amas, esto et amicus ei.

LVI. *Qui amico non parcit, inimico non parcere.*

Innumeras fraudes in amicos<sup>2</sup> tendit Ulixes,  
Quid facturus erit hostibus ergo<sup>3</sup> suis.

LVII. *Statum mentis esse firmandum.*

Mobilibus ventis similas ludibria mentis,  
Veseve, nunquam stans, sed quasi turbo volans.

LVIII. *Timore mortis delicias comprimendas.*

Delicias carnis spes funeris ultima solvit;  
Mortem quando vides te prope, Magne, times.

LIX. *Sermonem inutilem esse spernendum.*

Sermo, Flacce, tuus currit nimis, accipiendus  
Haud tamen est, nulla quem parit utilitas.

LX. *Absque moribus genus non valere.*

Stemmata continuas, recitas ex ordine patres,  
Sed nisi sint mores, Damma, mihi nihil es.

---

<sup>1</sup> non esse rejiciendum, C.

<sup>2</sup> amicum, C.

<sup>3</sup> ipse, C.

LXI. *Occultum hostem sævius nocere.*

Cautio provisa, formido videtur aperta,  
Occultus hostis sævior, Elne, tibi.

LXII. *Culpam sapienti ostensam cito finire.*

Ad radios solis siccatur nonius humor,  
Et tua culpa, Line, iudicis arbitrio.

LXIII. *Eligendum cui placeamus.*

Prædicat Ermogeras non omnibus esse placendum,  
Elige de multis, Regule, cui placeas.

LXIV. *Studium virtutis semper habendum.*

Incipit Alchidamas virtuti sæpe studere,  
Sed sine fine parum proderit incipere.

LXV. *Non litigare.*

Exaltas in lite tuam, Germanice, vocem,  
Ut furius mentis vox furiosa sonet.

LXVI. *Propter fortunam non superbire.*

Extolli noli, quod te fortuna beavit,  
Pomponi, hæc eadem quæ levat ipsa premit.

LXVII. *Moribus homines non natura dissentire.*

Ejusdem naturæ homines cognosce, Menacla,<sup>1</sup>  
Et tamen hos morum gratia dissimulat.

LXVIII. *Ut medicinam, ita et sermonem variandam.*

Infirmis variis medici varianda supellex,  
Sermoque, Pyrrhe, tuus quem facis ad juvenes.

---

<sup>1</sup> *Menalcha*, C.

LXIX. *Vitiosi esse ut lateat.*

Indicium culpæ nos, Clinia, dicimus esse  
 Quod semper latebras, semper amas tenebras.

LXX. *Vitium loco non mutari.*

Quacunq̄ue incedit rostratam vidimus Ybim,<sup>1</sup>  
 Et te cum pravis moribus, Alle, tuis.

LXXI. *Vitium animi et in<sup>2</sup> corpore apparere.*

Invidiæ flamma quia, Tigilline, laboras,  
 Exsiccata cutis omnibus insinuat.

LXXII. *Volentem portari et alios portare.<sup>3</sup>*

Portari semper, nunquam portare, suesti,  
 Fusce,<sup>4</sup> quod a nobis exigis, exigimus.

LXXIII. *Sapientem non esse ridendum.*

Ridemus claudum, rectum dum<sup>5</sup> ridet, Alesi,  
 Ridemus risum de sapiente tuum.

LXXIV. *Spondenti sæpe non multum esse credendum.*

Sponsio spes vacua, sponsor versatilis aura ;  
 Noli spondenti fidere, Dagne, nimis.

LXXV. *Non esse variandum sermonem.*

Bos mugit, sed balat ovis, variatio nulla ;  
 Tu semper linguam, Faune, tuam varias.

LXXVI. *Virtutem locali mutatione non quærendam.*

Proficies, Labiene, parum, si climata transis,  
 Dum vitam, mores trans mare sæpe petis.

<sup>1</sup> *Ibin*, C.<sup>2</sup> *animi in*, C.<sup>3</sup> *alios non portare*, C.<sup>4</sup> *Nusce*, C.<sup>5</sup> *cum*, C.

LXXVII. *Vitam bestialem non imitandam.*

More probaris aper, et nomine diceris Aper,  
 Nomine sis Aper, more vetaris<sup>1</sup> aper.

LXXVIII. *Cito laudare vel vituperare vitium esse.*<sup>2</sup>

Vituperat subito subito qui laudat, Aledi ;  
 Hoc utrumque tuum significant<sup>3</sup> vitium.

LXXIX. *Dulcedinem divitiarum sæpe gravare.*

Mella,<sup>4</sup> cibus dulcis, sunt sæpe nocentia multis ;  
 Divitiæ dulces pluribus, Alle, graves.

LXXX. *Virtutem exercendam, vitium fugiendum.*

Pro virtute vacat fervens ad turpia Vacca ;<sup>5</sup>  
 De vitio laudem quærit habere parem.

LXXXI. *Non cathedram qua doceatur, sed quæ  
 doceantur inquirent.*

Qua doceat sedem quærit Plotinus et ædem ;  
 Quærit qua doceat, non ea quæ doceat.

LXXXII. *Viliorem dominari ridiculosum*<sup>6</sup> *esse.*

Ridemus murem<sup>7</sup> dominantem muribus, Acci ;  
 Te quoque collegas dum dominando premis.

LXXXIII. *Superbia pacem everti.*

Aeriam pacem ventosa superbia tollit,  
 Atque tumor mentis, Maximiane, tibi.

<sup>1</sup> *vetans*, C.<sup>2</sup> *vitiosum esse*, C.<sup>3</sup> *significat*, C.<sup>4</sup> *Bella*, C.<sup>5</sup> *Vaca*, C.<sup>6</sup> *ridiculum*, C.<sup>7</sup> *mutem*, C.

LXXXIV. *Muneribus justitiam tolli.*

Missilibus, Datiane, tuis Astræa recessit;  
Vincis muneribus jus, Datiane, tuis.

LXXXV. *Laudari a turpibus, vel ob turpia, laudem non esse.*

Nullum credo decus laudari a turpibus, Herme;  
Sed nec laudari ob turpia credo decus.

LXXXVI. *Senem puerum esse non decere.*

Post annos centum puer Alphesibœus<sup>1</sup> adhuc est;  
Non ætate puta, sed vitio, puer est.

LXXXVII. *Displicere ineptum unde placere contendit.*

Exemplo, Menelae, tuo testaris ineptum,  
Unde placere cupit, sæpe placere parum.

LXXXVIII. *Hostes diligere, amicos negligere, non decere.*

Hostes Glaucus amat, Probus apernatur amicos;  
Scævola, stultitiæ dignus uterque nota.

LXXXIX. *Non de omni victoria coronam decere.*

Signiferum belli quæsita corona decebit;  
Quem subitant lites, Mopse, corona decet?

XC. *Libros ob sententias diligendos.*

Libros<sup>2</sup> non pretium quæris, Melibœe, librorum;  
Ut libros habeas, nec sapiendo teras.

XCI. *Amare et amari decere.*

Nulli carus erat Erisichthonus, et sibi nullus  
Elegit misera conditione frui.

---

<sup>1</sup> *Alphesipeus*, B.

| <sup>2</sup> *librum*, C.

XCII. *De honore dolorem sæpe prodire.*

Nolit in accepto gaudere Seranus honore ;  
Sæpe dolor læto prodiit introitu.<sup>1</sup>

XCIII. *De remissa infortunii dolere qui invidet.*

Galba dolet, Cicero quoniam pede claudicat uno ;  
Nempe hunc deficere vellet utroque pede.

XCIV. *Non esse amicum qui amico non relinquit amicum.*

Si nobis nullum, Catia,<sup>2</sup> relinquis amicum,  
Te fratrem nobis<sup>3</sup> non reor, aut sociam.

XCV. *Judicem curis vacuandum.*<sup>4</sup>

Dedita mens curis fit veri nescia juris,  
Astruis hoc versis, Maxime, judiciis.

XCVI. *Appetito rem laudis negata laude tristari.*

Sæpe, Vitelle,<sup>5</sup> doles, quia te laudando superfers  
Omnibus, et nulla<sup>6</sup> laus tibi grata placet.

XCVII. *Non cui invidet,<sup>7</sup> sed qui invidet, nocere invidiam.*

Torres invidia non Quintum, Candide, sed te ;  
Torres invidia non alium nisi te.

XCVIII. *Virtuti modum adhibendum.*

Virtutis studio nimius,<sup>8</sup> Crysippe, videris,  
Virtus absque modo nomen habet vitii.

<sup>1</sup> *interitu*, C.<sup>2</sup> *Catilina*, C.<sup>3</sup> *nostrum*, C.<sup>4</sup> *evacuandum*, C.<sup>5</sup> *Viselle*, C.<sup>6</sup> *nulli*, C.<sup>7</sup> *invidetur*, C.<sup>8</sup> *studio nimium*, C.



XCIX. *Virtute non opibus beati.*

Credis opes solas te posse, Charine, beare ;  
 Virtus est quæ te sola beare queat.

C. *Lectionem sine operibus non satis prodesse.*<sup>1</sup>

Frustra multa legis, Hugo, si nil opereris ;  
 Non, Hugo, te vere lectio sola beat ?

CI. *Jus observandum.*

Injuste vivis, dum jus effringere vi vis ;  
 Non uti velis altius, Alte, velis.

CII. *Indignum gloriam quæri ex culpa.*

Miramur Rupilum per quæque nefanda vagari,  
 Et sibi virtutis præmia velle dari ;  
 Juris amatorem merito celebramus honore,  
 Præmia vel laudes abnuimus sceleri.

CIII. *Non pudere peccare quem peccasse non pudet.*

Quæ puer et juvenis commisit turpia Phorbas,  
 Tanquam si placeant, sæpe referre solet ;  
 Sed ratio est quia quem nunquam peccasse pudebit,  
 Nec peccare pudet, vive et utrumque pudet.

CIV. *Raritate etiam vilia placere.*

Vilia divitibus notum est plerumque placere,  
 Nec quia vilia sunt, sed quia rara, Line.  
 Sic plerumque premit pretiosa frequentior usus ;  
 Cum pisces oleant, vilia carna placent.

CV. *Honesta multa vi paupertatis extingui.*

Non sanguis, non oris honor, non gloria sensus,  
 Non gravitas morum, proderit, Aule, tibi ;

---

<sup>1</sup> This epigram is found only in C.

Pauper enim tu semper eris, quia pauper es, et te  
Colliget ulterior ulteriore gradus.

CVI. *Os ad mores contorquendum.*

Hostem, Laude, tuum socium tibi sæpe refingis,  
Collegamque tuum diro odio insequeris;  
Ergo premas laudesve modum servare memento,  
Moribus ut versis os variare queas.

CVII. *Placare mordacem parum proficere.*

Nil tibi proficias pectendo canem atque lavando,  
Paule, lava laterem, nil tibi proficias.  
Nil tibi proficias hominem mulcendo caninum,  
Servi, fer curam, nil tibi proficias.

CVIII. *Præposterum ante docere quam discere.*

Ante docere cupis quam discere, Pontiovane,  
Et regere affectas, nescius ipse regi.  
Quam male confundit ratio præpostera mores,  
Cum docet indoctus, ducit et absque duce.

CIX. *Ignotis nota esse præponenda.*

Visceribus peregrina<sup>1</sup> tuis annectere, durum est;  
Concordare sibi extranea, difficile est.  
Quod jungit natura tibi, Marcelle,<sup>2</sup> repellis,  
Exterum et adversum vis sociare tibi.

CX. *In subventu aliorum sibi non nocendum.*

Ne noceas tibi, sic aliis prodesse memento;  
Velle beare alios, prodere te, miserum est;  
Quo vitio cum decenti plerique laborent,  
Unum supra omnes Euripidem video.

---

<sup>1</sup> peregrine, C.

| <sup>2</sup> Marcelle, tibi natura, C.

CXI. *Altiora casu graviore prolabi.*

Altior ascensus, gravior plerumque ruina est,  
 Sollicitudo gravis, præproperatus honor.  
 Cum nimis alta petis citus incautusque, ruina  
 Et gravis et subita est, Sexte, timenda<sup>1</sup> tibi.

CXII. *Invidum raro vel nunquam conciliandum.*

Invidus es, Gaius, frustra sibi, Magne, placere  
 Contendis, non te conciliabis ei.  
 Diligis? instigas; vis pacificare? fatigas;  
 Sic exhibitio perdis amore duos.

CXIII. *De justitia nasci saepe injustitiam.*

Crimina nulla tibi quoniam sunt, Galle, superbis;  
 Inflaris, quoniam crimina nulla tibi.  
 Crimen in omne ruis, quia non peccasse superbis,  
 Te justum esse putans, crimen in omne ruis.

CXIV. *Invitum non posse servari.*<sup>2</sup>

Invitum servare diu, provincia dura est;  
 Vis servare planum, Maximiane? grave est.  
 Non foveam accendit,<sup>3</sup> laqueos parat, excitat ignes;  
 Mortem amplexanti vivere difficile est.

CXV. *Parvis prodesse quod parvi sunt.*

Qui vidit te, Gropshe, duos deprendit in uno,  
 A retro puerum videt,<sup>4</sup> ab ante, virum.  
 Si ludis, puer es; da posteriora, probatur,  
 Ludum defendis; vertere, liber eris.

<sup>1</sup> *timende*, C.<sup>2</sup> *Invitum diu servari non posse*,  
C.<sup>3</sup> *attendit*, A. C.<sup>4</sup> *vidit*, C.

CXVI. *Vocem habendam pro corpore.*

Zoile, dum tussis, dum verbis aera rumpis,  
 Tu major toto corpore conciperis.  
 Colligit auditus, quod visio certa refellit;  
 Auris amanda tibi, visio<sup>1</sup> non adeo.

CXVII. *Hominem levem nemini debere placeri.*

Mente levis, sermone duplex, tibi complacet, Albi,  
 Unius est et non consonuere tibi.  
 Si levis es, comitare<sup>2</sup> levem, si fixus, et idem,  
 Prothea miramur complacuisse tibi.

CXVIII. *Non de eodem accusari et accusare debere.*

Bella Neoptolemi<sup>3</sup> nigro sale, Phædria, punis,  
 Dente premis nigro bella Neoptolemi.  
 Bella Neoptolemus sibi præmonstrata capescit,  
 Sumit quæ dederas bella Neoptolemus.

CXIX. *Operam non bono impensam amitti.*

Serpentem compone sinu, blandire, foveto,<sup>4</sup>  
 Ludificas operam, Ceciliane, tuam.  
 Friguit<sup>5</sup> ante sinum, calet, et vomit ore venenum,  
 Virus torpebat, tu facis, ut<sup>6</sup> caleat.

CXX. *Rebus inutilibus operam non adhibendam.*

Arte tua crines reparasti, Leda, marito,  
 Pulsa canitie redditur ecce color.  
 Arte tua nervum tendis relevare mariti,  
 Sed jacet et languet, heu! quia vincitur ars.

<sup>1</sup> *viso*, A.<sup>2</sup> *commitare*, C.<sup>3</sup> *Neopholomi*, A.<sup>4</sup> *faveto*, C.<sup>5</sup> *Friguat*, B.<sup>6</sup> *at*, B.

CXXI. *In vitio non permanendum.*

Unice vive puer, lætus cantabat Adonis,  
 Nunc quoque cantat adhuc, unice vive puer.  
 Non silet aut siluit tibi nomen amoris apud me,  
 Nomen amare probans, non silet aut siluit.

CXXII. *Agere prius, post exigere.*

Exigis a nobis quem nulli solvis amorem,  
 Quam<sup>1</sup> nulli præstas, exigis, Aule, fidem.  
 Exigis a nobis quem non merearis honorem,  
 Mirum est quod non das id tibi velle dari.

CXXIII. *Loqui nocere, silere non.*

Rufe, tui comites servare silentia norunt,  
 Conticuere diu, Rufe, tui comites.  
 Tarquinius Brutum per longa silentia pressit,  
 Ille tacens regi cogitat exilium.

CXXIV. *Datum non recordandum.*

Splendida dona mihi dum sæpe et sæpe dedisse  
 Omnibus aut multis, Maximiane, refers,  
 Quæ dederas, vel plura, tibi te velle rependi  
 Omnibus aut multis, Maximiane, refers.

CXXV. *Non de alieno sed de suo gloriam quærendam.*

Non numeres tibi divitias, non facta priorum,  
 Si laudem a nobis, Aureliane, petas;  
 Auctores magnorum operum sua facta celebrant,  
 Et laus ipsorum, non tua laus, agitur.

CXXVI. *Usui vel naturæ commoda expetenda.*

Non indignatur serpente ciconia pasci,  
 Pasci triticea messe columba petit;

---

<sup>1</sup> Quem, C.

Pindare, nil sceleris homo nequam prorsus abhorret,  
Virtus in voto qua<sup>1</sup> veneremur habet.

CXXVII. *Paulatim magna decident.*<sup>2</sup>

Decidit immensus paulatim montis acervus,  
Fluminea tellus alluvione fluit.  
Fidime, virtutis paulatim decedit<sup>3</sup> usus,  
Justus homo culpæ diruitur fluvio.

CXXVIII. *Perfidam mentem inscrutabilem esse.*

Inscrutabilis est maris exundantis abyssus;  
Æquora mota hominis rejiciunt oculum;  
Inscrutabilis est malefidæ mentis abyssus,  
Dædale, turbida mens non habet intuitum.

CXXIX. *Non nimis cupiendum.*

In mundo quid, Druse, facis, qui major es ipso?  
Omnis gloria te non capit, omnis honor;  
Amplexu cupido totum complecteris orbem,  
Et nunquam penitus es tibi sufficiens.

CXXX. *Laudari stultum et deficere.*

Qui te laudabant jam defecere, Melane;  
Rumor falsidicus surgit, et ecce cadit.  
Despicio funum dum surgit deficientem;  
Deficit exurgens gloria de nihilo.

CXXXI. *Animum videri in facie.*

Lubricus aspectus, facies incerta, Macrine,  
Significant nobis te nimis esse levem.  
Est speculum mentis facies, oculique revelant<sup>4</sup>  
Qualia sunt intus mens animusque hominis.

<sup>1</sup> quæ, C.

<sup>2</sup> *Paulatim magna decidere*, C.

<sup>3</sup> *deficit usus*, C.

<sup>4</sup> *relevant*, A.

CXXXII. *Nihil pejus optare avaro quam diu vivere.*

Orandum<sup>1</sup> quid vel gravius vel pejus avaro  
 Secula quam vitæ continuare diu?  
 Nasidiene,<sup>2</sup> diu vixisti semper avarus,  
 Oro tibi vivas, Nasidiene, diu.

CXXXIII. *Non de nihilo esse gaudendum.*

Tres in fronte pili tibi dant, Tatiane,<sup>3</sup> tumorem,  
 Et quia calvus eos invidet esse tibi;  
 At brevis hic numerus tibi dampna gemenda reportat,  
 Huic quia nullus adest, nec se habuisse putat.

CXXXIV. *Se senem qui dolet, velle delirare.*

Præproperam tibi canitiem, Tite,<sup>4</sup> plangis adesse,  
 Et senis ad nomen subrigit ira jecur;  
 Delirasse parum tibi forte videris, et ardes  
 Protelare tuæ tempora nequitiae.

CXXXV. *Placere<sup>5</sup> opere non gestu.*

Versus, Dave, canis, vultuque manuque laborans  
 Ut placeas gestu, carmine si nequeas;  
 Non te versum, sed versum laudare decet te,  
 Fac ut te versus laudet ubique tuus.

CXXXVI. *Avarum in vita nulli, in morte multis  
 prodesse.*

Non sibi non aliis prodest dum vivit avarus,  
 Et prodest aliis et sibi dum moritur.  
 Ut quod prosit agas ergo vixisse, Melampe,<sup>6</sup>  
 Jam tibi sufficiat vita inimica tibi.

<sup>1</sup> *Grandum*, A. ?

<sup>2</sup> *Nacidiane*, C.

<sup>3</sup> *Datiane*, C.

<sup>4</sup> *tibi*, A.

<sup>5</sup> *Placendum*, A.

<sup>6</sup> *Melane*, A.

CXXXVII. *Se non posse refringere.*<sup>1</sup>

Pigmeis nanisque sodalibus uteris, usque,  
 Sisiphe, num casu<sup>2</sup> vel ratione facis.  
 Apparere quidem faciunt non te esse gigantem ;  
 Nam mihi pigmeus, non mihi nanus eris.

CXXXVIII. *Nobis esse placere, aliena non.*

Nostra aliis, et plus nobis aliena placere,  
 Commune id vitium est, morbus et iste gravis.  
 Qui cum pene omnes titillet, in omnibus unum,  
 Et supra cunctos te, Damasippe, movet.

CXXXIX. *Potestatem iracundiæ additam esse pro fulmine.*

Tydeu, cum nequeas rabiem compescere cordis,  
 Offendit qui te præcluem honore facit ;  
 Nam fulmen pariunt, regno dum jungitur ira ;  
 Ira movet gladium, sanguine gliscit honor.

CXL. *Patres non odire, sed obedire.*

Tu benefacta tui tanquam malefacta parentis<sup>3</sup>  
 Semper dente malo, Garrule, persequeris.  
 Dilige si bonus est justa pietate parentem,  
 Si malus est, tolera, filius esto bonus.

CXLI. *Quæ aliis feceris, ab eis expectare eadem.*<sup>4</sup>

Jurgia, clamores tibi gloria, gloria lites,  
 Et facis et dicis omnibus unde noces.  
 Expectes<sup>5</sup> eadem quæ nobis feceris, Alte,<sup>6</sup>  
 Nam quem tu lædis, te ferit ille libens.

<sup>1</sup> *refingi*, A.<sup>2</sup> *vel casu*, C.<sup>3</sup> *parenti*, B. apparently.<sup>4</sup> *eadem ab eis expectare*, A.<sup>5</sup> *Expectas*, B. C.<sup>6</sup> *Albi*, A.



CXLII. *Dominos avaros servos nequam diligere.*

Dispensator eris per tempora longa, Treboni,  
 Unum qui leporem multiplicare sapis.  
 Unus quippe recens raro vix sufficit uni,  
 Sed servando vetus mille facit lepores.

CXLIII. *Servos divites non agnoscere se.*

Damma fuit servus, se non agnoscit, honore  
 Sublimis factus se vacuisse putat  
 Quod quondam fuerat, sed sumpta pelle leonis,  
 Qui vilis fuerat vilis asellus erat.

CXLIV. *Sæpe unde ridemus et nos rideri.*

Ridebas<sup>1</sup> ficos aliorum sæpe, Rubelli,  
 Irrident ficos ecce tuos alii.  
 Infirmæ naris stillam ridere solebas,  
 Profluvium ecce tuum risus ubique premit.

CXLV. *Deceptores aliorum et<sup>2</sup> decipere et decipi.*

Servule, dulce canis volucres ad retia suadens,  
 Ut me decipias, Servule, dulce canis.  
 Unus adulando te mecum decipis ipse ;  
 Uni falsa loquens, decipis ipse duos.

CXLVI. *Vinosum<sup>3</sup> vitii proximitate torreri.*

Ad dubiam cœnam me, Nasidiene,<sup>4</sup> vocasti,  
 Sed longe a mensa me recubare facis.  
 Irritor visu, magis irritarer odore ;  
 Si me flere velis, fac propius sedeam.

<sup>1</sup> *Videbas*, B.<sup>2</sup> *et omitted in C.*<sup>3</sup> *Vitosum*, A.<sup>4</sup> *Nasidiane*, C.

CXLVII. *Juvenem largum, senem parcum*<sup>1</sup> *mirari.*

Miramur juvenes largos, vetulosque tenaces,  
 Illis cum multum, his breve restet iter.  
 Vibidius<sup>2</sup> nostrum minuit de parte stuporem,  
 Cum puer atque senex prodigus extiterit.

CXLVIII. *Os non male mutandum.*

Curinomus quando satur est, jejunia laudat;  
 Quando jejunus prandia magnificat.  
 Unde fit<sup>3</sup> ut multi super illo multa loquantur,  
 Quod sic delirans os et opus variat.

CXLIX. *Pauperi nec in morte sufficere.*

Pauper divitibus tumulos, Marcelle, parabas,  
 Num tibi defuncto quis tumulum faciat?  
 Cum saperes te sorte mori, cum pauperem egere,  
 Composuisse prius te tibi oportuerat.

CL. *Aliena non tractanda.*

Et virtus et de virtutis semine sermo  
 Lucet, et apparet simplici inesse suo;  
 Si justus, hæc magnificas, si sordidus, audes  
 Attrectare, tamen utraque degeneras.

CLI. *Locum mores non mutare.*

Serpentem innocuum faciunt deserta locorum,  
 Non quia virus abest, sed quia cui noceat.  
 Dat virus natura, locus non, ergo recedens  
 Tu virus tecum, Gratidiane, feres.

CLII. *Amicum pro ipso habendum.*

Ut bove, sicut equo, sic utitur Aulus amico,  
 Sic fratre et socio, ceu bove, sicut equo.

<sup>1</sup> *tenacem*, A.

<sup>2</sup> *Vidibius*, A.

<sup>3</sup> *sit*, B.

Optat equo atque bovi durare diuque valere,  
Sed sibi tantum ipsi, non id equo atque bovi.

CLIII. *Nomen honoris, non rem, parum valere.*

Nomen honoris<sup>1</sup> habere parum est, non pondus honoris,  
Momentum nullum, et nomen habere parum est.  
Nomen et amittis, si tantum est nomen honoris,  
Si quæ poscit honor, Maxime, nulla facis.

CLIV. *Consilio juvenum non esse fidendum.*

Consilio juvenum fidis, Melibceæ, ruinam  
Expectare potes, dum sine consilio es.  
Non est securus, supra titubantia fultus,  
Jungere labenti, labitur ille, cadis.

CLV. *Magna promittere, parva dare, non decere.*

Murenas nobis spondebas, Albinovane;  
Lumbricos tenues, Albinovane, paras.  
Magna quidem dare, sed promittere parva, decorum est;  
Te facere e contra gloria nulla tibi.

CLVI. *Sua communicare.*

Unde habeas, Line, non curas, curas ut abundes,  
Et solus perdas, omnia solus habes.  
Tu non participas possessi gaudia cuiquam,  
Ergo nec amissi participas lacrimam.

CLVII. *Furenti respondendum non esse.*

Respondere tibi dum nolo de mea demens,  
Me victum<sup>2</sup> irrides, sed Senecæ ratio est.  
Qui vincis, vinci, qui vincor, vincere, vincit<sup>3</sup>  
Te ira gravisque furor, liber ab his ego sum.

<sup>1</sup> honore, B.

<sup>2</sup> Te victu, A.

<sup>3</sup> uncit, B.

CLVIII. *Servos non esse pauperandos.*

Dum spolias servos, dum diripis omnia eorum,  
 Compede servitii, Lentule, solvis eos.  
 Paupertas servum tibi libertate coæquat,  
 Assint<sup>1</sup> divitiæ, tu dominaris eis.<sup>2</sup>

CLIX. *Sibi in omnibus providendum.*

Multiplici giro milvus circumvolat escam,  
 Infectam metuens tristibus aucupiis.  
 Servule, tu nulla ratione per omnia curris,  
 Te nudum opponens omnibus insidiis.

CLX. *Putandum esse vitium dum recens est.*

Spina recens et parva tibi, Sejane, putanda,  
 Dum rudis et parva est culpa putanda tibi;  
 Firmat humi spinam robusta et plurima radix,  
 Mens assueta malo, firmitus hæret ei.

CLXI. *Carpendum, carpere non decere.*

Cur maculas alios maculosior omnibus, Albi?<sup>3</sup>  
 Et carpi dignus, carpere non metuis.  
 Carpendos etenim<sup>4</sup> carpis torrente cachinno,  
 Ne quis carpendum te magis esse putet.

CLXII. *Secum morari et consistere, mentis esse compositæ.*

Est mentis bene compositæ consistere secum,  
 Et non immotus dissimiles ruere.  
 Lause, ut consistas tecum, tecumque moreris,  
 Figi disce loco, ne levis esse velis.

<sup>1</sup> *Assunt*, C.<sup>2</sup> *ei*, A.<sup>3</sup> *Alei*, B.; *Alci*, C.<sup>4</sup> *et non*, A. C.

CLXIII. *Antequam ames probare, probatum amare.*

Sæpe diuque suo quem dignum censet amore

Pertractum<sup>1</sup> sapiens sic amat<sup>2</sup> exhibitum.

Antequam ames, Crysippe, proba, sed amare probatum

Cura, toto illum pectore suscipias.

CLXIV. *Dare cum hilaritate.*

Attollunt hilares vilissima munera vultus,

Vultus sublustres<sup>3</sup> maxima dejiciunt.

Si donas tristis, et dona et præmia perdis,

Didime, dona hilaris, non sine laude facis.

CLXV. *De bono vel malo non jactare.*

Iratis irato animo respondet Alanus,

Et se jactat in hoc, grande nimis vitium.

Si iratis placato animo respondet Alanus,

Et se jactat in hoc, grande quoque est vitium.

CLXVI. *Voracem et capere et rapere.*

Prodigus est Ancon, nec se novit cohibere,

Currenti nunquam fræna<sup>4</sup> retentat equo:

Culpa quidem gravis est, gemini quoque causa reatus,

Cum male cuncta vorans, et cupit atque rapit.

CLXVII. *Famæ non operi<sup>5</sup> confidentem cito decidere.*

Quæ crescit ramis et non radicibus arbor,

Æmiliane, brevi flamine mota ruit.

Qui celebris famæ ramos per inania tendit,

Non radicem operum, corrui ex facili.

CLXVIII. *Neminem sese efferre<sup>6</sup> debere.*

Vir bonus et prudens nulli sua facta revelat,

Non<sup>7</sup> quærens laudem perdat opusque suum.

<sup>1</sup> Pertractat, A.

<sup>2</sup> amatur, C.

<sup>3</sup> subtristes, C.

<sup>4</sup> freno, C.

<sup>5</sup> opere, C.

<sup>6</sup> offerre, B. C.

<sup>7</sup> Ne, A. C.

Tu facis e contra, tua, Tityre, turpia nudans,  
Laudari cupiens quæ male gesta probas.

CLXIX. *Imitandum esse quem magis aspectu  
probaveris quam auditu.*<sup>1</sup>

Illum proponas tibi, Cælestine, sequendum,  
Quem magis aspectu quam aure probatum habeas.  
Sunt homines nequam, bene de virtute loquentes,  
Non hos sed verbum pectore fige tuo.

CLXX. *Inimicos procul removendos.*

Audisti quoniam vermes de carne creati  
Carnem rursus edant, pellis eos, abigis;  
Vipeream prolem de te, Phidippe, dedisti,  
Quæ te rodit ovans, tu tamen usque foves.

CLXXI. *Velle debere et regi et regere.*

Non vult vera loqui Titus, ut non audiat ipse;  
Cumque regi non vult, neminem et ipse regit.  
Sic in eo pereunt casti commercia amoris,  
Cum nullum curans aut regit aut regitur.

CLXXII. *Vitam hominis variam esse.*

Alternis vicibus mutantur tempora mundi,  
Temperies cœli, Plaute, vices patitur.  
Sic alternatur humanæ formula vitæ,  
Tristibus et lætis dissimilata<sup>2</sup> ruit.

CLXXIII. *Dici vel esse bonum, idem non esse.*

Dici aut esse bonum non nos<sup>3</sup> reputamus ut unum;  
Dici non multum proderit, esse nimis.  
Dici aut esse malum, Protheu, non dicimus unum;  
Dici, si noceat, sed magis esse nocet.

---

<sup>1</sup> magis aspectu quam auditu pro- | <sup>2</sup> assimilata, B.  
baveris, B. | <sup>3</sup> nos non, C.

CLXXIV. *Servum eundem et dominum unius non esse.*

Miramur tibi, Naupliades, te nolle præesse,  
 Illum quem videas<sup>1</sup> nolle subesse tibi.  
 Quæris qui præsit, sed non nisi<sup>2</sup> subjiciatur;  
 Servum esse et dominum me tibi, difficile est.<sup>3</sup>

CLXXV. *Inter nequam bonum apparere, parum esse.*

Omnes infamas,<sup>4</sup> accusas criminis omnes,  
 Euthyme, ut inter eos tu bonus emineas.  
 Apparere bonum, sed supra castra bonorum  
 Magna inter nequam, gloria parva tibi.

CLXXVI. *Invidum præstare ut noceat.*

Scribam ex quinque viro faciens Nasica Coranum,  
 Multum invidit ei, contulit, et nocuit.  
 Donum donat ei, nec non ut honore careret,  
 Sed ne majorem consequeretur eo.

CLXXVII. *Hominem factiosum<sup>5</sup> a re pro re movendum.*

Insidiis cives et amicos sollicitantem,  
 Consilium Bruti se vocat exilio.  
 Sic quia non patitur respublica nostra Cethegum,  
 In brevibus Gyaris aptat eum solio.

CLXXVIII. *Vitium non esse iterandum.<sup>6</sup>*

Qui male moratum te dicunt, Æmiliane,  
 Illos mendaces ut facias cupio.  
 Sed tu quod contra est, ut eorum oratio vera  
 Sit, re confirmas prave, iterans<sup>7</sup> vitia.

<sup>1</sup> *vides*, A.

<sup>2</sup> *sibi*, B.

<sup>3</sup> *non facile est*, A.

<sup>4</sup> *infama*, A. *infamias*, C.

<sup>5</sup> *factiosum*, C.

<sup>6</sup> *iteratum*, C.

<sup>7</sup> *iteras*, B. C.

CLXXIX. *Non paria Deo sentire.*

Subdi velle Deo, servire creata creanti,  
 Consentire illi æqualia, justitia est.  
 Non sic Drusus, qui<sup>1</sup> divina humanaque frangens,  
 Miscuit audacter fasque nefasque simul.

CLXXX. *In paupere raram esse facundiam.*

In tenui panno nulla est facundia, Peleu,  
 Sed cum purpurea veste parata venit.  
 Sit pauper probus et sapiens, omnino negatur,  
 Sit dives, recte protinus annuitur.

CLXXXI. *Qui datur vel recipitur ab homine<sup>2</sup> nequam,  
 honorem non esse.*

Quem Nero dat sumit Catilina<sup>3</sup> nefandus honorem,  
 Si Senecæ credas, Cretice, nullus honor.  
 Hoc super oblato noli unquam lætior esse,  
 Nec super ablato mœstior esse velis.

CLXXXII. *Bene vivere tantum promittere, parum  
 prodesse.<sup>4</sup>*

Sæpe sibi servanda diu proponit<sup>5</sup> honesta  
 Paulus, nec servat Paulus honesta diu.  
 Dico, parum prodest promittere semper honesta,  
 Sed promissa semel firma tenere diu.

CLXXXIII. *Ut desint majorum auxilia, minorum  
 non contempnere.*

Magnorum cum non retinere juvamina possis,  
 Fac non magnorum, Symmache, non renuas.  
 Auxilia infirma consensus fortia reddit,  
 Umbram et quisque suam scito capillus habet.

---

<sup>1</sup> agit qui, B. C.

<sup>2</sup> hominibus, A.

<sup>3</sup> Catelina, C.

<sup>4</sup> promitti, parum valere, A.

<sup>5</sup> promittit, B. C.



CLXXXIV. *Non pro parvis corporibus et animos  
parvos esse.*

Parvas sæpe domos reges habitare videmus,  
Non reges magnas, Æmiliane, puta.  
Sic animi grandes parvissima corpora servant,  
Cum parvi interdum maxima possideant.

CLXXXV. *Impossibile in omnibus valere æqualiter.*

Miror et admiror quod natus Apolline Phaethon<sup>1</sup>  
Omni tanquam uni militat officio.  
Nam numerat, cantat, metitur, separat astra,  
Construit, atque probat, litigat, ac trutinat.

CLXXXVI. *Senem puerilibus intendere non decere.*

De puero prodire senem me præcipis, at tu  
De vetulo esse puer, Maximiane, cupis.  
Esse semel puerum naturæ non vetat ordo,  
Si superaddideris hoc venit ex vitio.

CLXXXVII. *Famam ut pereas non amandam.*

Nominis et famæ per secula longa petitor,  
Insiliit mediis ignibus Empedocles.  
Istius erroris dignus successor et hæres,  
Quæque per alta ruens diceris, Hermenades.<sup>2</sup>

CLXXXVIII. *Non nimiam comestionem exercendam.*

De dubia surgens cœna, Getulice, palles,  
Perdunt officium perdita membra suum.  
Esca quidem simplex sanum facit atque valentem,  
Sed sanum multi destituere cibi.

CLXXXIX. *Pecuniam omnia pertimescere.<sup>3</sup>*

Multimodis, Daciane, dolis evertis amicos,  
Fœdera rescindens dissocias socios.

<sup>1</sup> *Fæton*, MSS.

<sup>2</sup> *Ermenades*, A. B.

<sup>3</sup> *permiscere*, A.

Assuis adversos sub amoris glutine falso ;  
 Bella movens, pacem dissicis atque fidem.

CXC. *Inter dona naturæ mortem ponendam.*

Mortis, Paule, timor tibi vitæ commoda tollit,  
 Jam<sup>1</sup> moreris vivens dum metuendo peris.<sup>2</sup>  
 Inter naturæ ponas<sup>3</sup> si munera mortem,  
 Te de morte metus sollicitare nequit.

CXCI. *Amicos amici amandos.*

Me tanquam socium te dicis amare, Trebati,  
 Et quos prorsus amo<sup>4</sup> dente furente teris.  
 Sed nisi sis sociis socius, et amicus amicis,  
 Non nostrum valeo<sup>5</sup> dicere te socium.

CXCII. *Hostem rejiciendum, patrem recipiendum esse.*

Si tibi blanditur, Nausistrate, respicis hostem,  
 Si monet atque regit despicias ipse patrem ;  
 Inspiciens stultusque modo trutinarius eodem,  
 Hostem dum recipis, persequerisque patrem.

CXCIII. *De nobilitate non superbiendum.*

Multum, Fauste, tua de nobilitate superbis,  
 Quodque bono Faustus omne nomen habes ;  
 Sed nullum nomen momenti quodlibet omen,  
 Culpaque de patribus sæpe venire solet.

CXCIV. *Non nimis studendum vino.*

Carbo, quid est quoniam sæpe mihi vina propinas ?  
 Naso, non labris, hæc tua vina traho.

<sup>1</sup> *Nam, A.*

<sup>2</sup> *paris, C.*

<sup>3</sup> *si ponas, C.*

<sup>4</sup> *totus amo, C.*

<sup>5</sup> *Non potero nostrum, C.*

Unde fluant, si prævaleant quæro reperire,  
Et non invenio vas aliquod nisi te.

CXCIV. *Suis parcendum.*<sup>1</sup>

Tollit ovem de fauce lupi persæpe molossus,  
Ereptamque lupo ventre recondit ovem.  
Tu quoque, Scæva, tuos prædone tueris ab omni,  
Unus prædo tamen perdis ubique tuos.

CXCVI. *Non de minimo superbiendum.*

Qui non tyro fecit, nec fecit militis usum,  
Qualiter ipse ducis præripit officium?  
Grammatica minimum sudasti, Taure, palæstra,  
Et petis orchestram præripiendo locum.

CXCVII. *Pauperibus deesse quædam, avaris omnia.*

Pauperibus quædam, sed avaris omnia desunt,  
Desunt inter opes omnia, Magne, tibi;  
Desunt namque tibi quibus ipse carere videris,  
Et tua sunt tibi sic ut <sup>2</sup> quasi non tua sint.

CXCVIII. *Deteriora non legenda.*

Bos fœnum, leporem canis, alba ciconia vermem,  
Uno de prato sæpe simul capiunt;  
Sensu multiplici cum pagina multa redundet,  
Insipidum semper tu tibi, Plaute, legis.

CXCIX. *Per immoderantiam male decidere.*

Immoderata sitis vivendi deliciose  
Urgebat Tatium, nescit habere modum;<sup>3</sup>  
Jam quasi non sint divitiæ sic utitur illis,  
Jam fastidit eas, nescit habere modum.  
Vilia non adhibet, quæ sunt prætiosa ligurrit,  
Utraque rejiciens,<sup>4</sup> nescit habere modum.

<sup>1</sup> *parcendum esse*, C.<sup>2</sup> *quæ quasi*, C.<sup>3</sup> *meum*, C.<sup>4</sup> *reiciens*, C.

CC. *Reprehensorem irreprehensibilem esse debere.*

Dum furis et clamas, dum lites, Monice, curas,  
 Quod firmas verbo, destruis officio.  
 Tu Curius verbo, tu verbo Lælius alter,  
 Sed te longe alium clamor et ira probant.  
 Ecce caput foedus pia vitæ semina spargit,  
 Prædicat et mores Liber et ipsa Venus.

CCI. *Rarum transitum esse mali in bonum.*

Spes inerat corvum mutari posse columba,  
 Æthiopem posse albescere, stultus eram.  
 Nam tu qui corvus, tu qui niger esse solebas,  
 Albule, corvus eris semper, et ipse niger.  
 Lingua loquax, venterque vorax, corvum, uva Gomorrhæ  
 Quam calcas, turpem te facit atque nigrum.

CCII. *Sibi cupere male, ut alii sit male, invidorum esse.*

Regali migrare domo me, Phædime,<sup>1</sup> tecum  
 Sæpe et sæpe mones ; invidus es, video.  
 Sæpe viatores amor et concordia junxit,  
 Me tibi collegam gratia nulla facit.  
 Ut patiar, vis ipsa<sup>2</sup> pati, vis pauper et exul  
 Esse libens, ut sum<sup>3</sup> pauper et exul ego.

CCIII. *Servos sæpe dominos suos male decipere.*

Cogitat Ursidius sibi dote jugare puellam,  
 Ut placeat domino cogitat Ursidius.  
 Cogitat Ursidius hæredem tollere parvum,  
 Ut placeat<sup>4</sup> domino cogitat Ursidius.  
 Cogitat Ursidius domino quacunq̄ placere  
 Virgine vel puero, quam sapit Ursidius.

<sup>1</sup> *Fidime, C.*<sup>2</sup> *ipse, C.*<sup>3</sup> *sim, C.*<sup>4</sup> *Ut placitat, C.*

CCIV. *Cui aliquid committas videndum.*

Horti divitias commisit Fulvius uni,  
 Fures ille timens furibus exponere;<sup>1</sup>  
 Vix Phœbus noctem, bis pressit Cynthia lucem,  
 Arboribus fascis diripiturque color.  
 Ergo servari non hos servare deceret;  
 Si servabis eos, non bene credo tibi.

CCV. *Parum retinere qui cito cuncta transmittit.*<sup>2</sup>

Cuncta sapis si cuncta legis, sic, Rufe, probabas;  
 Sed legis, ergo sapis; Gallus utrumque negat.  
 Mille die cartas, totidem de nocte revolvis,  
 Sed nusquam esse potest siquis ubique cupit.  
 Nec bene firmatur radix quæ sæpe movetur,  
 Nec multa hospitia pignus amoris habent.

CCVI. *Morum discordia gratiam distrahi.*

Conventus morum faculam succendit amoris;  
 Si varias mores, gratia distrahitur.  
 Demetri Zetus vehementi canduit ira,  
 Amphion frater dum<sup>3</sup> cecinit cithara,<sup>4</sup>  
 Projicit hic citharam, jam fax extincta reluxit,  
 Et fraternus amor cœpit habere moram.

CCVII. *Intermittere philosophiam omittere est.*

Intermissa diu tanquam si prorsus emissa,<sup>5</sup>  
 Candide, Lucili,<sup>6</sup> philosophia valet.  
 Discendi modus est, dum te nescire videbis;  
 Disce, sed assidue; disce, sed ut sapias.  
 Sumpta parum, prodest, quæ mox emittitur esca,  
 Bos quibus est pastus, ruminat hæc eadem.

<sup>1</sup> *exposuit, C.*<sup>2</sup> *transmittat, C.*<sup>3</sup> *Thebis, dum, C.*<sup>4</sup> *cithera, A.*<sup>5</sup> *omissa est, C.*<sup>6</sup> *Lucilli, C.*

CCVIII. *Diem præcedentem sequentis magistrum.*

Ad lucrum converte diem tibi, Valeriane,  
 Et præcedentem pone sequentis iter;  
 Et vixisse velis, et multum vivere vive,  
 Vita vive bona, moribus et licitis.  
 Vince tuos mores, vincentis nomen habebis;  
 Sic mihi, sic aliis, Valerianus eris.

CCIX. *Non dolere quod multorum est commune.*

Quæstibus immensis jacturam, Pontice, defles,  
 Et commune malum ceu proprium, ipse doles.  
 Semita sæpe maris te merce beavit opima,  
 Quas dederat totiens ecce recepit opes.  
 Ergo dari tibi quod potuit mutabile credas,  
 Et quod mutatur esse negabo<sup>1</sup> bonum.

CCX. *Non ridere ne rideamur.*

Ridebas facies aliorum, Pallidiane,  
 Ridetur facies, Pallidiane, tua.  
 Humanam faciem pallor maciesque tulere,  
 Longe diversam substituere tibi.  
 Ecce genas sulcat sine pondere pellis aniles,  
 Quales in silva simia scalpit anus.

CCXI. *Homini aperienti se magis credendum.*

Dum Simulus<sup>2</sup> furit, et sese transfundit in iram,  
 Dum vomit omne quod est, me facit absque metu.  
 Sed dum blanditur, dum blæsa et dulcia verba  
 Supra oleum mollit, subruit usque metu;  
 Dum tacet, examinat, dum litigat ipse, serenat;  
 Irasci ergo velit, solvar ut usque metu.

CCXII. *Perfidiam invidiæ in lapsu æqualem.*

Semper Athis ridet, rides tu, Sostrate, nunquam?  
 Natura fratres, dissimiles vitio.

---

<sup>1</sup> *negato*, C.

| <sup>2</sup> *Similus*, C.

Hic plorat risus alienaque gaudia semper,  
 Omnibus arridet neminem amans alius.  
 Mortiferæ pestis vitium sibi nutrit uterque,  
 Perfidia primus, Sostratus invidia.

CCXIII. *Rationalia*<sup>1</sup> *irrationabilibus digniora.*

Cur non evigilas tandem, rebusque gerendis  
 Non adhibis operam? Somnus et iste malus.  
 Inspice formicam multo fervere labore,  
 Ut durare queat frigus et auram hiemis.  
 Consilio, non natura te vincit, iniquum est,  
 Plance,<sup>2</sup> præesse tibi quod ratione caret.

CCXIV. *Invidum*<sup>3</sup> *neminem velle docere.*

Audieram quia quem doctos contingit<sup>4</sup> adire,  
 E stulto<sup>5</sup> fieri, Celse, potest<sup>6</sup> sapiens.  
 Sed sapis, et sapiens per te fit nemo tuorum,  
 Immo facis stultum qui fuerat sapiens.  
 Nil Platonis acumen, nil facundia Tulli,  
 Ut solus sedeas inter eos sapiens.

CCXV. *Cui des videndum.*

Qui justis sanctisque viris, Tigelle,<sup>7</sup> ministrat,  
 Sumit ubi donat, spargit et accumulatur.  
 Qui vero indignis bis munera præstita perdit,  
 Et quoniam donat, donat et immeritis.  
 Tu quoque communis meretricibus et parasitis  
 Quicquid habes perdis, perderis ergo miser.

CCXVI. *Militem delicatum non bene præliari.*

Mollibus assuetus lorica ferre recusat,  
 Cervici<sup>8</sup> teneræ ferrea cassis obest.

<sup>1</sup> *Rationabilia*, C.

<sup>2</sup> *Plaute*, C.

<sup>3</sup> *Invidus*, C.

<sup>4</sup> *contingat*, C.

<sup>5</sup> *De stulto*, C.

<sup>6</sup> *potes*, C.

<sup>7</sup> *Tigille*, C. *Tygelle*, A.

<sup>8</sup> *Cum vici*, C.

Sæpius uncta manus capulum non accipit ensis,  
 Lota et fota cutis frigore et imbre dolet.  
 Assiduus Veneris vexillifer, Æmiliane,  
 Virtutis nunquam signifer esse potest.

CCXVII. *Iniquo*<sup>1</sup> *honorem non contingere.*

Injusto queritur contingere Gaius honorem,  
 Delituisse refert justitiæ faciem.  
 Dico, si sit honor, nulli contingit iniquo;  
 Si sit iniquus homo, nullus habetur honor.  
 Est honor, et quod non, sed dicitur hoc dato iniquo,  
 Dicitur et quod honor sit datus immerito.

CCXVIII. *Vitiosum non debere velle levare.*

Est aliquis multo qui quærat honore levare,  
 Ipsius ut virtus notior esse queat.  
 Attolli multo nolit Damasippus honore,  
 Ejus ne vitium notius esse queat.  
 Omnis homo crimen tanto famosius<sup>2</sup> in se,  
 Quanto qui peccat major habetur, habet.

CCXIX. *Omnino vitium levitatis ocludere.*

Excusat vitiosa patrum natura tuorum,  
 Te, Probe, nempe levem te genuere leves.  
 Ah! quotiens petii, levitatis crimine spreto,  
 Ut constans lingua, corde, manu, fieres;  
 Sed modo ne levior fias levitate relicta,  
 Oro manere velis in levitate tua.  
 Ista tibi simplex placeat<sup>3</sup> constantia saltem,  
 Ut miser æternum permanesque levis.

CCXX. *Frustra fatigari qui corrigit stultum.*

Errore illectus, non vult errore resolvi,  
 Solvere queris eum, stultus uterque nimis.

---

<sup>1</sup> *Iniquum*, C.  
<sup>2</sup> *formosius*, C.

| <sup>3</sup> *maneant*, C.



Ille quidem, quoniam vitam moriendo fatigat,  
 Tu, quia nolentem consilio revocas.  
 Hic fovea jacet, ille luto, contemnit uterque  
 Surgere, das dextram, Marce, levando neces.<sup>1</sup>  
 Frustra autem niti, lites odiumque subire,  
 Extremusque furor summaque stultitia est.

CCXXI. *Non posse teneri qui mutatur.*

Amnis Acharnaum variabat sæpe figuras,  
 Alcides tenuit, cum superaret eum.  
 Diva Thetis formas quas sumere vellet, inibat ;  
 Vidit eam Peleus, sensit, eam tenuit.  
 Contingi quoniam, quoniam potuere teneri,  
 Ille quidem victus, hæc fuit exhibita.  
 Sed quia nemo potest te, Protesilae,<sup>2</sup> videre,  
 Nemo tenere potest, vincere nemo potest.

CCXXII. *In omnibus tempus aptum aspicere.*<sup>3</sup>

Diligit Umbricitius tenebras, latebrosa requirens ;  
 Noctis amans, solem non videt Umbricitius.  
 Disputat Umbricitius cum cælo lumina surgunt ;  
 Cum fugiunt solem conticet Umbricitius.  
 Colligit Umbricitius vires a munere Bacchi ;  
 Vires a cœna colligit Umbricitius.  
 Corripit Umbricitius vino somnoque labantes ;  
 Infantes, stultos, corripit Umbricitius.

CCXXIII. *Nulli vel omnibus credere vitium esse.*

Rufe,<sup>4</sup> quid est quoniam te nulli<sup>5</sup> credis amico ?  
 Omnibus et nulli credere te, vitium est.  
 Omnia cum socio sapiens deliberat, æque  
 Ac sibi cuncta refert, ducit adintus<sup>6</sup> eum.

<sup>1</sup> *necas, C.*

<sup>2</sup> *Prothesyle, A.*

<sup>3</sup> *inspicere, C.*

<sup>4</sup> *Ruffe, C.*

<sup>5</sup> *nulli te, C.*

<sup>6</sup> *et intus, C.*

Sed facile est justo quam vivit dicere vitam,<sup>1</sup>  
 Te tua difficile est facta referre palam.  
 Sic speciosus homo facie procedit aperta,  
 Cum facies turpis veste tegi soleat.

CCXXIV. *Horam bene vivendi procrastinandam  
 non esse.*

Vivendi recte fatuus procrastinat horam,  
 Crastine, cras semper das mihi, nunquam hodie.  
 Crastina lux accepta tibi, dum crastina lux est,  
 Dum venit, et nondum est; incipit esse, doles.  
 Das causas, tunc cras<sup>2</sup> aliud promittis, et ecce  
 Dum cras multiplicas, tempus et hora fugit.  
 Rides me quasi derisum dum verba dedisti,  
 Tu te ludificas, tu capis et caperis.

CCXXV. *Iniquum esse inire contraria.*

Postume, nummorum cumulabas milibus archam,  
 Ventre cibus vacuo, plena crumena cibus.  
 Sed compilavit fugiens te servulus, et fur,  
 Vel manus hostilis omnia diripuit.  
 Nunc conversus ovans<sup>3</sup> ventris farcire crumenam,  
 Unus prædo tuus, tu tibi cuncta rapis.  
 Hoc factum sapiens premit, et condempnat utrumque,  
 Te nunc esse lupum, teque fuisse canem.

CCXXVI. *Motum localem motum mentis ostendere.*

Cur adeo gaudes motu, Joviane, locali  
 Aer tam sæpe salis? an quoniam levis es?  
 Signat enim motum mentis<sup>4</sup> mutatio tanta,  
 Quod non concordet, nec tibi convenias.  
 Pondus habe, stabis;<sup>5</sup> cum pondere gleba quieta est,  
 Diripitur pulvis pro levitate sua.

<sup>1</sup> quem vivit bene vitam, C.

<sup>2</sup> tu cras, C.

<sup>3</sup> ovas, C.

<sup>4</sup> mentis motum, C.

<sup>5</sup> stabilis, C.

Nec natura loci tibi recte vivere donat,  
Sed mens discreta propositique tenax.

CCXXVII. *Pondus et pondus non habendum.*

Heu! quia pondus habes, et pondus, amice Valeri,  
Te fratremque tuum pondere dissimulas.  
Heu! quia spectatur præ cunctis<sup>1</sup> mantica tergo,  
Et non attendis qua<sup>2</sup> premitur humerus.  
Fratris verrucas mordaci dente refringis,  
Ulcera dissimulans quæ tibi in ore sedent.  
Ad culpas fratris aquilæ tu lumina portas,  
Ad tua cum scelera nulla vel orba feras.

CCXXVIII. *Miseriorem miserum non irridere.*

Calvitium, Calvine, tibi præbere solebat  
Materiam risus, tu quoque calvus eris.  
Paulatim fugiunt dextra levaque capilli,  
Cum tineas pascis ante retroque fluunt.  
Supremum capitis tenuis jam lucus obumbrat,  
Jam coma rara locum subjicit et numerum.  
Tempus adest quo te calvi ridere suescant,  
Factus et absque pilis omnibus invideas.

CCXXIX. *Amorem cogendo non adquiri.*

Torvus et ore minans te nos, Tite, poscis amare,  
Invitus nemo, nemo coactus amat.  
Blanditia, non imperio, vis crescit amoris,  
Cæsar ubi jubeat, cedere nescit amor.  
Vacca quidem taurum, sed et ipsa læna leonem,  
Iratos fugiunt, suscipiunt placidos.  
Dilige nos omnes, ut ameris ab omnibus unus;  
Quærit amor pariles, dissimiles odium.

<sup>1</sup> *præeuntis*, C.

| <sup>2</sup> *quæ*, A.

CCXXX. *Peccandi libertatem usu adquiri.*

Libertas peccandi emitur peccando, Verane,  
 Cum lima atque mora pernicioſa colis.  
 Cum<sup>1</sup> ratione carens turpes descendis in actus,  
 Cum tu confundis fasque nefasque ſimul.  
 Jam te nemo regit, nullus levat auspice verbo  
 Contra torrentem brachia nulla tuum,  
 Prodeſt ergo tibi cumulare furore furorem,  
 Si prodeſſe vocem quod parat uſque mori.

CCXXXI. *Mores legendos, non vitam.*

Subtractum<sup>2</sup> vitæ Lycidam, Germanice, defles,  
 Subtractum morti rectius eſſe putes.  
 Non vivens ſtetit ille diu, moriendo moratus,  
 Ante ſuam mortem mortuus ipſe diu.  
 Quid prodeſt totiens ficus et muſta videre,  
 Et ſpeciem morum nec ſemel aſpicere?  
 Non ætas prolixa licet dat vivere nobis,  
 Sed virtutis amor, norma timenda reis.

CCXXXII. *Auxilia multorum ſibi quærenda.*

Æmule, væ ſoli! quia dum cadit ipſe, levantem  
 Non habet, in ſe ipſo ſpem ſibi composuit.  
 Fœdera dum tempnit, dum ſpernit habere ſodalem,  
 Perficit, ut ſeſe nemo juvare velit.  
 Cum ſocio ſocius partitur pondera fati,  
 Pro ſocio patitur vera fides ſocii.  
 Nescit amor vehemens, ad quæque pericula rumpi,  
 Nec funus triplex rumpitur ex facili.  
 Forte quidem velles ſocium reperire fidelem,  
 Sed pravi mores zelus et ira negant.

CCXXXIII. *Cui pro natura bene eſt pauperem  
 non eſſe.*

Audio te, Rupili, de paupertate querentem,  
 Non quia nulla habeas, ſed quia pauca tibi.

<sup>1</sup> Sū, C.| <sup>2</sup> subtractam, C.

Sed dicit sapiens, quod nemo est pauper eo quod  
 Possideat pauca, sed quia plura velit.  
 Si paupertati assensum præbere studeres,  
 Si pro natura vivere, dives eras.  
 Aspice, nudum quia te natura creavit,  
 Intrans et mundum tu nihil intuleris.  
 Quodque externa petas, quæ sive manentia tecum,  
 Seu te destituant, te faciant miserum.

CCXXXIV. *Decipere non esse diligere.*

Quod sequeris pueros, quod amas et amaris ab illis,  
 Nequam non hominis, simplicis aucupium est.  
 Prædixi quod amas, odium si præstat amorem,  
 Si sit amare gravi ludificare dolo.  
 Tu peccare doces, peccandi ponis habenas,  
 A te peccandi sumitur hora, Tati.  
 Munere semper emunt, ut possint crimen inire;  
 Ut factum celes, munere rursus emunt.  
 Culpa tua est, quod res et fama laborat eorum;  
 Quod pereunt censu et nomine, culpa tua est.  
 Vulnera vulneribus addenda laborque labori,  
 Ut vincas adhibe vulnera vulneribus.  
 Ut superare queas tenui pascatur avena;  
 Sic nunquam ille satur, ut superare queas.  
 Jam tibi, chare, tuum tenuis farrago repressit,  
 Et meus in fortem cessit asellus equum.

CCXXXV. *Etiam sapientes sapientibus uti debere.*

Consilii virtus tibi præstans, docte Valeri,  
 Sufficit ad vitam gratia consilii.  
 Quare nec sapiens nec qui famuletur honori  
 Est prope te tantum turpis et insipiens.  
 Sæpe tamen sapiens alio sapiente docetur,  
 Sæpe videns ductu ducitur alterius.  
 Aut forsitan tua qui miretur<sup>1</sup> facta requiris,  
 Huic operi stultos eligis, exigitur.

<sup>1</sup> meretur, A.

Cui ratio est conjunx, tua laus cumulatior esset,  
 Si te laudaret cui magis ora favent.  
 Laudari tamen haud metuis sine pondere rerum,  
 Rem sine materia vis, sine luce diem.  
 Credo autem quod stultus, et est sapientia contra  
 Virtus et ratio sic odiosa tibi.  
 Hostia claude domus, ne tangat lumina judex,  
 Ne sapiens intret, hostia claude domus.

CCXXXVI. *In apparatu forinseco non omnia esse  
 ponenda.*

Pallia Filus habet, digitos circumligat auro,  
 Et tamen est Filus paupere pauperior.  
 Sunt Tyriæ chlamydes, mulæ, jumenta, clientes  
 Filo, sed tamen est paupere pauperior.  
 Atria sunt Filo regali consita cultu,  
 Sed tamen est Filus paupere pauperior.  
 Mensa, sciphus, sedile, torus,<sup>1</sup> pretiosa supellex  
 Sunt Filo, tamen est paupere pauperior.  
 Esurit atque sitit, gemmis instructus et ostro,  
 Cyclade vestitus esurit atque sitit.  
 Pondus adesse famis, pallor maciesque loquuntur,  
 Aurea bulla negat pondus adesse famis.  
 Ergo miser se servitio pro pane locabit,  
 Sed ne sit servus aurea bulla facit.  
 Si vero quemquam pulsabit supplice voto,  
 Ut non exoret serica vestis adest.  
 Ergo, ne pereat, fiat de divite pauper;  
 Pauper enim factus ditior esse potest.

CCXXXVII. *Locum virtutem non dare.*<sup>2</sup>

Non bene viventes, Probe, te fugisse refertur,  
 Et sine peccato quæerere terram hominum.

<sup>1</sup> *horus*, B.

<sup>2</sup> This epigram and the following are found only in A.

Sed sine peccato nullam reperire valebis,  
Si non absque homine tu reperire velis.  
Ibis ad occultos tractus, loca devia mundi ;  
Peccatum tecum est, conscia culpa comes.  
Ut fugias homines, tu te fuge primitus ipsum,  
Alterius censor, censor et esto tuus.  
Ens inter homines, homines fuge, turpia eorum,  
Tu tecum degens, te fuge, facta tua.

CCXXXVIII. *Insolentiam esse reprimendam.*

Servit inutiliter nisi verbere fractus asellus,  
Verbere distracto servit inutiliter.  
Verbera si tuleris, furit et lascivit asellus ;  
Se non agnoscit, verbera si tuleris.  
Si requiem dederis, discit non esse quietus,  
In requie non est, si requiem dederis.  
Verbere tonde latus, ne forte tumescat asellus ;  
Neve reluctetur, verbere tonde latus.

---

## GODEFRIDI PRIORIS

### EPIGRAMMATA HISTORICA.

#### I. *De Cnuth rege.*

Antiquo Cnuth natus erat de sanguine regum,  
 Regibus innumeris viribus editior.  
 Sic<sup>1</sup> insigne caput trino diademate cingit,  
 Dum Danos, Anglos, Northigenasque regit.  
 Quique cruentus erat et in hostes<sup>2</sup> prædo superbus,  
 In<sup>3</sup> sibi subjectos regis habebat opus.  
 Mensæ sæpe suæ convivia festa relinquens,  
 Pauperibus monachis intererat socius.  
 Postposita pompa turbæ mediator egentis,  
 Conservus servis serviit ille Dei.  
 Lux postrema sibi luxit duodena Novembris,  
 Et postrema dies fit sibi prima dies.

#### II. *De regina Emma.*

Splendidior gemma meriti splendoribus Emma,  
 Omni qua voluit<sup>4</sup> sorte beata fuit.  
 Hæc habuit natos reges, regesque maritos,  
 Regum progenie claruit egregie.  
 Vicit honor morum seriem qua fulsit avorum,  
 Vicit sermo bonus, mens pia, larga manus.  
 Dum miseros pavit, gazas super astra levavit,  
 Cultrix justitiæ serviit<sup>5</sup> ecclesiæ.  
 Exiit avita sumpta de funere vita,  
 Sex de Marte dies, læta secuta dies.

<sup>1</sup> *Hic*, B.

<sup>2</sup> *in hostem*, B.

<sup>3</sup> *Præ sibi*, B.

<sup>4</sup> *vel decuit*, A. in marg.

<sup>5</sup> *servit*, A.



III. *De Eaduardo rege.*

Eadwardus, probitate potens, pietate verendus.  
 Seque suosque regens, rex erat egregius.  
 Formosam faciem, procerumque corpus habebat,  
 Lætitiâ vultus, moribus exuperans.  
 Ejus opes magnæ, nec earum<sup>1</sup> novit abusum,  
 Et dives cunctis et sibi pauper erat.  
 Non bello, sed pace, suos exterruit hostes,  
 Præsumpsit pacem rumpere nemo suam.  
 Quinque dies anni referebat janua Jani,  
 Cum rex egrediens carnea templa finit.

IV. *De regina Edida.*<sup>2</sup>

Nobilitas patrum te magnificavit, Edida,<sup>2</sup>  
 Tu quoque magnificas regia sponsa patres.  
 Multa tibi species fuit, et sapientia multa,  
 Cultus honestatis sobrietasque comes.  
 Sidera, mensuras, abacum, monochordon, et artem,  
 Discendique modos, grammaticamque doces.  
 Notio linguarum linguas diffundere novit,  
 Et morum probitas explicat ora tibi.  
 Urebat binis sol egoceronta diebus,  
 Cum tu deposito pondere carnis abis.

V. *De rege Gilielmo.*<sup>3</sup>

Regnum, forma, genus,<sup>4</sup> cor, dextra, facetia, virtus,  
 Non donant vitam, rex Gilielme, tibi.  
 Succubuisse tibi reges populosque<sup>5</sup> coegit  
 Insita vis, te mors succubuisse tibi.  
 Præpollens opibus latissima regna tenebas,  
 Nunc opibus nudum te domus arcta tenet.  
 Mœchus, perjurus, fur, raptor, prædo, tyrannus,  
 Te vixisse diu, non doluere mori.

<sup>1</sup> *eorum*, B.<sup>2</sup> *Editha*, B.<sup>3</sup> So A. and B.<sup>4</sup> *decus*, B.<sup>5</sup> *polosque*, B.

Justitiæ facies erepto iudice marcet,  
 Fracta gemit virtus, pax fugitiva latet.  
 Ipse novem de mense dies Septembris habebas,  
 Et tibi subtrahitur quod decimare queas.

VI. *De Mathilda*<sup>1</sup> *regina.*

Consilii virtus, decor oris, gratia verbi,  
 Gloria regnorum, posteritatis honor,  
 Te, regina, levant, rex, dux, comes amplius, ille  
 Composuit capiti qui diadema<sup>2</sup> tuo.  
 Germanos Morinosque duces a patre trahebas,  
 Reges Francorum dat tibi mater avos.  
 Rex hostes bellando suos, tu pace tenebas,  
 Et tua pax bello constitit utilior.  
 Te sibi surreptam flebunt, regina Matildis,  
 Morte tua lapsi dives inopsque simul.  
 Istius vitæ lux ultima, prima Novembris,  
 Alterius vitæ prima, secunda tibi.

VII. *De archiepiscopo Lanfranco.*

Vixisti, venerande pater, sapienter et æque,  
 Vixisti vivens, mors quoque vita tibi.  
 Inter divitias pauper, Lanfrance, fuisti,  
 Divitiis manans, pauperum amator eras.  
 Per te florentes artes valuere Latinæ,  
 Græcia de nobis ecce triumphat ovans.  
 Tu Latios ortu Gallosque docendo levasti,  
 Te sibi primatem cardo Britannus habet.  
 In terra degens coelestia mente petebas,  
 Exemptus terra sidera liber adis.  
 Sol geminos denis obsederat igne diebus,  
 Prompsit luna diem, nocte solutus abis.

VIII. *De Walchero Dunelmensi episcopo.*

Cor sapiens, justique tenax, et gloria morum,  
 Mortis causa tuæ, præsul venerande, fuerint.

<sup>1</sup> *Mathilda*, B.

| <sup>2</sup> *diademate*, A.

Invidiæ tibi barbaries, quia dispare longe<sup>1</sup>  
 Vivebas vita, quia morum inhonesta suorum  
 Virga justitiæ vero dictante premebas;  
 Virtus est odiosa malis, correctio nequam,  
 Disciplina gravis semper nolentibus illam.  
 Nullus apud sordes mentis respectus honesti.  
 Ergo tibi nocuit fortemque bonumque manere.  
 Si nocuit, dico quod te super astra levavit.  
 Agni paschalis celebrabas gaudia festi,<sup>2</sup>  
 Cum tu per gladios moriens, sed vivus abisti.

IX. *Invectio in eos qui eum occiderunt.*

Scote,<sup>3</sup> ubi lex vel fas? facies et forma pudoris?  
 Pastorem dum cædis ovis, dum filius intras  
 Ense profunda patris, domini per viscera servus,  
 Dum ferrum duras, loca, tempora, fœdera pacis,  
 Sanguine dum maculas, leges et jura refringis,  
 Omnia confundens, et tu confunderis ipse.  
 Interimens patrem, desisti filius esse;  
 Pastorem cædens, scis te pastoris egere.  
 Quodque tibi gravius veniæ venamque viamque  
 Obstruis ipse tibi, veniæ pereunte ministro.<sup>4</sup>  
 Res miranda nimis, quando concordia fraudem  
 Educit, pax insidias, et gratia mortem.  
 Damna, pericla, necem, dum splendida facta rependunt,  
 Dum premitur virtus, odiis calcata malorum,  
 Dum cadit innocuus, ruit insons, præcipitatur  
 Justus in interitum, gladii perit ore sacerdos.  
 Quando caret venia veniam donare suetus,  
 Qui culpas laxare solet,<sup>5</sup> moritur sine culpa.  
 Forsitan hanc culpam contagia prima tulerunt,  
 Ut sit culpa recens scelerum vindicta priorum.  
 Nobilis ille leo rapidorum præda leonum,  
 Bellorum quem fama canit, quem prædicat unum,

<sup>1</sup> longa, B.

<sup>2</sup> festa, B.

<sup>3</sup> Scotte, B.

<sup>4</sup> magistro, B.

<sup>5</sup> Qui culpam donare solet, B.

Virtute Herculea reges trivisse superbos ;  
 Qui retulit patriæ bellis de mille triumphos,  
 Ille pater pacis, tutor fidissimus æqui,  
 Justitiæ virtus in quo segura quievit,  
 Willelmus rex, regis opus sublimiter ornans,  
 Infestos orbi vos toto tollet ab orbe.

X. *De Richardo regis Willelmi filio.*

Magnanimo spes laudis eras, Richarde,<sup>1</sup> parenti,  
 Et supra fratres gloria dulcis eras.  
 Te mores animosque suos intrasse canebat,  
 Quodque suos actus effigiare queas.  
 Invidit vobis misere<sup>2</sup> fortuna duobus,  
 Te tenerum florem dum rapit aura necis.  
 Discebas cervos fragili terebrare sagitta,  
 Mors ausa est forti figere te jaculo.  
 Virgineum sidus Septembris transiit Idus,  
 Dum tu mane novo morte novaris homo.

XI. *De cæco monacho nomine Aithelrico.*<sup>3</sup>

Ecce fatigatus diuturna nocte fuisti,  
 Luce expectata præditus ecce vides.  
 Vivens ecce diu sedisti noctis in umbra,  
 Nox abit, umbra fugit, mortuus ecce vides.  
 Sol feriens oculos, nulla te luce beavit ;  
 Sol, solis lumen, se modo luce beat.  
 Per quam musca videt, tu pridem luce carebas ;  
 Ecce Deum per quam tu intuearis habes.  
 Attigerat mensem sol quinta luce Decembrem,  
 Te telo<sup>4</sup> mortis cum ferit architenens.

XII. *De Wulnotho comite.*<sup>5</sup>

Nobilis ordo patrum, morum custodia simplex,  
 Regula censuræ, judicialis honor,

<sup>1</sup> Ricarde, B.

<sup>2</sup> Invidit misere vobis, B.  
 Agelrico, B.

<sup>4</sup> zelo, B.

<sup>5</sup> De comite Wulnotho, B.

Corporeæ vires, animi vehementior ignis,  
 Wulnothum comitem magnificent pariter.  
 Exilium, carcer, tenebræ, clausura, catenæ,  
 Accipiunt puerum destituuntque senem.  
 Nexibus humanis vinctus patienter agebat,  
 Divinis vinctus strictius<sup>1</sup> obsequiis.  
 Ver erat et Februo pisces dum sole calerent  
 Nono sub Herme dies fit sibi summa dies.<sup>2</sup>

XIII. *De abbate Simeone*.<sup>3</sup>

Vivebas, Simeon, sed et hoc in tempore vivis,  
 Subtractus morti vivere semper habes.  
 Vivebas, Simeon, Simeon venerabilis alter,  
 Et si non ulnis, bajulus ipse Dei.  
 Odisti mundum, luculenta negotia mundi,  
 Non tu natus ei, nec tibi natus erat.  
 Nec tortor carnis, carnem torquere<sup>4</sup> solebas,  
 Justitia fervens, turpibus asper eras.  
 Sol per quinque dies radios tendebat in arcum,  
 Sex te decursis septima lux refovet.

XIV. *De Wulstano Wigornensi episcopo*.

Vixisti semper, semper, venerande sacerdos,  
 Non moreris vivens, nec moriens moreris.  
 Tu semper puer atque senex, Wulstane, fuisti;  
 Relligione senex, simplicitate puer.  
 Contemptor laudis, laudanda<sup>5</sup> sequendo beatus,  
 Ecclesiæ sanctæ tutor, amicus eras.  
 Præsulis officio pastoris honore levatus,  
 Subjectis socius, inferior sociis.  
 Bis denos Janus<sup>6</sup> tres hauserat urceus ignes,  
 Cum supra stellas, aurea stella, salis.

<sup>1</sup> *strictus*, A.<sup>2</sup> These epigrams conclude here in MS. B., with the following words:  
*Versus Godefridi prioris.*<sup>3</sup> *De Symone abbate Eboracensi*, B.<sup>4</sup> *torrere*, B.<sup>5</sup> *laudando*, B.<sup>6</sup> *Janus*, omitted in B.

XV. *De Rodberto Herefordensi episcopo.*

Non tua te mathesis, præsul Rodberte, tuetur,  
 Non alios aliter<sup>1</sup> dinumerans abacus.  
 Dives eras, sapiens, studiosus, honoris amator,  
 Extendere dies non tamen ista tuos.  
 Ecce probas mortem quod nulla scientia tollit,  
 Divitiæ nullæ, nullus honoris amor.  
 Transitus iste gravis, gravis hæc mutatio carnis,  
 Cum caro fit vermis, vermis et ipse cinis.  
 Scansurum solem retinebat Carcinus ardens  
 Per bis quinque dies scandis ad alta tenes.

XVI. *De Walchelino episcopo.*

Consilium, virtutis amor, facundia comis,  
 Walcheline pater, fixa fuere tibi.  
 Corrector juvenum senibusque documenta ministrans,  
 Exemplo vitæ, pastor utrosque regis.  
 Pes fueras claudis, cæcis imitabile lumen,  
 Portans invalidos, qui cecidere levans.  
 Divitiis dominus, hilaris largitor earum,  
 Dum reficis multos, deficis ipse tibi.  
 Os tu plebis eras, regis secretior auris,  
 Illum subjectis, se sibi concilians.  
 Mensis erat Jani, rapuit te tertia nonas  
 Indiscreta trias, te super astra trahat.

XVII. *De Thoma archiepiscopo.*

Thomas præsul obit, petit alta, nec ima relinquit,  
 Dum corpus tumulum, spiritus astra subit.  
 Supra doctores et supra philosophantes,  
 Philosophia suo pane refecit eum.  
 Inprimis primum fecit custodia morum,  
 Moribus insignem splendida fama canit.  
 Magnificabat eum populi vox, gratia cleri,  
 Curia regalis magnificabat eum.

---

<sup>1</sup> *Non alios annos aliter, B.*

Una dies sole jam vertit ad arcitenentem,  
 Cum portavit ei missa sagitta necem.

XVIII. *De abbate Serlone.*

Ecclesiæ murus cecidit Serlone cadente,  
 Virtutis gladius, buccina justiciæ.  
 Vera loquens, et non vanis sermonibus utens,  
 A puero didicit seria sero loqui.  
 Vita tenax æqui, mens provida, libera lingua,  
 Et quos corripuit principibus placuit.  
 Judicium præceps, contrarius ordinis error,  
 Et levitas morum non placuere sibi.  
 Tertius a Jano mensis, lux tertia mensis,  
 Cum nece suppressum, vita levavit eum.

XIX. *De Willelmo Fiscammensi abbate.*

Et verbo vitæque bona, Willelme, fuisti,  
 Ecclesiæ sanctæ filius atque pater.  
 Turris firma David, quæ conterit alta Damasci,  
 Contra perversos arma tenens fidei.  
 Et decus et virtus supra fastigia cleri,  
 Et pudor in facie, gratia vocis erat.  
 Tu miseris, tu mendicis oculus pietatis,  
 Et subtracta tibi lætus ovansque dabas.  
 Sexta dies aderat quæ præveniebat Aprilem,  
 Cum de morte notat se sibi vera diem.

*Explicit libellus domini Godefridi.*

## EPIGRAMMATA MISCELLANEA.

I. *De eversione fani apud Calonnam.*

Stabat Calonnæ simulacrorum genus omne  
 In veteri fano, celebratum more profano.  
 Huc populus multus, gens veri nescia cultus,  
 Surdis et mutis, cum perditione salutis,  
 Impia thura dabat, pecudumque cruore libabat.  
 Sanctus Maurilius, regionis apostolus hujus,  
 Ut didicit fanum ritumque manere profanum,  
 Ne fidei cultum, quem jam gaudebat adultum,  
 Sicubi restat, et vetus impietas vitiaret,  
 Illuc accessit, mox arma sueta capessit.  
 Prædicat insanis ut nolit credere vanis,  
 Jejumat, plorat, vigilat, prosternitur, orat.  
 Mox precibus dignis divinus militat ignis;  
 Arce ruens cæli vice grandinis, aut vice teli,  
 Quod volat emissum revolatque per aera fissum.  
 Protinus exustum recubat penetrabile vetustum.  
 Ultrix flamma vorat quicquid gentilis adorat;  
 Numine Vulcani miscentur numina fani.  
 Per cumulos cineris conflatio volvitur æris;  
 Juppiter et Juno rivo versantur in uno;  
 Phœbus cum Luna per terram volvitur una;  
 Cumque suo mœcho Venus igne resolvitur æquo;  
 Furta tori punit, dum fures Mulciber unit.  
 Cætera falsorum simulachra nefanda deorum  
 Consimilem cladem sub sorte merentur eadem.



II. *Reprehensio superfluitatis, in epitaphio Johannis abbatis.*

Quid multis annis duravit vita Johannis,  
 Nec sua dum vixit bona sollicituda refrixit;  
 Sed meliora bonis, melioribus optima jungens,  
 Turrem virtutum qua scanderet ardua cœli,  
 . . . . ens fundavit, ferventior ædificavit,  
 . . mox rexit, dum se pro tempore flexit.  
 Vergens et pungens, et lenibus aspera jungens,  
 Et mandata Dei servavit spe requiei.  
 . . dit pro servatis sua sors, et juncta beatis  
 Hoc reddi legimus, quod scilicet utile scimus,  
 Hoc et laudamus, et dignum laude probamus;  
 Nam bene laudatur quod qui legit ædificatur.  
 Si bonus ista legit, gaudet quia taliter egit;  
 Si malus, inde dolet quod sit malus, et fore nolet.  
 Quod vero restat, lectori præ tædia præstat,  
 Et peregrinatur, nec qui legit ædificatur.  
 Nam quorsum tendit, vel quid utile pendit,  
 Quod Februus mensis fuit huic quasi lætifer ensis,  
 Quod tunc exivit cum Phœbus Pisces inivit?  
 Addere sic posses quæcunque superflua nosses,  
 Cum cœlum sursum constaret terra deorsum;  
 Cum Ligeris flueret, cum ventis unda tumeret,  
 Cum pisces narent, cum passeruli volitarent,  
 Cum mulier neret, cum filia parvula fleret.  
 Si fiat calamus stans omnis in arbore ramus,  
 Fiat et incaustum quod suggerit omnibus haustum;  
 Si pro membrana sint omnia corpora plana;  
 Vivi vel functi si scribant talia cuncti,  
 Vivos vel functos lassabunt talia cunctos.

III. *Non esse mutandum repente propositum.*

Quidam mente bona facta sibi rite corona,  
 Temporibus rasis, ut mos est fratribus illis,

Accipiunt pullos sub conditione cucullos,  
 Ne momentalis sit eis conversio talis.  
 Promittunt coram, quia compunguntur ad horam,  
 Quicquid promittunt quia gaudia carnis omittunt.  
 Post hæc insolitæ ducentes tædia vitæ,  
 Projiciunt pannos post tres aut quatuor annos,  
 Effectique vagi currunt per devia pagi,  
 Jam mundo viles propter causas monachiles,  
 Inde verecundi, quia sint ludibria mundi.  
 Cum depellantur qui nollent retrogradantur,  
 Jam monachi viles ut regis transfuga miles.  
 Ergo quando quidem vix ullus permanet idem,  
 Qui vestem mutat, si non prius ista volutat,  
 Et temerarius est, et ei male cedere jus est.

IV. *Dissuasio concubitus.*

Dæmonis inventum scelerum sunt milia centum,  
 In quibus hunc mundum trahit ad penetrale pro-  
 fundum,  
 Quo qui clauduntur, ne quando mori moriantur,  
 Vellent quippe mori, quia par mors nulla dolori,  
 Quo miser ille furit quem flamma perennis adurit.  
 Frons, oculi, naris, cervix, latus, auricularis,  
 Os, guttur, mammæ, fiunt ibi pabula flammæ.  
 Dorsa, latus, venter, ardent indeficienter,  
 Nec frigent coxæ, nec mentula nescia noxæ.  
 O quam fit tristis qui traditur ignibus istis!  
 O quam fit lugubris qui traditur esca colubris;  
 Qui vim foetoris vix sustinet omnibus horis;  
 Sævi tortoris qui tunditur undique loris.  
 Sed licet immitis sit in omnibus ultio Ditis,  
 Est tamen istorum distantia suppliciorum,  
 Quæ sic pensantur ut crimina perpetiantur,  
 Pœnas majores majora, minora minores.

V. *Ad amicum hospitem.*

In partes istas post quinque reversus aristas,  
 Vis a me scribi carmina pauca tibi.  
 Carmina pauca quidem tibi scribi concupis idem,  
 Mixti more cibi poscis utrumque tibi.  
 Quod petis ecce damus, quia quod petis hoc et  
 amamus,  
 Ut carmen leviter per leve currat iter.  
 Quod vis cunque volo, quod non vis, hoc quoque nolo,  
 Et quod ego nolo, te quoque nolle volo.  
 Dilato læto, per tempora multa valetō,  
 Concedantque citum fata tibi reditum.

VI. *Dissuasio navigationis ob lucrum.*

Qui vult scire minas tempestatesque marinas,  
 Audiatur et discatur quantum maris unda dehiscat,  
 Quem faciat sursum velut in declivia cursum,  
 Ut madeant stellæ sparsæ de rore procellæ,  
 Ut mare concisum metuendam pandat abyssum.  
 Hoc et plura satis multum majora relatis,  
 Audiatur hoc, inquam, sed non ut sentiat inquam.  
 Credatur narranti, cui non sunt munera tanti,  
 Ut propter lucrum fiat maris esca volucrum,  
 Vel lucri tantum spe fiat ut esca natantum.  
 Ille sibi credet, mea quem dissuasio lædet,  
 Quem peregrinarum juvat usus deliciarum,  
 Quarum spe ductus pulsabit remige fluctus.  
 Fluctus pulsabit, quæ dico vera probabit,  
 Et jam non verbis sed rebus credet acerbis.

VII. *Contra vulgus seditiosum.*

Ex quo cœlestem meruit sapientia sedem,  
 Juncta Jovis lateri par summo nata parenti,  
 Invidia motus pugnat cum Pallade Bacchus,  
 Decidit in terras a cœlo cepta simultas,

Nec nato Semele, nec desunt castra Minervæ,  
 Quæ diversa sequi res est non ponderis æqui.  
 Altera quisque probet, at iners petit altera vulgus.  
 Illa voluptati sunt, ista dicata labori.  
 Plures sunt igitur qui Bacchica castra tuentur,  
 Et qui vina liquant, quam qui pro Pallade pugnant.  
 Unde nihil mirum si plebs fremit ebria dirum,  
 In sibi dissimiles ita nos insana furentes.

VIII. *Commonitorium invectivum ad oppressos in castro.*

Si circumcirca surgant adamantina castra,  
 Si novies solidi circumflua robora muri,  
 Fumificet vapido conflatis unda metallo,  
 Sicubet in portis et cauda nixa draconis  
 Rugiat igniferæ deformis forma Chimæaræ;  
 Vos tamen, infames acies, homicida, latrones,  
 Supplicium sceleris nullatenus effugietis.  
 Non quia terribiles tormenta tremenda dracones  
 Mollibus impingant, et virgea tecta refringant;  
 Nec quia multiplices importent undique mortes,  
 Flax, aries, fundæ, plumbata, falarica, talpæ;  
 Sed quia pro viduis pugnat manus Omnipotentis  
 Quarum vox lacrimæ plus anget obsidione.  
 Nam formidandus foris imminet hostis, at intus  
 Conscia gens secum gerit implacabile bellum.

IX.

Res odiosa nimis,	Si subditur æquus iniquis;
Si sapiens stultis,	Res odiosa nimis.
Res odiosa nimis,	Facies si marcet honoris;
Si ruit ordo boni,	Res odiosa nimis.
Res onerosa <sup>1</sup> nimis,	Si torpet regula <sup>2</sup> legis;
Si vitium crescit,	Res onerosa nimis.

<sup>1</sup> odiosa, B.

| <sup>2</sup> gloria legis, B.

Res onerosa nimis,  
 Si superat plebis,  
 Res odiosa nimis,  
 Si socios garrit,  
 Res onerosa nimis,  
 Si dominum tempnit,  
 Res onerosa nimis,  
 Si servus domino,  
 Res odiosa nimis,  
 Si socius socio,  
 Res odiosa nimis.  
 Si fraus ignescit,  
 Res onerosa nimis,  
 Si pax decrescit,  
 Res onerosa nimis,  
 Si natus patrem,  
 Res odiosa nimis,  
 Si tollunt mores.

Premittitur si gloria regis ;  
 Res onerosa<sup>1</sup> nimis.  
 Si pauper mella ligurrit ;<sup>2</sup>  
 Res odiosa nimis.  
 Si vilis scurra superbit ;  
 Res onerosa nimis.  
 Jubeat si sponsa marito ;  
 Res onerosa nimis.  
 Si fraudat amicus amico ;  
 Res odiosa nimis.  
 Si mens sincera tepescit ;  
 Res onerosa nimis.  
 Si lis ingloria crescit ;  
 Res onerosa nimis.  
 Si cædit filia matrem ;  
 Res onerosa nimis.  
 Si nummus donat honores ;  
 Res onerosa nimis.

Res statuenda bonis,  
 Si sapiens stultis,  
 Res statuenda bonis,  
 Si viget ordo boni,  
 Res retinenda bonis,  
 Si vitium cedit,  
 Res retinenda bonis,  
 Si premitur plebis,  
 Res statuenda<sup>4</sup> bonis,  
 Si sociis parcit,  
 Res statuenda<sup>4</sup> bonis,  
 Si domino servit,  
 Res retinenda bonis.  
 Si servus domino,

Si præcipit æquus iniquis ;  
 Res statuenda bonis.  
 Facies si splendet honoris ;  
 Res statuenda bonis.  
 Si currit regula legis ;  
 Res retinenda bonis.  
 Superat<sup>3</sup> si gloria regis ;  
 Res retinenda bonis.  
 Si pauper idonea quærit ;  
 Res retinenda<sup>5</sup> bonis.  
 Si nunquam scurra superbit ;  
 Res retinenda bonis.  
 Si paret sponsa marito ;  
 Res statuenda bonis.

<sup>1</sup> *odiosa*, B.

<sup>2</sup> *ligerit*, B.

<sup>3</sup> *superest*, B.

<sup>4</sup> *retinenda*, B.

<sup>5</sup> *statuenda*, B.

Res statuenda bonis,  
Si socius socio,  
Res statuenda bonis,  
Si fraus frigescit,  
Res statuenda bonis,  
Si lis decrescit,  
Res statuenda bonis.  
Si natus patrem,  
Res statuenda bonis,  
Si donant mores,

Si prosit amicus amico ;  
Res retinenda bonis.  
Si mens sincera calescit ;  
Res retinenda bonis.  
Si pacis gratia crescit ;  
Res retinenda bonis.  
Si servat filia matrem ;  
Res retinenda bonis.  
Si nummus tollit honores ;  
Res retinenda bonis.

---

# HENRICI ARCHIDIACONI

## HISTORIÆ LIBER UNDECIMUS.

*Incipit liber undecimus.*

Epigrammata varietate gaudent. Jam nunc igitur, ut Protheus, transfigurata ab hieme in æstatem, a nocte in diem, a nubilis in claritatem, ore terso, vultu lavato, veste mutata, fessa sex dierum servilium mole, ad requiem septimi transcendunt optatam; adeo autem transfigurata ut hi duo libri sequentes, vel alius liber, dicantur si molestus sistante permutationi, vel hic libri dicatur incisio. Abjecta ergo levitate seriisque complexis, quem ridiculosum stupueras religiosum stupescas. Superius etenim versificandi figuras et modos distinximus; hic veritatem fere proponimus.

*De veritate libri.*

Otia luxuriam docent, otia livorem movent,  
 Otia dirumpunt bona, firmant et retinent mala.  
 Quondam sanctificus pater inclusis monialibus  
 Indixit vehementius, vestes ut suerent suas,  
 Consutasque refrigerent; hoc rursum peterent opus  
 Et gratum colerent onus. Causam quippe rogantibus,  
 Vir dixit venerabilis, semen sunt necis improba,  
 Rumpant quælibet otia; semper desidiam fuge,  
 Nec pravum tamen effice; et nos hoc studium tenet,  
 Ut rumpant epigrammata, se discentibus otia.  
 Quæ si non aliud ferant, hoc saltem,  
 Ac si commoda plurima dent, non improbo carmina.  
 Qui puerile vocat, versus puerile vocetur,  
 Cum psalmos puerile vocet puerile prophetas.

*Satira communis.*

Scribimus hæc clero vos non latrare valentes  
 Ad domini caulas, sed nec latrare volentes,  
 Commissas servatis oves in perditionem,  
 Quarum nec numerum nec habetis cognitionem.  
 Ut lupus ingreditur satiandus sanguine caulas,  
 Dum custode carent, sic dæmon pectoris aulas;  
 Hic disperdit oves, pastore nihil prohibente,  
 Hic animas perdit, clero non excutiente.  
 Nunquam pastor oves sed vellera talis amavit;  
 Clerus ab ingressu semper lucris inhiavit.  
 Ingreditur pastor furtim super hostia talis,  
 Clerus in accessu sit et extat simonialis.

Primum pontifices hac lepra constituuntur,  
 Hanc omnes unam non uno calle sequuntur.  
 Comparat hic cathedram munus præbendo sacratum,  
 Hic emit officium ducens ad pontificatum,  
 Provenit huic baculus causa consanguinitatis,  
 Hunc alius recipit quasi juste pro solidatis.  
 Quatuor his rebus res quærunt spirituales,  
 Quatuor ergo modis sunt plane simoniales.  
 Quis quod servitium confert non judicet emptum?  
 Aut quis gratis habet quod habetur amore parentum!  
 Munus utrumque voco; dum munere cœlica quæris,  
 Simonis es frater, cujus scelus haud revereris.  
 Munere ditatus sitiens in munera tendit,  
 Dumque sitis crescit, cæcus cœlestia vendit.  
 Accipitres colit atque canes, thalamosque suorum  
 Inficit, aut celebrat quod nec proferre decorum.

Membra caput languens simul interitura sequuntur,  
 Pastoresque modo male perdocti moriuntur.  
 Imprimis igitur scelus archidiaconus audet,  
 Presbyteros Domini dum radere rodere gaudet.  
 Presbyteri quæ sunt Christi postponere certant,  
 Ut sua quærentes simul ad se non sua vertant.  
 Quo ruitis? num vita fugit, num pœna propinquat,



Et tempus quo cuncta caro quæsitâ relinquat?  
 Unde superbitis? heu mihi! lacrimæ miserorum  
 Sunt sceleris lavaerum, sunt pergamenta reorum.  
 Peccati pretium, census et opes tenuistis;  
 Peccati nec opem, sed et impedimenta tulistis.  
 O miseri! Deus ipse monet, vel sero redite,  
 Ne subito vobis æternum dicat, "Abite."

Scribimus et monachis, fæx religionis avaræ,  
 Cur decimas rapitis, dum debetis decimare?  
 Venditis ecclesias, in vestrum postmodo damnun,  
 Quas datis in firmam vendentes quæque per annum.  
 Corpora diripitis, sine respectu, sine jure,  
 Nil vobis ubi mortua sint vel quomodo curæ;  
 Et qui vos mundo jam defunctos perhibetis,  
 Quærere defunctos ut corvi rite soletis,  
 Blandiri dociles et blanditiis spoliare.  
 Non evadetis vindictæ tempus amaræ.  
 Vosque, capellani laicorum, dum decimatis  
 Ecclesias, et presbyteros decimis spoliatis,  
 Cui non servitis altari participantes,  
 Perpetuas vobis flammâs in fine parantes.  
 Cœtus erit vester tunc et frustra resipiscens,  
 Aaron officium sibi dum male præripuerunt,  
 Chore, Dathan, Abiron glutivit terra dehiscens;  
 Hi et in æternum vobis similes perierunt.

Scribimus et laicis, non clero jure præestis,  
 Hujus namque rei vetus est lex et nova testis.  
 Ecclesiæ laicus sit custos, sive colonus,  
 Rex, princeps, miles, sit servus sive patronus.  
 Det laicus decimas, reddat Domino sua vota,  
 Sitque sacerdoti laici confessio nota.  
 Cur decimas retines? cuivis fortasse dedisti.  
 Cur aliena dabas? decimæ sunt portio Christi.  
 Accipiens, donans, retinens quæ sunt aliena,  
 Arguitur furti, nec transibit sine pœna.  
 Quisquis enim sancti turbaverit insita juris,  
 Pars illius erit cum morte mala perituris.

Præmoneo, monuitque Deus, vel sero redite,  
Ne subito vobis æternum dicat, "Abite."

*De vero amore ; ad lectorem.*

Si quis erit quem verus amor per seria ducat,  
Quicquid inest mundo sit quasi non sit ei.

*Ad eundem.*

Esse velim doctus ; vis, sis ; mundana relinque ;  
Despice, temne, fuge, contere, doctus eris.

Non homicida	Sis, nec adulter ;
Sobrius esto,	Testis et æquus ;
Cumque rapinis	Furta relinquens,
Debita jura.	

*Ad Zetam.*

Difficile est opibus mores non tradere, Zeta ;  
Difficile est gravidum bravia ferre virum.  
Difficile est quemquam sine paupertate beari ;  
Difficile est quæquæ prospera quæque pati.

*De cupiditate.*

Urbes, rura, domos quærentes, Attice, ride ;  
Quid sint, quid possint, incipientque vide.

*De superbia.*

Rideo dum video reges sic colla ferentes,  
Lugeo dum studeo frustra revocare sequentes.  
Somnia sunt quæcunque vides, cur, Attice, clamas ?  
Proruis, ardescis, rumperis, atque furis.  
Cur, inquam, curas quæ nil tribuunt nisi curas ?  
Scisne quid omnia sunt, Attice, somnia sunt.

*Carmen puerile.*

Pace data carmen pueris puerile ministro,  
Quod puerile nimis nilque virile sonet.

- Parvus namque puer, cui doctor legerat ista,  
 Hæc mihi subridens et stomachatus ait:  
 “ Magna, ferox Henrice, canis, dum somnia dicis;  
 “ Omnia dumque lego, comprobo, sector, amo.  
 “ At scholis rediens, vagus inter cætera cerno  
 “ Stipatum populo girovagante ducem.  
 “ Hunc mihi nunc qui legerat hæc testa lutoque,  
 “ Sollicitus sequitur, nemo vocaret eum.  
 “ Aulam dux intrat, doctori janitor obstat,  
 “ Dum prece, dum pretio temptat inire, nequit.  
 “ Instat, non intrat, protendit, tunditur instans;  
 “ Irruit, eruitur, vapulat, atque ruit.  
 “ Quæ dum perspicio, votis, non voce, susurro,  
 “ Quid fera terga feris? sic age, sæpe feri.  
 “ Quid morer? hunc tandem notus dat inire precantem,  
 “ Excutiens dorso verbera lætus init.  
 “ Assidet ille ducis pedibus vultusque alienos  
 “ Sumit, nec proprios, Protheus alter, habet.  
 “ Dux tacet, hic vultus deponit, dux meditatur,  
 “ Hic labium rodit, dux fremit, ille tremit.  
 “ Dux affirmat et hic jurat, dux culpat et iste  
 “ Damnat, dux laudat, hic super astra levat.  
 “ Quod si dux aliquid subridens dixerit illi,  
 “ Quam non qualis erat, quam tumefactus abit.  
 “ Ingrediens scholas, nova designante levato  
 “ Lucra supercilio colla recurvus ait:  
 “ ‘ Quam chare, clareque mihi dux maxima parvo  
 “ ‘ Faustu multa brevi tempore disseruit.  
 “ ‘ In quo sic bonitas simul et facundia certant,  
 “ ‘ Ut scribi deceat quæ vel agit vel ait.  
 “ ‘ Munera quanta mihi præmisit, quanta daturum  
 “ ‘ Se mihi promisit, qui sapit hujus erit.’  
 “ Hic ego, sed tacitus, quæ falso munera jactas,  
 “ Somnia qua celas verbera vera scio.  
 “ Inde domum redeo, nova perquirunt seniores  
 “ De duce, tam genitor quam genetrix et avus.  
 “ Qui fascēs, qui factus ei sine fine requirunt,  
 “ Omnis abest sermo moribus atque Deo.

“ Vado foras ; stant ante fores ducis acta loquentes,  
 “ Hoc sonat hic intus, hoc sonat ille foras.  
 “ Clamant hoc vulgus, clamant hoc clerus, et unde ;  
 “ Dic igitur vates, somnia sola vides.”  
 Somnia sunt potius, mores præceptaque, si quis  
 Vestra colit, demens, vilis, egenus erit.  
 Parve puer, non dicentes hæc dico peritos,  
 Sed dicens et agens dicta, peritus erit.  
 Multi dicentes bona, pauci sunt facientes,  
 Paucos esse bonos asserit ipse Deus.  
 Electi pauci sunt, sed multi vero vocati,  
 Si non vis homini credere, crede Deo.  
 Crede Deo, turbamque cave, paucisque cohære ;  
 Portio pauca videt, cæcaque turba manet.  
 Cæcos ergo videns, insanos despice sanus ;  
 Despice, vel potius jam miserere reis.  
 Et tamen his Deus ipse jubet, subdaris oportet  
 Proventusque duos obtinet inde Deus.  
 Justus et hunc damnat, bona qui mala tanta recepit,  
 Justis hunc salvat, qui bene parva tulit.

*Epitaphium Roberti episcopi.*

Pontificum Robertus honor, quem fama superstes  
 Perpetuare dabit, non obiturus obit.  
 Hic humilis dives, res mira, potens pius ultor,  
 Compatiens mitis cum pateretur erat.  
 Noluit esse suis dominus, studuit pater esse,  
 Utque sic expressum pectore mater erat.  
 In decima Jani mendacis somnia mundi  
 Liquit, et evigilans vera perenne videt.

*Ad Atticum.*

Hic plane ratione caret, qui vivere differt,  
 Cui modo cum liceat vivere, mane parat.  
 Si mihi credideris, non dicas, Attice, vivam ;  
 Sera nimis vita est crastina, vive hodie.

*Ad eundem.*

Attice, "Pravus eram," dicis, "bonus amodo fiam;"  
Falleris et fallis, pravus eras, es, eris.

*De universalitate mortis.*

Doctus, hebes, pulcher, deformis, dives, egenus,  
Strenuus, invalidus, degener, ingenuus,  
Cognitus, ignotus, sons, insons, largus, avarus,  
Insipiens, sapiens, mortis erit patiens.

*De Philliro.*

Mentitur plane qui Phillira dicit ineptum;  
Aptus ad omne malum ne sit ineptus agit.

*Ad Atticum.*

Attice, ne vitiis sis expers ullius, omni  
Nocte dieque studes, officiosus homo es.

*De statu suo.*

Quæritis esse meum; quærentibus ordine pandam,  
Fortunam docui non meminisse sui.  
Instabilem statui, celerem tardare coegi,  
Innatam fraudi fraude carere dedi.  
Prospera facta semel, fieri non prospera nescit,  
Et stabilita sui nominis acta cavet.  
Horrea frumento, baco cellaria certant,  
Tecta bidente, grege pascua, lacte greges.  
Hortus, saltus, apes, in cœnas, prandia, potus,  
Fructum venatus, mella ferendo juvant.  
Promunt obsequium famuli, tutamen amici,  
Auxilium domini, subsidiumque pares.  
Ista videns livor miserabilis irruit in se,  
Dum quia non crucior se cruciare studet.  
Et solito fit pœna sui, quid justius illo,  
Dum prius auctorem dissecat ipse suum?

Contigit his igitur mihi quod contingere poscunt,  
 Quod me ferre volunt, jure jubente ferunt.  
 His fortuna gravis nunquam scit non gravis esse ;  
 Hanc fatearis et hic non meminisse sui.  
 Aspera facta semel fieri non aspera nescit,  
 Et stabilita malis non nisi stare potest.  
 Horum glande carent silvæ, viridaria fructu,  
 Proventu segetis semina, flore seges.  
 Horrea, grex, stabulum, frumento, lacte, bidente,  
 Hortus, apes, saltus, germine, melle, grege.  
 Demunt obsequium famuli, tutamen amici,  
 Auxilium domini, subsidiumque pares.  
 Gratia, Christe, tibi, quod cum mihi vulnera quærant,  
 Das ut pro meritis vulnera prima ferant.  
 Cui fortuna subest, cujus nutum comitantur  
 Casus, fata, status, tempora, corda, manus.  
 En solus tantusque manens quantus voluisti,  
 Omnia velle tuum sunt, et eras, es, eris.

*Ad Petrum.*

Cum nil Petrus agat bene, cur hos carpit et illos ?  
 Conveniunt vitæ turpia dicta malæ.  
 Petre, nihil dicis ; nil dicis, Petre, fatemur ;  
 Omne malum nihil est, tu mala sola refers.

*De pressura Angliæ.*

Garrula puri	Venula fontis,
Sorde repleta	Reddere priscas
Gurgite presso	Abnuit undas.
Proditâ jacti	Germina grani
Grandine strata,	Flore subacto,
Spem dominorum	Arbore quærua
Diruta ponunt,	Abdita quærens.
Rusticus olim	Mella canistris,
Si subeunti	Plebs operosa
Cesserit angui	Insinuosum.
Nescius hostem,	Sanguine cassus
Corda gelatus	Conserit ungues.

Sic quoque sævis	Anglia mœrens
Pressa tyrannis,	Sorde repleta,
Diruta fraude,	Dulcia secus
Mella venenis	Anxia mutat.

*De Avaritia.*

Rem peragit juste sed solam quiquis avare,  
Vixit quando perit, nunc age, Tulle, peri.

*Item de eadem.*

Est finire bonum, bonus ergo finis avari est.  
Et bonus est aliis, et tibi, Tulle, malus.

*De Zoilo.*

Hominis esse velim præclari, Zoilus inquit,  
Et famæ ingentis vincula ferte, furit.  
Hæc mensura tuæ est elatio certa ruinæ,  
Ex libra quantum celsus es, imus eris.  
Dic ubi præteriti sunt plausus, laus, honor anni;  
Pœnæ causa perit, pœna perennis erit.

*De contemptu visibilium.*

Mors properat, torpes; mors pulsat ad ostia, torpes;  
Ingreditur, torpes; vir, memor esto tui.  
Cur tua dum servas, te perdis? num tua mecum,  
Perdes? quod si te non habeas, quid habes?  
Te minus, illa magis curas, ut vel moderata  
Præcipiam, cura te magis, illa minus.  
Illa vigil quæras, te torpens negligis, illis  
Totus adesse, tibi totus abesse soles.  
Quid mireris in his? miror si quid tibi mentis?  
Quid sint res hominum, discute, vel quid homo.  
Ecce vides flavo segetes pubescere campo,  
Pictaque florigeris prata virere notis.  
Scintillare vides vitreo sub tegmine poma,  
Configunt horti vultus odorque tibi.

Splendida confiteor, sed cum sapientia finem  
 Perspiciat, rerum perspiciamus et hic.  
 Concertans glebis meditatur avarus in annum  
 Rusticus, enormi vix ratione fruens.  
 Semina commendat sulcis, redituraque multo  
 Fœnore post annum grana perire jubet.  
 Cur non prævideas quis et horum finis in annum?  
 Omnia, ni pudeat dicere, fimus erunt.  
 Quod modo dant campi, pomaria, prata, vel horti,  
 Tunc ubi strata cubent, nec memorare libet.  
 Insiptens, stolidus, piger, inscius, ebrius, amens,  
 Insensatus, iners, hoc genus omne simul.  
 Hæc prætiosa putant, quis vilia qui bene sentit,  
 Quo vel res hominum deveniant, vel homo?  
 Ecce videns celsos fulvo diademate reges,  
 Plebeque stipatos girovagante duces,  
 Miraris niveas vultu radiante puellas,  
 Et juvenes armis perspicuos et equis.  
 Splendida confiteor, sed si decet et hic quoque finem  
 Perspicias tandem, portio sordis erunt  
 Ut jam non escis, minus effigie videantur,  
 Turpia defectis, foetida vero magis.  
 Splendida quæ fuerant, quam sint deformia cernis,  
 Hic et adhuc aliis discute qui sit homo.  
 Sperma prius, modo vas cœni, post vermibus esca;  
 Ordine cernis homo quid fuit, est, et erit.  
 Nunc segetes, horti, pomaria, prata parate,  
 Pingues, pinguis enim vermibus esca placet.  
 Silva feras, Nereu pisces, piper India mitte,  
 His condita cibis vermibus esca placet.  
 At dices mea vilia sunt, ego vilior ipse;  
 Cur igitur curem me magis, illa minus?  
 Confiteor, tua vilia sunt, tu vilior ipse;  
 Sed curare decet te magis, illa minus.  
 Cum tibi res insit pretiosior omnibus una,  
 Corpora vivificans, spiritus atque regens.



Vase sub obsceno clarissima gemma latescit,  
Hoc grandis pretii est, nullius illa tibi.  
Nec pretiosa tibi est quæ te reddit pretiosum,  
Sed quod vilificat res pretiosa tibi est.  
Spiritus æqua docens, simul omnes omnibus æquat,  
Unus ait vobis est Deus ipse sator.  
Vultibus exprimitur vestris patris hujus imago,  
Qua facie proavos tollitis atque patres.  
Hinc genus est, hinc nobilitas, manet omnibus æqua  
Pernitiosa caro pernitiosa monet.  
Illi divitiis, huic ortu, laudibus isti,  
Viribus huic superes, maximus esse stude.  
Fac opibus crescas, inopem te copia reddat,  
Vina sitim cumulent, augeat esca famem.  
Quicquid habes duplica duplicasti, quid modo totum?  
Si duplices iterum, par tibi nullus erit.  
Consilium mortis moritura caro tribuisti,  
Poma quidem lignum, talia tale decent.  
Spiritus æqua docet, sed despicias æqua docentem;  
Scis quod iniqua caro dixit, et illa colis.  
Ancillæ dominam vegetatricem vegetate,  
Ductricem ductæ supposuisse potes.  
Spiritus ergo bonum mala corpus quæque ministrat;  
Hinc tibi fons vitæ, fons necis inde tibi.  
Quid sint res hominum, quid homo patet, et tamen ista  
Dissimulas noscens, deciperisque sciens.  
Ipse tuus raptor raperis simul, et raperis idem;  
Proderis et prodis, proditor ipse tuus.  
Evigilas, dormis, et cogaris ultro perire,  
Nec memor esse tui te renuente potes.  
Rem facilem das difficilem tibi, possibilemque  
Das impossibilem, quod potes ultro nequis.  
Te servare, miser, quia non vis, non potes, at si  
Forte velis, solum sit tibi velle salus.  
Quis mihi det fontem, quid enim potius lacrimarum,  
Ut lacrimæ quibus est vivere velle labor.

Vivere velle pigri nolunt, mortemque volentes  
Intrant, et blande dissimulando petunt.  
O miseri, licet ecce licet vel sero redite,  
Ne furor ille Dei dicat, " Abite rei."

*De invidia.*

Nequius invidia nihil est, nihil æquius illa;  
Namque nec auctori parcit acerba suo.

*De amore.*

Qui tenerorum vulnus amorum non reveretur,  
Innumerorum tela dolorum perpetuetur.

*In seipsum.*

Sunt, vates Henrice, tibi versus bene culti,  
Et bene culta domus, et bene cultus ager.  
Et bene sunt thalami, bene sunt pomeria culta,  
Hortus centimodis cultibus ecce nitet.  
O jam culta tibi bene sunt, sed tu male cultus;  
Se quicumque caret, dic mihi, dic quid habet?

*Explicit liber undecimus.*

---

## ALEXANDRI NECKAM

### DE VITA MONACHORUM.

Quid deceat monachum, vel qualis debeat esse,  
 Qui jubet ut dicam porrigat ipse manum.  
 Grex sanctus, monachi, vobis hæc scribimus,<sup>1</sup> hæc vos  
 Instruit, hæc vitæ pagina pandit iter.  
 Nec vos, dilecti fratres, contemnite, si quid  
 Nostra pium, si quid nostra salubre monent.  
 Sæpius ingentes lux pellit parva tenebras ;  
 Rivulus et dulces sæpe ministrat aquas.  
 Non<sup>2</sup> tonsura facit monachum, non horrida vestis,  
 Sed virtus animi, perpetuusque rigor ;  
 Mens humilis, mundi contemptus, vita pudica,  
 Sanctaque sobrietas ; hæc faciunt monachum.  
 Hæc vos in cælum, monachi, quadriga levabit,  
 Hæc post hanc vitam præmia summa dabit.  
 Nil tonsura juvat, juvat aut vilissima vestis,  
 Si lupus es, quamvis esse videris ovis.  
 Nam falli possunt homines, et fallere ; Christum,  
 Qui nullum fallit, fallere nemo potest.  
 Ille quidem fucum simulatæ religionis  
 Damnat, et in reprobis<sup>3</sup> moribus esse nequit.  
 Vovistis,<sup>4</sup> fratres, vovistis ; vestra, rogamus,  
 Vivite solliciti reddere vota Deo.

<sup>1</sup> *scripsimus*, B.

<sup>2</sup> *Vilitas* ; *contemptus mundi* ;  
*Castitas* ; *sobrietas*. Rubric in A.

<sup>3</sup> *propriis*, B.

<sup>4</sup> *In baptismo abrenuntiando Sa-*  
*thanæ et operibus ejus et pompis ejus.*  
 Rubric in A.

In majestatem divinam peccat abunde  
 Quisquis quæ non vult reddere vota vovet.  
 Vovistis Domino vestros convertere mores,<sup>1</sup>  
 Jam nunc peccastis,<sup>2</sup> sit modus et vitiis.  
 Nunc humilis vivat qui vixerat ante superbus,  
 Sit castus, quisquis luxuriosus erat.  
 Quærebat census aliquis, quærebat honores,<sup>3</sup>  
 At modo vilescant census honorque sibi.  
 Gaudebat dapibus, gaudebat divite mensa,  
 Nunc tenuem victum sobria cœna dabit.  
 Ille suis lætus successibus esse solebat,  
 Nunc lacrimis culpas diluat ipse suas.  
 Ostro conspicuus, gemmis insignis, et auro,  
 Veste modo vili squalida membra tegat.  
 Verbosus<sup>4</sup> taceat, mitescat fervidus ira,<sup>5</sup>  
 Invidus invidiæ dira venena vomat.  
 Cuique prius placuit cædes,<sup>6</sup> placuere rapinæ,  
 Nunc pius, et mitis, pacis amator erit.  
 Quisquis adulantum ventosa laude tumebat,  
 Nunc hominum laudes æstimet esse nihil;  
 Et qui sponte malus gratisque nocere solebat,  
 Nunc etiam læsus utilis esse velit.  
 Ad lites facilis fuit hic, ad jurgia præceps;  
 Fortiter alterius nunc maledicta feret.  
 Non hunc contemptus, non hunc injuria frangat,  
 Omnia robusto corde molesta ferat.  
 Pax animique quies inter convicia duret,  
 Nam fortem rerum nulla procella movet.  
 Hæc veniam, fratres, conversio vera meretur,  
 Hæc valet offensum vita placare Deum.

<sup>1</sup> *In professione promittendo stabilitatem nostram et conversionem morum et obedientiam.* Rubric in A.

<sup>2</sup> *peccatis sit,* M.

<sup>3</sup> *captabat honores,* B.

<sup>4</sup> *In confessione.* Rubric in A.

<sup>5</sup> *iram,* B.

<sup>6</sup> *cædes placuit,* B.M.

Non vos illiciat<sup>1</sup> brevis hæc et falsa voluptas,<sup>2</sup>  
 Non vos decipiant hæc peritura bona.  
 Cur quæso cupiat quicquam, qui cuncta reliquit?  
 Ad mala cur redeat, qui bona proposuit?  
 Terram contempnas, cælum qui<sup>3</sup> quæris habere;  
 Si mansura voles,<sup>4</sup> hæc fugitiva<sup>5</sup> fuge.  
 Dum licet, et spatium vitæ conceditur hujus,  
 Semper ad omne bonum vive paratus opus.  
 Fac bona quæque potes, modico dum tempore virvis;  
 Multa metes, si nunc semina pauca jadis.  
 Parvo perpetuam mercare labore quietem,  
 Et pensa fletu gaudia longa brevi.  
 Mens tua terrenis non hæreat, atque caducis;  
 Labitur et transit quicquid ubique vides.  
 Vita quid est præsens? temptatio, pugna molesta;  
 Hic<sup>6</sup> acies semper, semper et hostis adest.  
 Sed cum nulla tibi fuerit jam sarcina carnis,  
 Tunc sine fine quies paxque perennis erit.  
 Livor<sup>7</sup> et ambitio, gula, fraus, metuenda libido,  
 Ira, tumor mentis, schismata, laudis amor,  
 Et quæ de Sathanæ castris sunt<sup>8</sup> cætera mille,  
 Undique nos vallant assidueque premunt.  
 Has inter pestes dum mens infirma tenetur,  
 Fluctuat, et miris æstimat esse modis;<sup>9</sup>  
 Nec cadat, illa licet semper casura videtur,  
 Et quatiter tantis exagitata malis.  
 Et quis habet tantas vitiorum ferre procellas,  
 Si non divinum subvenit auxilium?  
 Hæc monachi toto mentis conamine vitent;  
 Præteritas culpas flendo, gemendo, lavent.  
 Distinctisque legant spatiis, operentur, et orent,<sup>10</sup>  
 A studiis sacris tempora nulla vacent.

<sup>1</sup> *illiceat*, B.<sup>2</sup> *De voluptate*. Rubric in A.<sup>3</sup> *qui cælum*, B.M.<sup>4</sup> *si mansura placent*, B.M.<sup>5</sup> *fugitura*, A.<sup>6</sup> *Hæc acies*, A.<sup>7</sup> *De livore*. Rubric in A.<sup>8</sup> *sunt castris*, B.<sup>9</sup> *ille modis*, B. ; *illa modis*, M.<sup>10</sup> *De opere*. Rubric in A.

Utilibus semper studeant, et rebus honestis ;  
 Res est segnities perniciosa nimis.  
 Luxuriæ fomes, res incentiva malorum,  
 Spiritibus nequam præparat illa locum.  
 Funestum monacho cum quid<sup>1</sup> male suggerit hostis,<sup>2</sup>  
 Et conatur eum fallere mille modis.  
 Esse Deum credat præsentem semper ubique,  
 Nec se si peccat<sup>3</sup> posse latere putet.<sup>4</sup>  
 Cuncta scit, atque videt, nec quicquam præterit illum,  
 Omnia sunt oculis nuda et aperta suis.  
 Cur quid<sup>5</sup> turpe facit, qui me spectante ruberet ?  
 Cur spectante Deo non magis ille rubet ?<sup>6</sup>  
 Si patriæ judex sciret sua facta, timeret ;  
 Scit Dominus rerum, cur nihil ille timet.<sup>7</sup>  
 Sed tacet, et differt, et nondum crimina<sup>8</sup> punit ;  
 Puniet, et meritis arbiter æquus erit.  
 Propositum<sup>9</sup> vitæ, monachi, servate rigorem,  
 Nec pigeat parvo tempore dura pati.  
 Sed mundi quamvis<sup>10</sup> delectent vana, cavete,  
 Et certi<sup>11</sup> gustu dulcia sæpe necant.  
 Nec quicquam sensus carnis delectet<sup>12</sup> amate ;  
 Quæ carnem oblectant, mentibus ipsa nocent.  
 Gaudia perpetuos pariunt mundana dolores,  
 Tollit et æternum vivere vita brevis.  
 Exiguus labor est, sed merces magna laboris ;  
 Præterit ille cito, præmia fine carent.  
 Ergo Deo melius si nil cognoscitis esse,  
 Immo si summum creditis esse bonum,  
 Contemptis rebus mundi, labentibus istis,  
 Jam sint in solo gaudia vestra Deo.

<sup>1</sup> *cum quod*, A.

<sup>2</sup> *De hoste*. Rubric in A.

<sup>3</sup> *Nec si se peccat*, B.

<sup>4</sup> *putat*, A.

<sup>5</sup> *Cum quid*, B. M.

<sup>6</sup> *ipse rubet*, B. M.

<sup>7</sup> *ergo timet*, B. M.

<sup>8</sup> *sua crimina*, A.

<sup>9</sup> *De proposito*. Rubric in A.

<sup>10</sup> *quamvis mundi*, B.

<sup>11</sup> *certe*, B. M.

<sup>12</sup> *quicquid carnis sensus demul-*  
*cet*, B. M.

Et mihi quæ possunt<sup>1</sup> amitti nulla videntur ;  
 Nam quicquid longum<sup>2</sup> desinit esse reor.  
 Nam quid honos?<sup>3</sup> quid opes? quid gloria? quidve  
 juvenus?  
 Forma, genus, vires, femina, vestis, ager?  
 Gemma, vel argentum? quid regum sceptrâ, vel aurum?  
 Purpura? quid latus fundus? et ampla domus?  
 Magna potentia, multa scientia, falsa voluptas,  
 Vita quid, et vestri corporis ipsa salus?  
 Non amo quod pestis, quod fur, quod subripit hostis ;  
 Et quæ, si parcant cætera, mors adimit.  
 Sunt quos falsus honor juvat, et peritura potestas,<sup>4</sup>  
 Seque putant aliquos quod loca celsa tenent ;  
 Et velut e speculo campos et plana viderent,  
 Sic quoque de mentis vertice quosque vident.  
 Dum non attendunt humanam conditionem,  
 Non norunt quid sint cernere, sed quid habent.  
 Sic dum sceptrâ gerunt, renitent diademate reges,  
 Et gaudent lati finibus imperii.  
 Dum distenduntur dapibus, dum nectare fervent,  
 Et servit mensis terra fretumque suis.  
 Et dum byssus eos pretiosaque purpura vestit,  
 Majestasque vacat regia deliciis ;  
 Dumque emollitos delinit blanda libido  
 Carnis, et illecebris in sua jura trahit.  
 Dum turpi dominæ famulantur turpiter isti,  
 Quos falso reges nomine mundus habet.

<sup>1</sup> *possint*, B.

<sup>2</sup> *Nec longum quicquid*, B. *Nec longum quidquid præterit esse*, M. B. has here in the margin the following six lines :

Deditus usuris, faciens incendia  
 testis,

Falsus, sortilegus, falsarius atque  
 monetæ

Tonsor, legatum impediens, a canone victus,

Proditor ac heresim sectans, vendensque columbas,

Supponens, partumque necans, rerumque sacrarum

Raptor, presbytero nequeunt a simplice solvi.

<sup>3</sup> *De honoribus*. Rubric in A.

<sup>4</sup> *De potestate*. Rubric in A.

Avertunt oculos, renuuntque videre profecto  
 Quod sint ipsi homines, et moritura caro ;  
 Quod citius transit mundana potentia fumo,  
 Quod vitreum, seu quod fictile vas sit homo ;  
 Quod caro mortalis tanquam vestis veterascit,  
 Et celeri lapsu curva senecta venit ;  
 Quod semper nostræ<sup>1</sup> minuuntur tempora vitæ,  
 Quodque dies hominis fumus et umbra fugit ;  
 Quod sit vita brevis, quod mors incerta, quod omni  
 Tempore nos quævis causa molesta premit.  
 Rex appellaris, quid inani nomine gaudes,  
 Qui, vitiis pulsus, victus ubique jaces ?  
 In quoquam, quæso, qui tanto nomine fulget,  
 Cur ratio servit, regna libido tenet ?  
 Cur vitiis servit, qui regnis imperat, et non  
 Mancipium vile<sup>2</sup> corporis esse pudet ?  
 O dilectores mundi, falsique potentes,  
 Ecquid terrenas esse putatis opes ?  
 Quid quoque mundanos quos afficiatis<sup>3</sup> honores,  
 Quorum perpetua est<sup>4</sup> sollicitudo comes ?  
 Omnia præcipitem formidant ardua casum,  
 Et magnis semper vis aliena nocet.  
 Sæpius alta ruit ventorum flatibus arbor,  
 Tuta humilis myrtus, tuta myrica manet.  
 Bellica cum celsas subvertit machina tures,  
 Nil nocet exiguæ pauperis illa casæ.  
 Et rapit obstantes fluvii violentia moles,  
 Plana satis placido permanet illa<sup>5</sup> gradu.  
 Montes et scopulos sævi maris obruit unda,  
 Ad placidum littus mitior unda venit.  
 Aerias Alpes nivibus candescere scimus,  
 Frigoribusque premi perpetuoque gelu.  
 Illic et rabies ventorum plurima sævit,  
 Temperiem gratam proxima vallis habet.

<sup>1</sup> *Quod nostræ semper*, B. M.

<sup>2</sup> *vilis*, M.

<sup>3</sup> *quos affectatis*, B. M.

<sup>4</sup> *perpetuus est*, A.

<sup>5</sup> *ille*, B. M.



Sic vobis nunquam desunt adversa, potentes,  
 Non est pax vobis ulla, nec ulla quies.<sup>1</sup>  
 O quantos regum patiuntur corda tumultus !  
 Quamque procellosis motibus ipsa fremunt !  
 Inter regales epulas variosque paratus  
 Tabescunt curis, sollicitoque metu.  
 Non paucos metuit multis metuenda potestas,  
 Vixque alicui credit dum cavet insidias.  
 Mille satellitibus cinctus, telisque suorum,  
 Non valet e trepido pellere corde metum.<sup>2</sup>  
 Rursus quid domino numerosa pecunia prodest ?  
 Accipe quid curæ, quidve timoris habet.  
 Et brevis et rarus fit somnus habentibus aurum,  
 Omnis enim vigilat non moderatus<sup>3</sup> amor.  
 Non dant securos nec ebur nec purpura somnos,  
 Paupertas vili stramine tuta jacet.  
 Auri possessor formidat semper, et omnem  
 Ad strepitum factas æstimat insidias.  
 Arma, venena pavet, furtum timet atque rapinam ;  
 Sollicitus<sup>4</sup> servat quæque lucrata sibi.<sup>5</sup>  
 Hunc, dum quærit opes, cruciat miseranda libido,<sup>6</sup>  
 Cum jam quæsita<sup>7</sup> cœpit habere, timor.  
 Sic igitur miser est dum<sup>8</sup> pauper quærit habere,  
 Et miser est dives, perdere parta timens.  
 Dum jacet in plumis, serico contentus et ostro,  
 Mordetur curis invigilatque dolis.  
 Continuare suis vicini pauperis agrum<sup>9</sup>  
 Ardet, et ad facinus cogitat ille modum.<sup>10</sup>  
 Expellit domibus pupillos ille paternis,  
 Insequitur viduas judiciisque premit.  
 Cum sit avaritiæ facibus succensus iniquis,  
 Non valet injustis se satiare lucris.

<sup>1</sup> Instead of this line, B. has a line blank, filled up by a later hand with the following :

Sed terit assidue sollicitudo gravis.

<sup>2</sup> *pellere corda metu*, B.

<sup>3</sup> *immoderatus*, B.

<sup>4</sup> *Sollicitans*, A.

<sup>5</sup> *lucrata diu*, B. M.

<sup>6</sup> *cupido*, B. M.

<sup>7</sup> *quæsitas*, B. M.

<sup>8</sup> *miser cui dum*, A.

<sup>9</sup> *ager*, A.

<sup>10</sup> *nescit habere modum*, M.

Ergo facit multos inopes; divesque rapinis,  
 Luxuriæ servit, si spoliatus eget.  
 Deliciis fruitur de rebus pauperis iste,  
 Sed gemit amissis indigus ille bonis.  
 Huic epulæ variæ, vestis pretiosa paratur;  
 Sed panem et scissam<sup>1</sup> vix habet ille togam.  
 At petet in flammis, ingressus tartara, parvam<sup>2</sup>  
 De digiti extremo pauperis hujus aquam.  
 Et vice conversa, qui dives abundat, egebit;  
 Nunc qui pauper<sup>3</sup> eget, copia dives erit.  
 Ad quid<sup>4</sup> avarus<sup>5</sup> opes, quicumque es, congeris  
 istas?  
 Forsitan hæc facient ut citius pereas.  
 Sic mihi, divitibus si quando defuit hostis;  
 Hos terit et quassat sæpe ruina gravis.  
 Invidiæ comes est melior fortuna, nec unquam  
 Fida satis cuiquam mobilis illa manet.  
 Ergo solliciti causas exclude timoris;  
 Esse velis pauper, illico tutus eris.  
 Paupertate<sup>6</sup> quidem nihil est beatius unquam,  
 Paupertate nihil tutius esse potest.  
 Non tibi subsidium sunt hæc, si sarcina<sup>7</sup> grandis,  
 Quæ male te miserum semper ad ima premit.<sup>8</sup>  
 Justitiæ montes, virtutumque ardua, nullus  
 Scandet, dum mundi rebus onustus erit.<sup>9</sup>  
 Stulte, quid hæc sequeris? nusquam<sup>10</sup> labentibus hæres.  
 Mortalis quid vis et moriturus opes?<sup>11</sup>  
 Certe post<sup>12</sup> mundi curas variosque<sup>13</sup> labores,  
 Cum tibi transierint, quæ male parta tenes,  
 Tartarus horrendo pavidum absorbebit hiatu,  
 Atque miser variis excruciere modis.

<sup>1</sup> *crassam*, B. *grossam*, M.

<sup>2</sup> *parcam*, B.

<sup>3</sup> *Huic qui pauper*, M.

<sup>4</sup> *quod*, B.

<sup>5</sup> *De avaro*. Rubric in A.

<sup>6</sup> *De paupertate*. Rubric in A.

<sup>7</sup> *sed sarcina*, B. M.

<sup>8</sup> *premit*, B.

<sup>9</sup> *honestus erit*, B.

<sup>10</sup> *cur sic labentibus*, M.

<sup>11</sup> These two lines wanting in A.

<sup>12</sup> *Cum te*, B. M.

<sup>13</sup> *vanosque*, B. M.

Cum te terribilis exactor ; jussus ab æquo  
 Judice, sulphurei merget in ima<sup>1</sup> laci.  
 Tunc, tunc, infelix, si certe<sup>2</sup> sero, dolebis,  
 In falsis<sup>3</sup> istis spem posuisse bonis.  
 Non huc<sup>4</sup> argentum, non huc<sup>4</sup> descendet et aurum,  
 Non aderit mundi gloria lapsa brevi.  
 Forsitan has quas tu parcus<sup>5</sup> modo colligis, omnes  
 Effundet quondam<sup>6</sup> prodigus alter opes.  
 Tunc pariter rebusque tuis et conjuge felix,  
 Cum cinis exiguus sive cadaver eris.  
 Magnum nomen habes,<sup>7</sup> clara est tibi forma per orbem,  
 Laudat te mundus, sed moriere tamen.  
 Non prosunt quicquam præconia vana sepultis,  
 Aut factus quisquam senserit illa cinis.  
 Fama placet populi, cupida trahis aure favorem,  
 Nescis divinum quid paret arbitrium.  
 Fumus et umbra levis, tota est hæc gloria mundi,<sup>8</sup>  
 Torquent famosos tartara sæva reos.  
 Et color et facies, et multum grata juvenus,  
 Et vox quæ dulces noverat ante modos.  
 Dum permutantur, quia fumus et umbra probantur,<sup>9</sup>  
 Diffugiunt pexæ quæ decuere comæ.  
 Os exornatur<sup>10</sup> decussis dentibus, inde,  
 Vix imperfectis sufficit ille sonis.  
 Deficiunt vires,<sup>11</sup> jam prodit ruga senilis,  
 Horret in effeto corpore scabra cutis.  
 Jamjam curvatur, jam manant ora salivis,  
 Exanguis color est, halitus ipse gravis.  
 Sicque perit placidæ<sup>12</sup> paulatim gratia formæ,  
 Nullaque de multis quæ placuere manent.

<sup>1</sup> *mergit ad ima*, B.

<sup>2</sup> *sed certe*, B. *super his sero*  
*pænitebit*, M.

<sup>3</sup> *falcis*, B.

<sup>4</sup> *hunc . . . hunc*, B.

<sup>5</sup> *has parcus, quas tu modo*, M.

<sup>6</sup> *quidam*, A.

<sup>7</sup> *nomen habens*, B.

<sup>8</sup> *De gloria hujus mundi*. Rubric  
 in A.

<sup>9</sup> For this line, B. and M. have :  
*Diffugiunt misera tandem veniente*  
*senecta.*

<sup>10</sup> *Os exornatur*, B. M.

<sup>11</sup> *Deficiunt vires*. Rubric in A.

<sup>12</sup> *placidæ*, B.

Jam gustata nimis<sup>1</sup> sapiunt, vix sentit odores,  
 Vix quoque clamoros præcipit<sup>2</sup> aure sonos.  
 Caligant<sup>3</sup> oculi, solusque dolore superstes  
 Totius sensus utilitate caret.  
 Vix jam fuste potest nutantes figere gressus,  
 Vixque valet tremula quæque tenere manu.  
 Si qua sibi fuerit<sup>4</sup> prudentia, tota recessit,  
 Idque tamen laudat<sup>5</sup> quod puerile sapit.  
 Sic igitur se quisque senex miserabilis, ipsum  
 Cotidie perdit subtrahiturque sibi.  
 Et cum sit moribus nimium gravis ipsa senectus,  
 Attamen innumeris angitur ipsa malis.  
 Hæc, inquam, multis vexatur inutilis ætas,  
 Semper et unde senex<sup>6</sup> quisque queratur habet.  
 Manducare labor est,<sup>7</sup> jejunare molestum,  
 Somnus ei gravis est, et vigilare nocet.  
 Æstates odit, hiemes et frigora culpat,  
 Autumni causam quod dolet esse putat.  
 Hunc quoque non minimum veris clementia lædit,  
 Ne querulo possunt ulla placere seni.  
 Hæc inter quæ cuncta senex incommoda sentit,  
 Urget eum scabies, tussis anhela quatit.  
 Ingratusque suis morbo confectus et annis,  
 Conqueritur vitæ tempora longa suæ.  
 Labile forma bonum,<sup>8</sup> species inimica pudori,  
 Utile virtutum sæpe retardat iter.  
 Nunc insensatos inflat, nunc turpia suadet,  
 Sæpe etiam fortes præcipitare solet.  
 Et mors et morbus rapit hanc, et mœsta senectus;  
 Mille perit causis,<sup>9</sup> nec manet illa diu.

<sup>1</sup> *minus*, B. M.

<sup>2</sup> *percipit*, B. M.

<sup>3</sup> For this and the following line,  
 B. and M. have:  
 Caligant oculi, de toto sola super-  
 sunt,  
 Huic cutis, et nervis ossa ligata  
 suis.

<sup>4</sup> *fuerat*, B.

<sup>5</sup> *Is tantum laudat*, M.

<sup>6</sup> *Senex*. Rubric in A.

<sup>7</sup> *fit*, B. M.

<sup>8</sup> *bone*, B.

<sup>9</sup> *Mille modis perit*, B.

Nec bona forma Deum, sed mens sincera meretur;  
 Justitiæ soli vita beata datur.  
 Tu reges<sup>1</sup> atavos memoras,<sup>2</sup> magnosque parentes,  
 Et vana carnis nobilitate tumes.  
 Nescis cunctorum quod sit communis origo,  
 Ortus et occasus unus, et una caro.  
 Quid tibi nobilitas, et clarum nomen avorum,  
 Si vitiis servus factus es ipse tuis?  
 Nobilis est, animi<sup>3</sup> quisquis virtute refulget;  
 Degener est solus cui mala vita placet.  
 Non genus,<sup>4</sup> at mores veneratur curia cœli;  
 Et cœlum justus,<sup>5</sup> non generosus, habet.  
 Sed nec præpositus mortis scelerumque minister  
 Vexat damnatum mitius ingenium.  
 Nullus ei servatur honor, reverentia nulla,  
 Nec magis est tutus nobilitate sua.  
 Sed fortes humeros numerosaque brachia<sup>6</sup> jactas,  
 Atque tui vires corporis eximias.  
 Bella refers, domitosque duces, gentesque subactas,  
 Maximaque imperio subdita regna tuo.  
 Non bove, non asino tu fortior; attamen illos  
 Ipse satis vili cernis emi pretio.  
 Sic quæcunque feris tecum communia<sup>7</sup> cernis,  
 Nec mirare nimis, nec pretiosa putes.<sup>8</sup>  
 Quod si vis sensus viresque attendere carnis,  
 Exuperant multo<sup>9</sup> nos in utrosque feræ.  
 Nos et equi vincunt veloces præpete cursu,  
 Et melius nobis audit oletque canis.  
 Quis velit iratos lucta temptare leones,  
 Terribiles ursos, fulmineasque sues?  
 Sola animi est virtus qua nos præponimur ipsis,<sup>10</sup>  
 Cætera sunt equidem nostra minora satis.

<sup>1</sup> *De nobilitate generis.* Rubric in A.

<sup>2</sup> *memores,* A.

<sup>3</sup> *Nobilitas aut sola est et inimica*  
*virtus.* Rubric in A.

<sup>4</sup> *Nec genus,* B. M.

<sup>5</sup> *Et justus cœlum,* B.

<sup>6</sup> *nervos et brachia,* B. *nervosa-*  
*que,* M.

<sup>7</sup> *conamina,* B.

<sup>8</sup> *puta,* B. M.

<sup>9</sup> *multæ,* B. M.

<sup>10</sup> *illis,* M.

Jejuna triduum totum ruit<sup>1</sup> unde superbis,  
 Vix tenuem flatum jam moriture trahis.  
 Quod si vel leviter te decutit<sup>2</sup> ignea febris,  
 Statim marcesces, illico nullus eris.  
 Sed cum te victum vitiis succumbere carnis,  
 Miror te fortem dicis, et esse putas.  
 Bella libido<sup>3</sup> movet; tu primos cedis ad ictus,  
 Et tua das fœdo colla premenda jugo.  
 Sic et avaritiæ servis, sic motibus iræ,  
 Sic facis ardentis jussa pudenda gulæ.  
 Femina,<sup>4</sup> dulce malum, mentem roburque virile  
 Frangit blanditiis insidiosa suis.  
 Femina, fax Sathanæ, gemmis radiantibus, auro,  
 Vestibus, ut possit perdere, compta venit.  
 Quod natura sibi sapiens dedit, illa reformat;  
 Quicquid et accepit dedecuisse putat.  
 Pingit acu, et fucō liventes reddit ocellos;  
 Sic oculorum, inquit, gratia major erit.  
 Est etiam teneras aures quæ perforat, ut sic  
 Aut aurum aut charus pendeat inde lapis.  
 Altera jejumat mense,<sup>5</sup> minuitque cruorem,  
 Ut prorsus<sup>6</sup> quare palleat ipsa facit.  
 Nam quæ non pallet sibi rustica quæque videtur;  
 Hic decet, hic color est verus amantis, ait.  
 Hæc quoque diversis sua sordibus inficit ora;  
 Sed quare melior quæritur arte color?  
 Arte supercilium rarescit, rursus et arte  
 In minimum mammas colligit ipsa suas.  
 Arte quidem videas nigros flavescere crines;  
 Nititur ipsa suo membra movere loco.  
 Sic fragili pingit totas<sup>7</sup> in corpore partes,  
 Ut quicquid nota est<sup>8</sup> displicuisse putes.

<sup>1</sup> *ruet*, A.<sup>2</sup> *te decoquit*, B. *decoquat*, M.<sup>3</sup> *De libidine*. Rubric in A.<sup>4</sup> *De fallacia mulieris nequam*.

Rubric in A.

<sup>5</sup> *misere*, B. M.<sup>6</sup> *Et prorsus*, B.<sup>7</sup> *totos*, B.<sup>8</sup> *natum est*, B. *nata est*, M.

O quos in gestus<sup>1</sup> se mollis femina frangit!  
 Et placet in blæsis subdola lingua sonis.  
 Dulcia sæpe canit, componit sedula gressum,  
 Ut quaquam<sup>2</sup> credas arte movere pedem.<sup>3</sup>  
 Sæpe auditores ejus facundia torquet,  
 Et modo ridendo, et modo<sup>4</sup> flendo placet.  
 Mille modis nostras impugnat femina mentes,  
 Et multos illi perdere grande lucrum est.  
 Nil est in rebus muliere nocentius, et nil  
 Quo capiat plures lætifer hostis habet.  
 Nec nos in toto<sup>5</sup> jactamus crimina sexu,<sup>6</sup>  
 Tempore sed nostro rara pudica manet.  
 Sed carnem fœnum clamat sacer ille propheta,<sup>7</sup>  
 Fac procul a fœno flamma sit ista tuo.  
 Tu molles risus, nutus, et dulcia verba,  
 Fæmineosque jocos,<sup>8</sup> effuge; virus habent.  
 Fæminei sensum<sup>9</sup> virus subrepsit<sup>10</sup> amoris;  
 Hoc tibi invidias,<sup>11</sup> illico captus eris.  
 Fæmineum fuge colloquium, vir sancte, caveto<sup>12</sup>  
 Fæmineas, si vis vivere, blanditias.  
 Namque fæmineo mens capta ligatur amore,  
 Nunquam virtutum surgere ad alta potest.  
 Harum colloquium quid confert utilitatis?  
 Venisti monachus, turpis amator abis.  
 Ergo virosum indeclinaveris<sup>13</sup> anguem,  
 Ni longe fias, inficere quidem.  
 Accendit mulier quæcumque libidinis ignes,  
 Et sanctis ipsis proxima facta nocet.  
 Fundanæ Andreas, vir magnus, episcopus urbis  
 Nutavit, virgo, femina causa fuit.

<sup>1</sup> *in gressus*, B.<sup>2</sup> *quadam*, B. M.<sup>3</sup> *gradum*, B. M.<sup>4</sup> *nunc quoque*, B. M.<sup>5</sup> *in totum*, B. M.<sup>6</sup> *sexum*, B. M.<sup>7</sup> *poeta*, A.<sup>8</sup> *Fæmineos jocos*, B.<sup>9</sup> *sensim*, B. M.<sup>10</sup> *surrepit*, B. *subrepsit*, M.<sup>11</sup> *Hos tibi, ni videas*, M.<sup>12</sup> Here B. ends abruptly, and the remainder of the column and the whole of the column following remain blank.<sup>13</sup> *nisi declinaveris*, M.

Si veterum libros et patrum scripta revolvās,  
 Quot doleas sanctos sic cecidisse viros.  
 Nec docto Salomone quidem tu doctior esse,  
 Nec David sancto sanctior esse potes.  
 Si Loth, Samsonem, si David, si Salomonem  
 Femina dejecit, quis modo tutus erit?  
 Numquid nec hominem mulier de sede beata  
 Expulit, et nostræ mortis origo fuit?  
 Sed facie clara satis est, et forma venusta,  
 Et tibi nec minimum lactea tota placet.  
 Viscera si pateant, pateant et cætera carnis,  
 Cernes quas sordes contegat alba cutis.  
 Si finum vilem præfulgens purpura velet,  
 Ecquis ob hoc finum vel male sanus amet?  
 Intra compta satis cellarum femina claustra  
 Suspirans dicit, discere sancta nolo.  
 Accedo ad monachos peccatrix femina, namque  
 Hi monita sanctæ dant documenta viæ.  
 Compta venis, et sancta placent; quis credere possit?  
 Suspectam te habeo, credo nocere velis.<sup>1</sup>  
 Lascivi risus, ardentis nutus ocelli,  
 Et tua garrulitas displicuere mihi.  
 Pastores, vigilate; lupas arcere rapaces  
 A gregibus vestris, claustra negentur eis.  
 Occidunt animas, multos ad tartara mittunt,  
 Et monachis pestis nulla timenda magis.  
 Femina, mors animæ, monachis accedere nunquam  
 Audeat; a sacro sit procul ipsa viro.<sup>2</sup>  
 Sit procul a cœtu sanctorum femina; namque,  
 Et si non valeat vincere, bella movet.  
 Et<sup>3</sup> forsā dices felices esse maritos,  
 Et casti laudes fœdera conjugii.  
 Crede mihi, frater, miser est quicumque maritus;  
 Vis dicam quantum triste fit illud onus?

<sup>1</sup> *venis*, M.<sup>2</sup> *ipsa choro*, M.<sup>3</sup> *Sed*, M.



Si quis habet sponsam turpem, fastidit et odit ;  
 Si pulcram, mœchos anxius ille timet.  
 Cernis enim quantum forma pudorque repugnent,  
 Raraque de puleris esse pudica potest.  
 In quam suspirant multorum vota, timebis  
 Perdere, vel soli nescit<sup>1</sup> habenda tibi.  
 Si fiat prægñans, accessit et altera cura,  
 Accrescuntque tibi multiplicata mala.  
 Hinc illam metuis ne quis corrumpat adulter,  
 Et pariat quorum non eris ipse pater.  
 Hinc res arcta nimis tenuisque pecunia, totam  
 Infaustam tecum cogit egere domum.  
 Est quoque perpetuas quæ miscet garrula lites,  
 Fitque molesta suo nocte dieque viro.  
 Et vinosa quidem multum damnosa marito est ;  
 Nam quæsita diu distrahit illa brevi.  
 Ista dat amplexus molles, et dulcia fingit<sup>2</sup>  
 Oscula, sed tacito corde venena premit.  
 Hæc et<sup>3</sup> de facie vel nobilitate superbit,  
 Et sceptro dignam credit habere manum.  
 Fraudibus uxorum multi periere virorum ;  
 Femina nil horret, cuncta licere putat.  
 Audet quicquid eam jubet imperiosa libido,  
 Et metus et ratio cedit, et ipse pudor.  
 Hæc leges sacras contemnit, et omnia jura ;  
 Turpe sit aut ævum dum juvat illud amat.  
 Dalila Samsonem, Clytæmnestra peremit Atriden,  
 Et lege<sup>4</sup> femineos sensit uterque dolos.  
 Sed cur quæso vetus tibi nunc historia narret  
 Quæ fieri nostro tempore multa vides ?  
 Quas sordes, quantosque metus curasque mariti  
 Sustineant, et quis<sup>5</sup> commemorare potest ?

---

<sup>1</sup> *ne sit habenda*, M.

<sup>2</sup> *figit*, M.

<sup>3</sup> *vel*, M.

<sup>4</sup> *In lege*, M.

<sup>5</sup> *quis* omitted in A.

Jam nunc quam gravis est uxorum<sup>1</sup> sarcina cernis,  
 Quamque premat duro subdita colla jugo.  
 Ergo maritalis damnamus fœdera lecti?  
 Non; sed perfectis nunc damus illa viris.  
 Conjugibus nec est fructus centesimus, aut quem  
 Reddunt per senos multiplicata decem.  
 Nec tamen æterni privantur lumine regni,  
 Accipient meritis præmia digna suis.  
 Te mollis byssus, te fulgens purpura vestit,  
 Et texunt mundi singula regna tibi.  
 Quæ pretiosa tuos pellis non cedit in usus?  
 Quæ vestis species, quæve coloris abest?  
 Sed nec ad indecores cultus pudet addere quicquam  
 Artificis novum cudere docta manus.  
 Irradiant gemmis digiti, pariterque lacerti,  
 Vixque vales auri pondera ferre tui.  
 O quam vana hominum talis vesania! stulte,  
 Quid juvat externis velle nitere bonis?  
 Si vitiis sordes, quid prodest fulgida vestis?<sup>2</sup>  
 Absterget maculas purpura nulla tuas.  
 Gemmarum et tanti fulgor non efficit auri,  
 Ut careat tenebris mens tua cæca suis.  
 Sed sancti mores faciunt, non vestis, honestum;  
 Et probitas magnos efficit una viros.  
 Quæ natura dedit, serva integra; non eget istis  
 Vilibus ornari rebus imago Dei.  
 Ista quidem fieri ventosa superbia cogit;  
 Sola placet justo sobria vita Deo.  
 Agrorum fines longos extendere quæris,  
 Et multas messes horrea plena cupis.  
 Scis evangelicus quid avaro sermo minetur,  
 Hac in nocte animam perdere, stulte, tuam;  
 Inquit, habes, et cujus erunt quæcunque parasti?  
 Improbe, jam frena vota, timeque mori.

<sup>1</sup> *uxoris*, M.

<sup>2</sup> The sixty lines which follow,  
 ending with the words *se cohibere*

*modo*, not found in the Cottonian  
 MS., are here given from the text of  
 Migne.

Tot fruges, auri tantum, vinique, tot agri,  
 Ad quid eget paucis vita, salusque brevis?  
 Arvum quæris, homo, tibi fertile; nec tamen unquam  
 Ad sterilem vitam respicis ipse tuam.  
 Agricolaë Dei tumidus contemptor ubique,  
 Nullos vis fructus reddere justitiæ.  
 At scelerum vepres suffocant semina vitæ,  
 Et peccatorum surgit amara seges.  
 Extirpa mentis tribulos, spinasque revelle,  
 Et tritico Christi pectoris arva sere.  
 Fructificetque Deo cordis novale, prematque  
 Virtutum messis semina nequitiae.  
 Esse quid argentum, quid gemmas credis et aurum,  
 Prædia? quidve omnes quas habet orbis opes?  
 Hæc Judæus habet, gentilis, latro cruentus;  
 Crede mihi, iratus sæpe dat ista Deus.  
 Parva puta quæcunque malos contingit habere;  
 Parva puta quicquid fur et adulter habent.  
 Quod meretrix, quod mœchus habet, nec magna pu-  
 tabis;  
 Omnipotens longe dat meliora suis.  
 Ast oculus mentis cæcatur pulvere terræ,  
 Ut nequeas lumen cernere justitiæ.  
 Heu tibi! cui virtus non lucet, lucet at aurum,  
 Et præfers summis infima quæque bonis.  
 Néc mala magna reor, quibus affliguntur amici;  
 Nec bona quæque hostes constant habere Dei.  
 At quoties vir justus eget, scelerosus abundat;  
 Non est pravorum copia grande bonum?  
 Ægrotat sapiens, sed sanus floret iniquus;  
 Non est grande bonum corporis arcta salus.  
 Dilectus Domini moritur, sed vivit adulter;  
 Non est in magnis vita caduca bonis.  
 Ergo modo similis tibi collige cætera, fili,  
 Et prudens vilis munera sperne soli.  
 Vile relinque solum, cupias fastigia cœli;  
 Illic percipies dona beata Dei.

Non pretiosa facit pretiosum purpura quemquam ;  
 Nec mutant mores tradita sceptrā malos.  
 Si pius ista Dei data conspicis hostibus esse,  
 Impia pars hominum regnat ubique fere.  
 Virtuti si detur honos, si præmia dignis,  
 Et teneant meritum singula quæque locum,  
 Jam nunc res hominum, mihi crede, et pace beatas  
 Videris, et certo se cohibere modo.  
 Sed quia regna malis, sceleri est donata potestas,  
 Debita virtuti frena libido tenet.  
 Mundus turbatur, rerum confunditur ordo,  
 Involvitque simul omnia grande chaos.  
 Vis prohibet leges, evertunt crimina mores,  
 Et valido virtus turbine quassa latet.  
 Dat<sup>1</sup> Libanus tibi ligna, Paros<sup>2</sup> sua marmora mittit,  
 Aurum præbet Arabs, India mittit<sup>3</sup> ebur.  
 Tu cedro peregrina et marmore construis ædes ;  
 Miraque consurgit fabrica, fundis opes.  
 Rigent<sup>4</sup> argento postes, laquearia multo  
 Auro, distinctum sculptile vestit ebur.  
 Porticibus vallas operosis atria, quales  
 Quotque putas thalamos hæc labyrinthus habet ?  
 Illic tu videas pictum sculptumque, stupescas  
 Artificis quicquid mensque manusque potest.  
 Ostia multa quidem, variæ sunt mille fenestræ,  
 Mille columnarum est marmore fulta domus.  
 Quid tanto, moriture, paras molimine ? quare  
 Das animum vanis, et peritura placent ?  
 Cur ampla ædificas busto claudendus in arcto ?<sup>5</sup>  
 Debentur vitæ tempore pauca<sup>6</sup> tuæ.  
 Quid tibi tantæ ædes ? quanto felicius ipse  
 Templum esses vivi viva domusque Dei ?

<sup>1</sup> *Vanitas vanitatum et omnia vanitas.* Rubric in A.

<sup>2</sup> *insula.* Gloss in A.

<sup>3</sup> *India præstat,* M.

<sup>4</sup> *Rident,* M.

<sup>5</sup> *Contra edificia curiosa et sumptuosa.* Rubric in A.

<sup>6</sup> *deficient vitæ tempora pauca,* M.

Esto domus Domini, quam sacris moribus orna,  
 Virtutem cultor religionis ama.  
 Quam felix anima est in qua sibi ponere sedem  
 Dignatur summi spiritus ipse Dei!  
 Omnis<sup>1</sup> habet subitum terrena potentia finem,  
 Atque fuga celeri deserit illa<sup>2</sup> suos.  
 Ergo time quicumque<sup>3</sup> celsos conscendis honores,  
 Teque ruinoso stare memento loco.  
 Magnus erat quidem,<sup>4</sup> totoque potentior orbe,  
 Nunc quem, sic mundus ceperat, urna capit.  
 Sic et Alexander fortissimus ille Macedo,  
 Clauditur angusto pulvis et ossa loco.  
 Major erat mundo magnus, modo nobile corpus  
 Exulis et victi vilis arena tegit.  
 Et cecidit Babylon, cecidit quoque maxima Troja,  
 Olim mundipotens, aspice, Roma jacet.  
 Ecce diu res nulla manet mortalibus, ecce  
 Nullus honor prohibet, gloria nulla, mori.  
 Summus Aristotiles, logicæ scrutator acutus,  
 Edidit ingenio multa reperta suo;  
 Non syllogismo, non enthymemate factum est,  
 Ut vellent tanto parcere fata viro.  
 Quid penetrare<sup>5</sup> juvat naturæ arcana Platonem,  
 Et mundi<sup>6</sup> studio multa dedisse suo?  
 Solis iter, cœlique plagas, lunæque meatus,  
 Et vaga seu summo sidera fixa polo,  
 Multaque præterea satis ardua noverat, et nunc  
 Philosophus cinis est, nomen inane manet.  
 Dum res et rerum causas vestigat Hypocras,  
 Dum de naturis disputat ipse suis,  
 Inserit illa libris, dum multa latentia prodit,  
 Dum medicinali corpora servat ope,

<sup>1</sup> *Quod brevis sit gloria hujus mundi.* Rubric in A.

<sup>2</sup> *ipsa*, M.

<sup>3</sup> *quisquis*, M.

<sup>4</sup> *Magnus erat Cæsar*, M.

<sup>5</sup> *Quid penetrasse*, M.

<sup>6</sup> *mundo studio*, M.

Ingens fama viri toto diffunditur orbe,  
 Et meriti fructus ille laboris<sup>1</sup> habet.  
 Sed nullis herbis, nullis radicibus actum est,  
 Ne physico mortis lex subeunda foret.  
 Et justis, non philosophis, dat præmia Christus ;  
 Rusticus es, justus esto, beatus eris.  
 Philosophus Varro, Petrus piscator, et ecce  
 Optinet iste polum, possidet ille lacum.<sup>2</sup>  
 Ille voluptatum varia dulcedine gaudet,  
 Et desideriiis servit ubique suis.  
 Sunt quæ summa putat meretrix, coquus, histrio ; nullum  
 His præfert aut par æstimat esse bonum.  
 Quicquid et ad victum mare mittit, vel tenet aer,<sup>3</sup>  
 Quærit habetque viri luxuriosa fames ;  
 Et modico ventri vastus vix sufficit orbis,  
 Ergo ministrorum vocibus aula fremit.  
 Argentoque dapes ponuntur, Bacchus in auro,  
 Et gemma infusum plurima nectar habet.  
 Vestibus et facie longus nitet ordo clientum,  
 Ad domini nutum turba parata levis.<sup>4</sup>  
 Sexus uterque canit, resonant citharæque lyræque,  
 Et reddunt illic organa dulce melos.  
 Tandem epulis largis et pleno ventre beatus,  
 Cum scortis porcus gaudia noctis habet.  
 O præclara viri virtus ! o vita beata !  
 Deliciis pastus cum meretrice cubat.  
 Quid vestes referam, lectos, et divitis ædes ?  
 Nescit habere modum prodiga luxuries.  
 Hinc per longa meant nitidi canalia fontes ;  
 Herba columnarum<sup>5</sup> marmore clausa viret ;  
 Fructiferumque genus tot arborum educat hortus,  
 Mixtaque sanguineis alba ligustra rosis.

<sup>1</sup> *favoris*, M.

<sup>2</sup> M. has for this line—

Petrus habet cælum, tartara  
 Varro tenet.

<sup>3</sup> *mare nutrit, terra vel aer*, M.

<sup>4</sup> *leves*, M.

<sup>5</sup> *columbarum*, MS.

Nec violæ desunt, sed et illis<sup>1</sup> floris et herbæ  
 Est quicquid specie et quicquid odore viget.  
 Nunc phaleratorum tergo vectatur equorum,  
 Nunc saturum lento remige cymba vehit;  
 Nunc illum esse juvat sub papilionibus, et nunc  
 Grata sub arboreis quæritur umbra comis.  
 Nunc delectatur turbis et plausibus urbis,  
 At modo privatus degere rure cupit.  
 Quicquid molle juvat habet, et quodcumque decorum<sup>2</sup>  
 Dulceque corporeis sensibus esse solet.  
 Heu miserum!<sup>3</sup> totum turpes deflectit in usus,  
 Nullaque declinat sordida turpe pecus.  
 Ergo jocis, Venere, et vino, somnoque beatæ  
 Expendit vitæ tempora tota suæ.  
 Jamque caro totus nescit quam devius erret;  
 Mens mala<sup>4</sup> pressa gravi pondere carnis hæret.  
 Nescit perpetuo quod torrem nutriat igni<sup>5</sup>  
 Corpus quod tantis curat alitque modis.  
 Qualem tu vitam credis mortalibus esse?  
 Et brevis et multis est onerata malis.  
 Quotquot nascuntur, vox illis prima doloris;<sup>6</sup>  
 Incipit a fletu vivere quisquis homo.  
 Aspice quæ miseros feriant nos undique, quot sunt,  
 Quantaque privatis publica mixta malis.  
 Frigore nunc nimio, nimio nunc læditur<sup>7</sup> æstu,  
 Nosque fames vexat, torquet acerba sitis.  
 Musca nocet, modicusque pulex vel regibus ipsis,  
 Nec faciunt tutos regia sceptræ suos.  
 Hic dolet exilium, mortem dolet alter amici,  
 Huic cara orbato conjuge flere libet.  
 Hic jacet infamis, miser hic in carcere luget;  
 Hunc metus hostilis terret, et alter eget.

<sup>1</sup> *illic*, M.<sup>2</sup> *Quidquid molle juvat, quod visu, quodque decorum est*, M.<sup>3</sup> *misero*, M.<sup>4</sup> *male*, M.<sup>5</sup> *nutriat hebes*, M.<sup>6</sup> This and the following line are only found in M.<sup>7</sup> *lædimur*, M.

Hic gemit incestum corruptæ conjugis, alter  
 Delusus falsa suspitione timet.  
 Excussas aliquis deplorat grandine vites ;  
 Iste mari magno deperiisse rates.  
 Pars queritur sterili male credita semina terræ ;  
 Pars metuit domini vimque minasque sui.  
 Perdidit hic justam sub iniquo iudice causam ;  
 Has rapiunt fures, has cremat ignis opes.  
 Et quis quod non plangat habet, nulloque dolore  
 Saucius est, voti compos ubique sui ?  
 Non sic blanda fovet<sup>1</sup> rebus fortuna secundis,  
 Misceat ut lætis improba triste nihil.  
 Nec pars parva mali vitiis tabescere, totque  
 Captivo ardentem pectore ferre faces.  
 Flagrat avaritia, mala mens succenditur ira,  
 Et modo vesano fervet amore, velut  
 Interius totam dudum conceperat<sup>2</sup> Æthnam,  
 Nil quoque quod deceat cæca furore videt.  
 Sæpe graves stimulos livor malus excitat, ille<sup>3</sup>  
 Sæpe metum generat, spemque, cupitus amor.<sup>4</sup>  
 Illam<sup>5</sup> luxuries illamque<sup>5</sup> superbia vastat ;  
 Hunc quoque tristitiæ sæva procella quatit.  
 Hæc et plura petunt, nos hujus tempore vitæ.  
 Quæ nec vel puncti tempore certa manent.  
 Ille fame, fungo, feбри, serpente, sagitta,  
 Fluctibus, et flammis,<sup>6</sup> hoste, latrone perit.  
 Et nostram morbi corrumpunt mille salutem ;  
 Nullus ab humano corpore languor abest.  
 Si nunc inspicias,<sup>7</sup> animalia cætera quæque,  
 Invenies tantis subdita nulla malis.  
 Nunc capitis laterumque dolor, febrisque fatigat,  
 Totum hominem tollit lepra, chiragra manus.

<sup>1</sup> *favet*, M.<sup>2</sup> *conceperit*, M.<sup>3</sup> *excitat illi*, M.<sup>4</sup> *honor*, M.<sup>5</sup> *illum . . . illumque*, M.<sup>6</sup> *aut flammis*, M.<sup>7</sup> *aspicias*, M.



Dira podagra pedes, oculos ophthalmia cæcat,  
 Obsidet arctati pectoris asthma vias.  
 Læsa suos claudit lotio vesica meatus;  
 Viscera torrent,<sup>1</sup> parsque pudenda, colus.  
 Dens dolet, aut cervix, os torpet, lingua ligatur;  
 Splen tumet, aut pulmo, sæpe laborat<sup>2</sup> hepar.  
 Cor marcet, renes patiuntur, solvitur alvus,  
 Brachia nil possunt, languida crura jacent.  
 Singula non paucis pars est obnoxia morbis,  
 Et patet infelix ad mala totus homo.  
 Non hæc ergo salus, non hæc mihi vera,<sup>3</sup> videtur,  
 Quam mors extinguit, tollere morbus habet.  
 Sic est: res istas male publicus æstimat error;  
 Vilia sunt, stulti quæ pretiosa putant.  
 Nos ergo, fratres, quæso, meliora sequamur,  
 Quæ sunt digna bono, quæ sapiente viro.  
 Cur dominus rerum, quare deitatis imago,  
 Parva cupis? cupias maxima magnus homo?  
 Non decet artificis tanti mirabile plasma  
 Mirari propriis cuncta minora bonis.  
 Luna tibi fulget, tibi volvitur orbita solis,  
 Et tibi sunt toto sidera sparsa polo.  
 Nempe dies tuus est, tua nox, tuus igneus æther,  
 Et tibi commutant tempora quæque vices.  
 Orbis terrarum tuus est, et quicquid ab illo  
 Clauditur arbitrio subditur omni<sup>4</sup> tuo.  
 Nempe parens cælo rerum<sup>5</sup> dimissus ab alto,  
 Ad tua descendens, est tibi factus homo.  
 Te manet astrigeri<sup>6</sup> clarissima regia regni,  
 Tu quoque es æterni regis imago tui.  
 Ergo tu tantus, qui tantis cætera vincis,  
 Et minor es solo cuncta creante Deo,  
 Noli te regno peccati subdere, noli  
 Quæ citius fugiunt ista caduca sequi.

<sup>1</sup> *torquentur*, M.<sup>2</sup> *ægrotat pulmo, laborat*, M.<sup>3</sup> *vita*, M.<sup>4</sup> *omne tuo*, M.<sup>5</sup> *rerum cælo*, M.<sup>6</sup> *astriferi*, M.

Sed satagas humiles animo transcendere terras,  
 Arctumque ad cælos arripe fortis iter.  
 Vita, salus hominum, quo<sup>1</sup> cætera fumus et umbra,  
 Omnia prætereunt, nulla manere vides.  
 Non te quæ pereunt delectent infima, nec te<sup>2</sup>  
 Cœlestem foedet pulvere terra suo.  
 Nec te præcipitet carnis malesuada voluptas,  
 Nec trahat illecebris esca Venusque suis.  
 Perpetuum tibi sit studium virtutis et ardor;  
 Mens tua continuo flagret amore boni.  
 Quære boni fontem virtutum passibus, et te  
 Istius fontis torreat unda sitis.<sup>3</sup>  
 Sarcina currentem te mundi nulla retardet;  
 Totum declina quicquid obesse solet.  
 Cum tu pervenies lætus felixque viator,  
 Et data vivifici copia fontis erit,  
 Æternus fies sapiens, vereque beatus,  
 Cuncta tibi fuerint prospera, triste nihil.  
 Inque suo regem rex ipse decore videbis,  
 Deque beatifico lumine lumen eris.  
 Nullæ mentis erunt tenebræ, sed, nocte fugata,  
 Intus erit perpes et sine nube dies.  
 Tunc rerum clausæ<sup>4</sup> scripturæ clausa patebunt,  
 Omnia clara tibi plenaque lucis erunt.  
 Tunc in vivorum læta regione videbis  
 Quæ bona sunt Domini, quantaque dona Dei.  
 Mors aberit, morbus, labor, hostis, cura, senectus,  
 Non habet hæc felix illa superna domus.  
 Nec timor afficiat sanctos, sensusque dolores,  
 Æstus in his nullus, frigora nulla, locis.  
 Nemo hic esuriens, nudusque nemo, sed unus  
 Omnibus, omne bonum fiet, eritque Deus.  
 Urbs hæc non lunæ nec lumine solis egebit,  
 Semper erit magna<sup>5</sup> solo serena Deo.

<sup>1</sup> *quoque*, M.<sup>2</sup> *non te*, M.<sup>3</sup> *suis*, M.<sup>4</sup> *causæ*, M<sup>5</sup> *magno*, M.

Denique justorum tanquam sol quisque nitebit ;  
 Ista redonatæ gloria carnis erit.  
 Spiritibus summis æquabit gratia regis  
 Justos, pro quibus passus amara crucis.<sup>1</sup>  
 Ad montem<sup>2</sup> vitæ de mortis valle reductus,  
 Civis erit felix, nunc miser exul, homo.  
 Urbis prope illius Deus est respública, et inde  
 Grandis ibi est cunctis copia, nullus eget.  
 Non igitur deerunt regis tibi munera, nec te  
 Qui meritos<sup>3</sup> magnis ditat, egere sinet.  
 Nam cum gustabis de vitæ fonte perenni,  
 Et dabitur summo participare bono,  
 Magna potentia, summa silentia, mira<sup>4</sup> voluptas,  
 Redduntur<sup>5</sup> vitæ militiæque tuæ.  
 Quis poterit fari, quis scribere, quis meditari,  
 Quæ dabis in cœlis præmia, Christe, tuis ?  
 Hæc, monachi, fratres, hæc tota mente sequamur,  
 Nulla salutiferum causa moretur iter,<sup>6</sup>  
 Ut majestatis dominum mihi cernere detur ;  
 Ut decus et tantum fas sit habere bonum.  
 Thesaurus Arabum, mensas et prandia regum,  
 Quicquid habet mundus, deputo vile lutum.  
 Quisquis ad hæc igitur Paradisi gaudia tendis,  
 Sedulus angustam nunc, age, disce viam.  
 Ne laxas<sup>7</sup> vitiis angustæ mentis habenas,  
 Divini semper frena timoris habe.  
 Exspecta Dominum, formida judicis iram,  
 Et quod promittit Rex tibi, miles ama.  
 Parvulus esto, vide, mentis depone timorem,<sup>8</sup>  
 Porta Dei summi qui timet arcta capit.<sup>9</sup>

<sup>1</sup> *Pro quibus est ultro passus amara crucis, M.*

<sup>2</sup> *Ad mortem, A.*

<sup>3</sup> *mito, A.*

<sup>4</sup> *Magna scientia, multa potentia, mira, M.*

<sup>5</sup> *Redduntur, M.*

<sup>6</sup> *This line omitted in A.*

<sup>7</sup> *laxes, M.*

<sup>8</sup> *tumorem, M.*

<sup>9</sup> *Porta Dei nullum, qui tumet, arcta capit, M.*

Vitamus tauros cornu et cervice minaces;  
 Non leo, non taurus, non equus, agnus eris.  
 Agno; nulla magis agnum juvat hostia Christum;  
 Agnus eris Christo simplicitate tua.<sup>1</sup>  
 Offertur Domino turtur, simplexque columba,  
 Castus eris turtur, blanda columba gemens.  
 Quæ<sup>2</sup> sunt qui Domino se castravere beati,  
 Tartarus, incestus,<sup>3</sup> flammaque, morsque manent.  
 Summa quidem virtus monachi parere priori,  
 Ferre jugum normæ, seque negare sibi.  
 Quicquid præcipiet mox et sine murmure serva;  
 Peccatum solum dedecuisse puta.  
 Non vilis vestis, non te locus ultimus angat,  
 Sæpe tui stultos ordinis ista movent.  
 Et si nos sapimus, et si nos vera fatemur,<sup>4</sup>  
 Aggreditur virtus ardua, dura probat.  
 Qui se vilescit, qui se nihil æstimat esse,  
 Et timet et mundi labilis alta fugit,  
 Hic est et sapiens, et cælo proximus ipse;  
 Non sine re monachi nomen inane gerunt.  
 Si vult ditari, si vanos ambit honores,  
 Induit occultum pellis ovina lupum.  
 Si qui cuncta videt mundi pius arbiter, ille  
 Novit oves, tacitus<sup>5</sup> novit et ille lupos.  
 Hoc igitur monachus labiis, hoc ore frequenter:<sup>6</sup>  
 "Te mihi, te solum da, Deus, et satis est."  
 O certe felix possessio, quæque beatum  
 Sola facit! miserum cætera pondus habent.

<sup>1</sup> These two lines, given from M.,  
are not found in our MS.

<sup>2</sup> *Quot sunt*, M.

<sup>3</sup> *Tartarus incestos*, M.

<sup>4</sup> *Sed si nos sane sapimus, si vera  
fatemur*, M.

<sup>5</sup> *tacitos novit*, M.

<sup>6</sup> *et corde frequentet*, M.

## GUALONIS BRITONIS

## INVECTIO IN MONACHOS.

Sacrilegis monachis, emptoribus ecclesiarum,  
 Composui satiram, carmen per secula clarum ;  
 Quam<sup>1</sup> quia vir magnus corroborat Hugo Diensis,  
 Noster amicus eam legat Hugo Suesionensis.  
 Ordo monasticus ecclesiasticus esse solebat,  
 Dura cibaria cum<sup>2</sup> per agrestia rura colebat,  
 Nulla pecunia, nulla negotia<sup>3</sup> præpediebant ;  
 Sobria copia, parva colonia sufficiebant.  
 Pro venialibus et capitalibus invigilabant ;  
 Tam venialia quam capitalia nostra piabant.  
 Sed miserabilis et lacrimabilis est ibi<sup>4</sup> factus,  
 Post venialia sub capitalia damna redactus.  
 Ordo monasticus ecclesiasticus est violenter ;  
 Ecclesiastica comparat ostia dona patenter.  
 Ordo monasticus ecclesiasticus est sine fructu,  
 Intrat ovilia desuper omnia<sup>5</sup> non sine luctu.  
 Ordo monasticus ecclesiasticus est sine sensu,  
 Æstimat omnia spiritualia divite censu.  
 Ordo monasticus ecclesiasticus est sine causa,  
 Clamat ad ostia spiritualia jam sibi clausa.<sup>6</sup>  
 Ordo monasticus ecclesiasticus unde vocatur,  
 Quando tenacibus atque rapacibus assimilatur ?  
 Terra, pecunia, templa, palatia magna parantur,<sup>7</sup>

<sup>1</sup> *Quod quia*, B.

<sup>2</sup> *dum*, B.

<sup>3</sup> *Nulla negotia, nulla pecunia*, B.

<sup>4</sup> *est sibi*, B.

<sup>5</sup> *desuper omnia*, A.

<sup>6</sup> This line and the preceding are not found in A.

<sup>7</sup> *petuntur*, B.

Unde potentia sive superbia magnificentur.  
 Vana superbia quid per inania ludificatur?  
 Lucifer extulit, et Deus expulit, et cruciatur.  
 Sed duo nomina per sua nomina nolo notare,  
 Quæ sapientia vel reverentia nescit amare.  
 Dicere planius est inhonestius, ultro patebit;  
 Ultro quis audiet, ultro subaudiet, ultro docebit.  
 Sed Dominus meus omnipotens Deus, omncreator,  
 Insipientibus et sapientibus auxiliator,  
 Hoc pius auferat et bona conferat, ut mereantur  
 Spiritualia quærere pasqua, ne moriantur.<sup>1</sup>  
 Præsul amabilis et venerabilis Hugo Diensis,  
 Vestra scientia nostra superflua radit ut ensis.  
 Vir memorabilis, irreparabilis, omnis honestas,  
 Vestra calumnia corrigit omnia, digna potestas.  
 Anglia, Scotia, Gallia, Græcia te reveretur,  
 Quod sapientia, quod reverentia vestra meretur.  
 Carmina metrica, dicta poetica si placuissent,  
 Nostra precamina justa per omnia vos monuissent.  
 Jus ut ab omnibus hoc facientibus obtinuissent,  
 Affrica, Parthia, Pontus, et Asia, vos coluissent.  
 Sacrilegus monachus de Christo sit maledictus.

Quæ<sup>2</sup> monachi quærunt patrio mea jure fuerunt;  
 Concio vult fratrum laribus me pellere patrum.  
 Nunquid, Christe, feres ut sit tibi turba cohæres,  
 Quæ fugat hæredes patrias quibus eripit ædes?  
 Duros introrsus monachorum sensio morsus,  
 Qui mea frendentes acuunt in vulnera dentes.

<sup>1</sup> These verses end here in B.

<sup>2</sup> The following lines in B. follow the preceding at the line at which they end in that MS., as marked in the preceding notes, as though a continuation of the same poem,

which they evidently are not, as they are written in different form of verse. It may be a question if they be not the *satira* mentioned in the second line.

Quos ad res gestas in me non cogit egestas ;  
Divitiis pleni rem deprædantur egeni,  
Quam duram gentem spoliat quia dives egentem,  
Nec misero fratri parcis grex velleris atri,  
Atra notat vestis quales intrinsecus estis.  
Sunt mea parva satis, non est opus ut minuatis ;  
Res angusta nimis, superaddita rebus opimis,  
Vos non ditabit, me paupertate gravabit,  
Quæ crementa dabit, quas delicias cumulabit,  
Mensæ communi quod vix mihi sufficit uni ?  
Parvi jura loci rictu sorbetis atroci,  
Innectens lora vobis Deus obstruat ora.  
Res est nota satis quod inique me spoliatis,  
Estque mei juris vestri decimatio ruris.  
Non est perfecti normam contempnere recti.  
En jubet ordo sacer fremat ut sic ambitus acer  
Nec teneat frænum jus invadens alienum.  
Mente Deum pura sitientes, qui sua jura  
Sponte reliquerunt, mea cur invadere quærunt ?  
Turpiter ergo gerunt, quia sorbent quod vomuerunt.  
Quæ pietas ? quis amor ? pulsat meus æthera clamor,  
Quoque magis plango, minus horum pectora tango.  
Quam crudele genus ! quod flens non tangit egenus.  
Insultat flenti, panem rapit esurienti.  
Ebrius atque satur, quid vult sibi ? quid meditatur ?  
Ingluvies talis labes est dæmonialis.  
Turbam raptorum transcendit grex monachorum.  
Voces cunctorum vicinia quos premit horum  
Deflent atque gemunt, quod eis monachi sua demunt.  
Neve loqui cessem, quod habet res, tutior essem  
Turbæ raptorum vicinus quam monachorum,  
Rodens viventes, acuunt gens mortua dentes ;  
Mortua gens mundo fremit ore vorax furibundo,  
Mitem se fingens, sic virus contigit ingens.  
Hic dolus est magnus, lupo est qui creditur agnus.  
Non est fida satis vestræ nota simplicitatis,  
Nostris læta malis, mala gens, sors dæmonialis,

Turba nocens estis, scelerum fons, publica pestis  
 Vipereumque genus, grex omni crimine plenus.  
 Cur anathema pati non horretis, scelerati?  
 Emptores rerum qui debent pascere clerum,  
 Legi terga datis, qui vos Simoni sociatis,  
 Quodque dari gratis lex præcipit ære paratis.  
 Non ego sanctorum vitam reprehendo virorum,  
 Consilio quorum fit nulla rapina meorum.  
 Utpote justorum non detraho laudibus horum.  
 Fratres inclusi, non in vos turpia lusi.  
 Non vos offendat quocunque locutio tendat.  
 Fratribus inclusis ut parcant impero musis;  
 Nec nisi raptores reprehendant exteriores;  
 Lædo lædentes, mordentibus imprimo dentes.  
 Turpe nihil vitant qui se vel fœnore ditant,  
 Et nummos servant quos usura coacervant,  
 Ecclesias ut emant, et nobis omnia demant.  
 Utque boni portet nihil omnino fit oportet  
 Nequiter expensus, collectus non bene census.  
 Hic mea jam prorsus lacerasset viscera morsus,  
 Inque tuos casses gens me mala præcipitasses.  
 Sed tutela boni non vult hoc ferre patroni;  
 Præsul Odo cleri, non Odardus jura tueri,  
 Me fovet atque regit, sed jam sæpius egit.  
 Cujus agit virtus, ne grex me sorbeat hirtus.  
 Hic meus est tutor, tutela præsulis utor,  
 Vires frangentis dura per singula gentis,  
 Ne qua pressura titubent sibi subdita jura,  
 Qui rigidos flectit, tumidis qui vincula nectit,  
 Qui juga nulla pati, nec parcere sit feritati.  
 Gens tamen atra furit, quæ me sic acriter urit;  
 Dum parata mori quam ponere fræna furori,  
 Lædere temptanti pastoris ovilia tanti.  
 Gens inimica Deo, generi compar Pharisæo,  
 Quid me persequeris? quid me crucifigere quæris  
 Hos ego raptores horumque perhorreo mores.  
 Cum defecerunt dolus et violentia, quærunt



Pondere nummorum sibi subdere res miserorum.  
Sed nescit donis venerandi prorsus Odonis  
Ferre mens flecti, præsertim conscia recti.  
In duo me solvit res hæc, quia mens mea volvit  
Spem simul atque metum, nec me sinit esse quietum;  
Terret turba fremens, dat præsul spem mihi clemens,  
Virtuti cuius cedat gregis impetus hujus,  
Ac exaltat eum de quolibet hoste trophæum.  
Nil subeat sævum, sed gaudeat hic, et in ævum.  
Sed prece non tali pro gente rogo monachali,  
Nomen honestatis qui factis dant sceleratis;  
Vinci turpe putant, et ob hoc cessare refutant.  
Hæc quasi forma boni prætenditur ambitioni;  
Sed probat hoc verbum monachos genus esse superbum.  
Non bene se colant qui crimen crimine velant.  
Gens pia nulla minus cremat horum corda caminus,  
Per quem sic ardent ut nil committere tardent,  
Vel nimis orando, vel dando, vel insidiando.  
Dat crementa rei grex indomitæ rabiei.  
Parva fuit juris monachorum portio ruris;  
Totam mox villam partem rapuere per illam.  
Hunc imitata gregem gregis æqueat tinea legem,  
Quodque semel lambit, totum capit, implet, et ambit,  
Primo contingens partem, mox omnia cingens.  
Quæ mala proclivis grex cogit ut amodo quivis  
Sit mihi suspectus nigro velamine tectus.  
Credo jam nulli cui sit nigra massa cuculli;  
Mundum linquentes, et ad hunc habitum venientes,  
Aut retinent mores, aut fiunt deteriores.  
Quis prodesse putant, qui solum tegmina mutant?  
Est alius virtus quam pannus teter et hirtus,  
Quam toga talaris, quam massa triplex doliaris.  
Si caligis laxis promittitur astriger axis,  
Si decimam frugis furor abstulerit mihi jugis,  
Huic maledictorum decimam promitto meorum;  
Nec dubitet, namque neutram perdet vel utramque;  
Nec novum frangam, quin acriter omnia tangam.

Si quid fraudabo, quadrupliciter reparabo,  
 Duriter ac fœde qui propria vixit in æde,  
 Dum fuit in mundo, nec abundans pane secundo,  
 Hunc habitum nactus, duros ut finiat actus,  
 Fastidit festas ipsis quoque regibus escas;  
 Potabat flumen; pultes, olus, atque legumen  
 Tunc cibus ejus erant, nunc eum satis ista replerant;  
 Et tulerat pannos per tres vel quatuor annos.  
 Aer, terra, mare, vix hunc poterunt satiare;  
 Cumque petet potum, pincerna, sit hoc tibi notum,  
 Ad minus offerri triplicis tria vasa Lyæi,  
 Ut satagat normæ nectar sorbendo triformæ.  
 Distentus vino triplici sub nomine trino,  
 Pocula sic libat, curto qui sæpius ibat  
 Jumento vectus, nulloque sequente provectus,  
 Nunc mulæ dorsum premit ire volens aliquorsum;  
 Vel, si gaudet equo, monachus petulantior æquo,  
 Ejus erit vector qualem sibi posceret Hector.  
 Ordine qui nullo monachi volitante cucullo,  
 Saltus mille dabit, gyros et multiplicabit.  
 Nunquid equum macrum prohibet jus scandere sacrum?  
 Sed non ut portet crassum macer illum oportet,  
 Pondus tale pati non corporis est tenuati.  
 Hac in gente Dei nullus locus est maciei;  
 Omnia crassa nimis, bene consona rebus opimis;  
 His pinguedo comes, quibus affluit undique fomes;  
 Huic sanctæ<sup>1</sup> genti, terrenum nil cupienti,  
 Res est nulla satis, nisi plena superfluitatis.  
 Martyrii talis fert pondera grex monachalis.  
 Hoc se more gerunt, qui totum deseruerunt;  
 Se sic affligunt, sic mundo se crucifigunt.  
 Fratres inclusi, non estis talibus usi.  
 Sæpe bibunt flumen, comedunt olus atque legumen,  
 Isdem contingens tenuis cibus et labor ingens  
 Infert pallorem carnis minuendo vigorem.

---

<sup>1</sup> The MS. appears to read *samitte* for *sancte*.

His male subductum pars devorat impia fructum ;  
His igitur crassis, illis famis aspera passis,  
Non cunctis æque sunt bona communia quæque ;  
Escis hic mille distenditur, esurit ille ;  
Esurit ille, furit, sitis hunc exsiccat et urit.  
Qui sic fraudantur, quibus arcta cibaria dantur,  
Hos habeo mecum, debent qui volvere secum,  
Et non mirari quicquam me talia fari.  
Qui sic nostra terunt de me bene nil meruerunt.  
Orbem commovit me gens ubi pessima novit  
Communis massæ lapides plaustro cumulasse,  
Anxius unde larem qui lapsus erat repararem.  
Exiliens claustro, mox irruit obvia plaustro  
Horrifer ille globus, cœpit juga demere bobus.  
Turba bubulcorum fugit stupefacta meorum,  
Insolitas horum formas rata dæmoniorum,  
Qui sibi nil quærunt, nisi jure bonos voluerunt  
Hoc retinere modo, sed eis probus obfuit Odo.  
Nam quoque raptorum rapiens me morsibus horum,  
Si dignas grates humilis tibi reddere vates,  
Digne nequit tutor Dominus tibi sit retributor.  
At promitto tamen dare qui poterit famulam,  
Officiosa meæ modulatio Calliopeæ,  
Te, venerande pater, collaudans, cæcus et ater,  
Non impune feret mea quod querimonia meret.  
Differo majora, solvens levioribus ora ;  
Meque pudet fari quod non pudet hos operari.  
Aut flecti discent, et cessantes recipissent,  
Aut ego cuncta vomam, penitusque latentia promam,  
Voce fremens dira, cum me stimulaverit ira.

*Explicit.*

---

VERSUS SERLONIS  
DE FILIIS PRESBYTERORUM.

---

*Serlo Parisiacensis de filiis presbyterorum.*

Rex immortalis, qui longo tempore talis,  
Mundo risus erunt quos presbyteri genuerunt.  
Quid meruere pati, quocunque toro generati ?  
Si juvant pure, nova quo sententia jure  
Immeritos urget, maculas cum gratia purget  
Omnis fonsque sacer, judex se comprimet acer,  
Et flecti discat, jurisque memor resipiscat.  
Fonte sacro lotum vel mundat gratia totum,  
Vel non est sacri mundatio plena lavacri.  
Hoc qui tractatis, prolatores novitatis,  
Dum nova jura datis, lavacri jus evacuatis.  
Legislatores, hominum perpendite mores,  
Atque modum vitæ, quod et æquum sit Sabilitæ.  
Quisque sui portet peccati pondus oportet,  
Nec sit damnatus parens pro crimine natus.  
Errat mens et hebet prorsus mea, si mihi debet  
Alterius crimen Paradisi claudere limen.  
A serie cleri decernis me removeri,  
Qui seraphin turbæ suprema jungar in urbe.  
Deciperis plane mentis gens indiga sane.  
Quod si scripta cadant, et verba Dei retro vadant,  
Regula Scripturæ mihi non erit amodo curæ.  
Plures sic natos in Teli sede locatos,  
Legi terga dares divinæ si dubitares.  
Hos nunc infames ob patrum crimina clames,

Quos habet aula poli, præsumere talia noli.  
 Non est illorum turpis generatio, quorum  
 Est Deus ipse pater, peperit quos gratia mater.  
 Ne cures patris mihi delictum neque matris  
 Improperare torum, sed formas respice morum,  
 Et quæ sit vitæ mihi linea, cum sine lite  
 Judiciï verbum tolerabo malum vel acerbum,  
 Quod de factorum procedat labe meorum.  
 Nunc homines vitæ turpis, mœchi, sodomitæ,  
 Et qui furta patrant, in nos opprobria latrant,  
 Sed bene moratos, et despiciunt male natos.  
 Lex premit ista bonos, et sublevat ad mala pronos.  
 Cur homo dedecorat quem Rex summus honorat?  
 Cur reprobando premit quem Christus morte redemit,  
 Atque cohæredem patriæ revocavit ad ædem?  
 Qui bona nulla gerunt, adimi nunquid meruerunt  
 Perpetuæ morti, quia sunt legaliter orti?  
 Ergo censuræ talis quo regula jure  
 Sorte sua privat male natum, si bene vivat?  
 Quod si perduras, nec jus accendere curas,  
 Qui nova jura paras, et leges ponis amaras,  
 Et sic nos mordes, prius illas corrige sordes,  
 Quod gravius lædunt, et plus a lege recedunt.  
 Quid pœna vitas urgere gravi sodomitas?  
 Hæc species morbi qua mors gravis imminet orbi,  
 Si bene res isset, prius extirpanda fuisset.  
 Quem scelus obdurat, qui nil anathemate curat,  
 Qui sancti censura clero tollit sua jura,  
 Tangi deberet, si quid sacer ordo valeret.  
 Quod mundi partem Simonis si nesciat artem,  
 Fama tibi tradit, quo res hæc ordine vadit,  
 De minimis tractat, post tergum maxima jactat.  
 Si vis recta sequi natura quod expetit æqui,  
 Corrige majores culpas prius, inde minores.  
 Idque  
 Decretoque tamen das tale tuo moderamen.  
 Si quis se velet monachili tegmine, delet

Opprobrii tales maculas habitus monachales.  
 Quam vehemens pestis facit mutatio vestis.  
 Qui sacramentum lavacri nequit, hoc documentum  
 Quod clero tradis, declivi tramite vadis.  
 Non magis, ut credo, panni lavat ulla nigredo,  
 Quam sacri fontis virtus contagia sontis.  
 Hic satis ostendit tua qua scientia tendit ;  
 Ecclesiae florem subducere vis potioem,  
 Perque modum talem moliris canonicalem  
 Adnihilare chorum, turbæ quærens monachorum  
 Ut notum detur reprobatum quod rapietur.  
 Insanire doces monachos, satis ante feroces.

Quid sancti patres faciant attendite, fratres ?

Impia lex horum nos ponit in ore luporum,  
 Præsidio quorum duræ gentis monachorum  
 Debuerat finis vehementibus esse rapinis.  
 Romæ censores, quorum notat actio mores,  
 Quando nos lædunt, nimis hoc sibi profore credunt.  
 Nos ubi dedecorant, ibi se vehementer honorant,  
 Deque probris fratrum vult crescere gloria patrum.  
 Hæc qui verba serunt, et honorem quem sibi quærunt  
 Magnificare putant, dum nos in sorde volutant ;  
 Qua specie fraudis pondus cumulant sibi laudis,  
 Non commendarent bene se, nisi nos reprobarent.  
 Affectum talem non æstimo spiritualem.  
 Nosti, summe Pater, quam vera superbia mater  
 Huic sit decreto, quod stare diu prohibeto.  
 Qui præcesserunt, nihil ingenio valuerunt,  
 Si quid senserunt sapienter, idem studuerunt.  
 Hos præponamus primis, his dona feramus,  
 Qui perspexerunt ea quæ primos latuerunt,  
 Infusum mundo vomitum de fonte profundo  
 Spectantes lumen, et Romæ miremur acumen.  
 Huc descendentes ex urbe viri sapientes,  
 Alpes transissent frustra, nisi quid statuissent,  
 Non prius auditum, debet transcendere ritum,  
 Et decet ut fundat quid, quando sophia redundat.

Sed tamen huic genti, tam sanctæ tam sapienti,  
 Si quis dona ferat veniamque dari sibi quærat,  
 Ex hoc damnatus quod sit cum crimine natus,  
 Vel proprium crimen sacrum claudat sibi limen,  
 Inveniet mites mutato jure quirites;  
 Munere flectentur, tribuenti compatiuntur,  
 Blandæ frontis erunt, mutabunt quod statuerunt.  
 Est vacuus sensu quisquis rogat hos sine censu.  
 Dum prece temptantur sola, nec munera dantur;  
 Quod statuere ratum servatur et inviolatum.  
 Turba senatorum, mores bene novimus horum,  
 Omne quod est vendens, et in omnibus ad lucra  
     tendens,  
 Divitibus lenis, misereri nescit egenis.  
 Pauper peccator, Dominus tibi sit miserator.  
 Cotidie crescit fallacia, ponere nescit  
 Nequitiae metas hæc detestabilis ætas.  
 Paucis cura boni, plures ad crimina proni.  
 Proximus est finis mundi; fera regnat Erynnis.  
 Unde salus mundo, caput ejus cum sit arundo?  
 Unde salus orbi, postquam vehementia morbi  
 Ad caput ascendit, quod nequiter omnia vendit?  
 Nil tribuit gratis, de Romanæ pietatis  
 Ubere nil hausit, sua qui marsupia clausit.  
 Hic dolor est summus, quod vincens omnia nummus  
 Est Romæ pluris quam sacri regula juris.  
 Postquam Roma cadit, male res sibi subdita stabit;  
 Jura relinquunt omnes, et munera quærent.  
 Ordo sacer nutat, dum jus sententia mutat  
 Pontificis summi, subversa cupidine nummi.  
 Non quia papa gerat quicquam male, vel lucra quærat,  
 Sed circumstanti turbæ sunt munera tanti,  
 Crimen et evitet nullum, dum se modo ditet,  
 Vel nobis parcent qui tam mordaciter arcant  
 A grege nos cleri, vel fiet mentio veri,  
 Gentis Romanæ declarans crimina plane.  
 Accipiunt frænum, precor, et qui sic alienum

Opprobrium spectant, in se sua lumina flectant,  
Massam culpārum, qui non reputando suarum  
Nos dignos pœna pro labe notant aliena.  
Ut suprascripti, si nos erramus et ipsi,  
Quoque modo scimus si nota referre velimus.  
Respice qui transis, in me circumspice quis sis,  
    Exemplo num sis, et memor ipse tui.  
Sum quod eris, quod es ipse fui mundoque superstes,  
    Florueram mundo, terra cinisque modo.  
Quid probitas? quid opes? quid honor? quid gloria  
    mundi?  
    Omnia quid fuerint, cum cecidere docent.

---



## ANONYMI VERSUS

## DE QUERIMONIA CLERI.

Res monet et tempus fratrum describere questus.  
 Ecclesiæ proceres, præsul, clerique priores,  
 Qui sapitis recte, qui vivere vultis honeste,  
 Huc oculos cordis, huc aures flectite mentis.  
 Audiatur omnis homo, juvenis, puer, innuba, virgo,  
 Atque senes tremuli, quæ sit querimonia cleri.  
 Quicquid penna notat veri de flumine manat.  
 Qui dubitat verum, sciat actus præpositorum,  
 Ex fructu poterit cognoscere vipera quid sit.  
 Inter præpositos et nos fit regula discors;  
 Os male pensatur, dum lanx non æqua tenetur.

Altera præpositis est, altera regula nobis.  
 His licet impune facinus quodcumque patrare;  
 Excoriant aras, placet execranda potestas;  
 Dispoliant sanctos, mutus tacet omnia custos.  
 Si calices frangant, cortinas, pallia vendant,  
 Non mutire licet; quis demens talia culpet?  
 Quis tera talem non diffamare latrones?  
 Qui reus est furti donetur vulnere grandi,  
 Ne reprobes furtum metuis si verberis ictum.  
 Qui culpant fures, hos damnat regula vindex;  
 Non modicum peccat, qui publica crimina narrat.  
 Omne genus scelerum sine vindice vivat inultum.  
 Vivere vis dives? laudare memento latrones;  
 Est mihi pauperies, quia sæpe redarguo fures.  
 In re, sed melius volo vivere semper egenus,  
 Quam socius furum sim servus divitiarum.

Optima paupertas, quam ditat mentis honestas.  
 Non mihi sunt gratæ quas augent furta rapinæ,  
 Fraus, præjudicium, perjuria, fictio, lucrum.

Altera præpositis est, altera regula nobis.

Nos vilis populus, et non memorabile vulgus,  
 Mercenaria plebs, cui victus tota suppellex.  
 Si querimur rite cur sic vivamus inepte,  
 Quo<sup>1</sup> bona nostra ruant, cur non communia fiant,  
 Prosilit in medio larvæ deformis imago,  
 Legum destructor, fraudis non fictus amator,  
 Testis nequitiae, cui sunt perjuria curæ,  
 Qui subito mille mendacia ructat ab ore,  
 Dux homicidarum, spes et protectio furum.  
 Vox asini dulcis hæc rudit cantica nobis:

“ Dicite, primates cleri,<sup>2</sup> censere, priores,

“ Quis furor hic subitus? quis tam temerarius ausus

“ Hac<sup>3</sup> in plebe venit? quænam vesania surgit?

“ Quo strepitu sævit? cur sic furibunda superbit?

“ Non impunitus erit auctor murmuris hujus;

“ Vivet in exemplo multis pro crimine tanto.”

Prosequitur totus doctoris dicta maniplus.

Imperio larvæ sua stat sententia cuique,  
 Burburus immitis, Sphynx semper amica cruoris,  
 Bestia crudelis, ferus arbiter, impia pestis;

Quem nobis Stygiis Pluto transmisit ab undis.

His primum verbis ructat documenta furoris.

Est stulto similis qui vult contendere dictis,<sup>4</sup>

Nos leges regimus, nos jura tenenda docemus;

Nos facimus furtum, volumus sit semper inultum.

Pro voto regis pendet sententia legis.

Incassum latrat qui furum crimina culpat.

Pro merito furti petiit ardua cœli.

Fas et præpositis propriis ignoscere culpis,

Nec quamvis vere, licet horum furta notare.

<sup>1</sup> *Qui bona*, B.

<sup>2</sup> *priores cleri*, A.

<sup>3</sup> *Hæc*, A.

<sup>4</sup> *contendere verbis*, A.

Rex et præpositi, nulla sunt lege premendi.  
 Si rex furatur, lex indiscussa tenetur ;  
 Pro culpa regis, dormitat pagina legis.  
 Quamvis sint fures, venerentur ubique potentes ;  
 Palliat<sup>1</sup> infamem sua præpositura latronem.  
 Scutum nequitiae mihi sit fallacia linguæ.  
 Qui loquitur verum fiet hostis præpositorum ;  
 Sic censura petit, sic lex et regula promit.  
 Qui contradicit, ferularum flagra subibit.  
 Burbureis dictis favet excoriator herilis.  
 Sanctorum costas qui denudavit et aras,  
 Qui morbum patitur ægris persæpe medetur,  
 Sacrilego furi licet optime testificari.  
 Fur foveat furem, foveat ut meretrix meretricem.  
 Laudando furem propriam sic augeo laudem ;  
 Si furem reprobō, simili me polluo furto.  
 Prosilit in medio Radamandus gutture crasso,  
 Censens egregie, numerus facit arma timere,  
 Stare simul liceat facinus quos inquinat æquat.  
 Laudat et hoc catulus Cleobos simul et Manichæos.  
 Hic numerus furum bis ternos complet et unum.  
 Sed quia de catulo nunc cœpit surgere sermo,  
 Quis fuit in puero, quis venit et unde, notabo.  
 Hunc mendicantem, nudum, victumque petentem,  
 Solibus æstivis ussit rota fervida solis.  
 Hinc tumefacta cutis et nigri plena cruoris  
 Rumpitur, et fœdo deturpat membra veneno.  
 Nunc pedibus nudis transmisit in arlia remis,<sup>2</sup>  
 Æthiopi similis venit sine tegmine pellis,  
 Pauper, inops, nudus, tiliarum cortice cinctus.  
 Talis erat primo, qui nunc se proluit auro,  
 Quem rota Fortunæ transvexit ad astra repente.  
 Nunc rigidus Cato dat nobis jura tenenda.  
 Mirantur proceres morum probitate vigentes ;  
 Nunc asinus pardis, nunc imperat upupa cignis.

<sup>1</sup> *Palliat*, B.

<sup>2</sup> The MS. seems to read *marlia remis*, but the meaning is obscure.

Si tamen in præceps volvatur circinus anceps,  
 Non licet invitus pardis se subdit asellus,  
 Et nimis elatus saliet de rupe catellus.  
 Qui stat sæpe cadit, currens vestigia lædit  
 Motibus incertis, sic sic, fortuna, jocaris.  
 Nunc ad rem redeam, cœptum perstringere pergam.

Altera præpositis est, altera regula nobis.  
 Nos vilis populus ad pulpita sæpe legamus ;  
 Præpositi sedeant, nos stantes psallere cogant ;  
 Hos risus pascet, nos cantio longa fatiget.  
 Grex solito more canat Alleluia, gradale.  
 Præpositi verbis contendant atque cachinnis ;  
 Hoc illis studium, hoc utilitas seniorum.  
 Ac velut expansos teneat si cœcus ocellos,  
 Nil de luce videns, sed aperto lumine vivens,  
 Haud aliter tales vultu non mente nitentes  
 Stare chorum pulchrum, sed non est utile multum.

Altera præpositis est, altera regula nobis.  
 Non est fas æque partiri fercula mensæ,  
 Sufficiat victus nobis sine murmure parvus ;  
 Præpositis spatula, mihi sit tenuissima costa,  
 Os dabitur nudum si costæ respuo donum.  
 Si mutire volo, depascar vulnere crebro.  
 Præpositis triplex, nobis sit portio simplex.  
 Post tenuem costam carnem non sumimus assam ;  
 Præpositi teneris triplicant sua fercula pullis.  
 Si jejunamus paucis quandoque diebus,  
 Sufficiat nobis permixtus caseus ovis,  
 Aut faba quæ calidos cogit reviviscere ficos.  
 Si semel in mense pisces contingat habere,  
 Gamalus, anguillæ, Tiberinus verna cloacæ,  
 Commaculant mensas quas trivit longa vetustas.  
 Præpositi soli satiantur<sup>1</sup> pisce recenti.

Altera præpositis est, altera regula nobis.  
 Nos infelices vini nescimus odores.

---

<sup>1</sup> *satientur*, B.

Præpositi vinum, nos degustamus acetum.  
 Surgimus a mensa, sed non sine murmuris ira;  
 Hunc quatit<sup>1</sup> ægra sitis, illum molestia ventris.  
 Longa fames stomachi raro fit amica quieti;  
 Hoc domini culpant qui tenso gutture ructant.

Altera præpositis est, altera regula nobis.

Nos extra claustrum prohibemur figere gressum;  
 Et dominis cameræ licet ad sua tecta redire.  
 Fit rogos in medio, celebrantur et orgia Baccho;  
 Siccantur cuppæ spumanti nectare plenæ.  
 Tunc recitant leges, illic proscribimur omnes;  
 Sub cauda vitis titubat sententia legis.

Altera præpositis est, altera regula nobis.

Ille molendinos, hic nostros surripit agros;  
 Hic villas decimat, hic vectigalia fraudat;  
 Hic silvas vendit, hic prata virentia tollit,  
 Nec totus census nostros transfertur ad usus.  
 Insuper ecclesias cogunt sibi vendere nostras.  
 Hoc facit improbitas, non paupertatis honestas.  
 Burburus hoc donum facit, sine laude bonorum.  
 Exotici mures sic sic bona nostra furantes,  
 Ut sorex granum corrodunt omnia fratrum.  
 Dant paleas nobis, complent sua tecta medullis,  
 Nec pudor est decimas cum quartis tollere quartas.  
 Gallinæ, pulli, teneri cum matribus agni,  
 Vellera vervecum, faba, lentes, cannaba, linum,  
 Et decimæ pecudum sint omnes præpositorum.  
 Stulta nimis res est, si clament talia fratres;  
 Ad respondendum sequitur vox præpositorum,  
 Carpere nec lanam, tenuem nec texere telam,  
 Aut fuso tortum sapitis devolvere linum.  
 Talia præpositi faciant operumve magistri,  
 Pro mercede sua sit eis decimatio tota.  
 Dicite, quid pecco, mihi si mea commoda quæro?

---

<sup>1</sup> *quærit*, A.

Qui sibimet nequam cui fiet dic bonus unquam.  
Sic teneo placitum pro quæstu denariorum,  
Pars mea sit totum, partiri nescio nummum.  
Sufficiat victus vobis, et portio census;  
Omne quod est reliquum sit fiscus præpositorum.  
Sic censent canones, sic tractavere priores;  
Sic volumus, sic laudamus, sic esse jubemus.  
Heu dolor! heu luctus! heu detestabile tempus!  
Heu facinus mirum! cur tanta potentia furum?  
Dic, ubi rex? ubi lex? ubi jus? ubi gloria vindex?

---

## HUGONIS SOTOVAGINÆ.

*Versus Hugonis Sotovaginæ cantoris et archidiaconi  
Eboracensis.*

Philosophus quidam quæsitus quid sit amicus,  
 Pauca prius meditans, sic ait, "Alter ego."  
 Alterutri sed nemo potest modo dicere vere,  
 "Sum velut<sup>1</sup> alter tu, tu velut alter ego."  
 Hoc in amore decet sapientem quemque tenere,  
 Ne sit suspectus vel simulatus amor.  
 Ingenui magis est odisse palam vel amare,  
 Quam ficto vultu quid velit oculere.  
 Lex in amicitia sit, amicos poscere honesta,  
 Propter eos prorsus turpe nihil gerere.  
 Non amor est, alter cum verum audire recusat,  
 Alter mentiri cuncta paratur ei.  
 Aures qui claudit cum vere objurgat amicus,  
 Desperanda salus illius est penitus.  
 Aiunt, aio, negant, nego, promptum semper in ore,  
 Hoc pantomimus vel parasitus habet.  
 Non amor est hodie quo se Pylades et Orestes,<sup>2</sup>  
 Quo se et amaverunt Lælius et Scipio.  
 Pene sui dominos ita amant sicut juga taurus,  
 Atque suos domini ceu pecus aut asinos.  
 Sic multi teneræ fidei sunt atque pusillæ,  
 Fidens vel fidus rarus in alterutrum.  
 Liber et ingenuus minime servire recusat,  
 Sed servile fugit servitium facere :  
 Liber et ingenuus non quæ bona sunt mala dicit,  
 Nec mala<sup>3</sup> quæ bona sunt, turpis amore lucri.  
 Liber et ingenuus deberi non sibi poscit,  
 Grates nec laudes unde nihil meruit.

---

<sup>1</sup> *Ego velut*, A.

<sup>2</sup> *Horestes*, A.B.

| <sup>3</sup> *bona*, B.

Nec odium,<sup>1</sup> nec amor, nec quæstus gratia, ducit  
 Ad pravas artes liberum et ingenuum.  
 Liber et ingenuus, injuria si sibi fiat,  
 Suffert, opprobrium dissimulare nequit.  
 Præstat posse minus per honorem quam magis absque;  
 Cogitat et tenet hoc liber et ingenuus.  
 Qui libertatem vendit pro munere fautor,<sup>2</sup>  
 Liberior non est quolibet emptitio.  
 Liber et ingenuus amat a quo sperat amari;  
 Sin autem, non est liber et ingenuus.  
 Non mihi cura minor qualis respublica post me,  
 Quam qualis modo sit, vir bonus unus ait.  
 Haud facile positus<sup>3</sup> in summo se moderari,  
 Qui se finxerunt ambitione probos.  
 Assecla si fueris locupletis sive potentis,  
 Aut perdes verum aut ejus amicitiam.  
 Exoptant juvenes pertingere posse senectam,  
 Et cum pertingunt, displicet illa nimis.  
 Nemo senex adeo, rigido testante Catone,  
 Qui se non annum vivere posse putet.  
 Ut taceam mores alios, hoc in sene mirum est,  
 Quod magis est cupidus quam fuerit juvenis.  
 Absurdum nimis est majora viatica quemquam  
 Quærere sollicite cui via longa minus.  
 Credendum est senibus, juvenum præsumptio sæpe est,  
 Consilium sapiens provenit a senibus.  
 Interdum est aliquo juvenis potior sene stulto;  
 Iste quidem est ævo, moribus ille senex.  
 Contra consilium sunt præcipitatio et ira,  
 Consilium velox judiciumque nocet.  
 Unus de multis sit consiliator amicis,  
 Cujus nota fides et sapientia sit.

<sup>1</sup> *Non odium*, B.

<sup>2</sup> *Nota, contra fautores.* Gloss  
in A.

<sup>3</sup> *est positus*, B.



Religio excorians,<sup>1</sup> fratrumque pudenda revelans,  
 Se vultu simulans, est gravis hypocrisis.  
 Ut sua probra tegant quidam retegunt aliorum,  
 Et fingunt etiam crimen in immeritos.  
 Credulitas et scrutinium cum suspicione  
 Concinnant nostro tempore multa mala.  
 Credulus est aliquis, nimis est incredulus alter,  
 Interdum vero est unus utrumque nimis.  
 Quæ bona sunt debent citius credi, mala tarde;  
 At contra stultus et vir iniquus agit.  
 Non caret invidia nolens præstare roganti,  
 Quod cum præstiterit, non habet inde minus.  
 Non donare licet, non reddere non licet ulli;  
 Debet et esse dato redditus uberior.  
 Est cui non injuria dat multos inimicos,  
 Cui tamen haud paucos comparat invidia.  
 Qualiter invidiam<sup>2</sup> caveat consultus ab uno,  
 Dixit ei, "Si nil feceris egregie."  
 Livor edax est invidiæ nomen satis aptum,  
 Nam livere facit quem tenet, et cor edit.  
 Strenuus, ignavus, hebes, acer, comis, acerbus,  
 Virtus aut vitium est, non genus illud habet.  
 Vera decet dignum, generat laus falsa pudorem,  
 Negligit hanc sapiens, stultus utramque cupit.  
 Clam verbis pungens, et coram leniter ungens,  
 Est ut in occulto scorpius insidians.  
 Scorpius arridet, sed cauda<sup>3</sup> pungit acuta,  
 Et cum blanditur scorpius iste ferit.  
 In latere est clavus, oculo sudit,<sup>4</sup> intimus hostis,  
 Auscultans, scrutans, oblateransque malum.  
 Multotiens humilem se monstrat nequiter ille,  
 Cujus plena tument interiora dolo.  
 Nequitiam stultus cum dissimulare laboret,  
 Dissimulare nequit, tanta redundat ei.

---

<sup>1</sup> *Religio scorians*, B.

<sup>2</sup> *invidia*, B.

<sup>3</sup> *cauta*, B.

<sup>4</sup> *oculo sudis*, B.

Quando bonum simulat se pravus, pessimus est tunc;  
 Femina prava palam tunc bona præcipue.  
 Naturæ humanæ virtus hæret unicuique,  
 Hæc vero leviter, illa quidem graviter.  
 Si multo mellis modicum miscetur aloxis,  
 Mellis amarescit dulcor ab hoc modico.  
 Si vero duplum mellis miscetur aloxi,  
 Duplo dimidium dulce nequit fieri.  
 Qui ferus est timidus, timidusque feris homo nequam,  
 Hic formicaleon nomen habet merito.  
 Est leo formicis, formica leonibus, atque  
 Serpentum minimus mirmicibusque nocens.  
 Pœna pene pari plectetur cum faciente,  
 Qui valet et non vult crimina corrigere.  
 Immerito antistes vel episcopus ille vocatur,  
 Qui vitæ merito<sup>1</sup> est quolibet inferior.  
 Pontificem nisi mentis inops non iudicat esse,  
 Qui pontem populo<sup>2</sup> non facit ad Dominum.  
 Falso præbenda est quæ gratis præbita non est,  
 Sed vendenda magis, vendita si fuerit.  
 Præbendas præbent, immo vendunt et honores,  
 Obsequium, res, spes, vel genus, aut simul hæc.  
 Clericus et monachus exorbitat, et tenet illud  
 Quod non debet iter nomen et ordo suus.  
 Morum nobilium condita scientia melle  
 Ædificat, si non, destruit, inflat enim.  
 Spernere divitias, se spernere, spernere nullum,  
 Spernere se sperni, quatuor optima sunt.  
 Vasa probat figuli fornax, ignis probat aurum,  
 Justos atque probos vita fidesque probat.  
 Si quis adulator te lactat, credere noli;  
 Blanditur, fallit, suadet et exacuit.  
 Qui loquitur socio blandis fictisque loquelis,  
 Sicut qui tendit rete suis pedibus,

---

<sup>1</sup> uno merito, B.

| <sup>2</sup> Qui populo pontem, B.

Expedit ablati occurrere foetibus ursæ,  
 Quam confidenti in stultitia fatuo.  
 Esuriens ursus, leo frendens, rector iniquus,  
 Qui sibi subjectos despicit atque premit.  
 Ut pastore lupus differt, a rege tyrannus,  
 Nam sibi commissos hic premit, ille regit.  
 Cum quaeritur quaerit, cogitque petendo potestas,  
 Sicque quaerendo capit, atque petendo rapit.  
 Quod multis annis non durat dura tyrannis,  
 Morte tyrannorum creditur esse ratum.  
 Non canibus rabidis erit unquam curia plena,  
 Vita cani rabido non diuturna datur.  
 Multum dispariter cacabus communicat ollæ ;  
 Cum se collidunt, frangitur olla cito.  
 Non est ex æquo socius cum divite pauper ;  
 Dives eum lædit,<sup>1</sup> læsus et ille tacet.  
 Qui paret nolens, servus, qui sponte, minister,  
 Servum vix dominus quaerit habere bonus.  
 Injuste faciens uni, multis minitatur,  
 Nam<sup>2</sup> quibus ipse potest, velle timetur idem.  
 Esuriens anima pro dulci sumit amarum,  
 Fastidit calcans exsaturata favum.  
 Sit capitale licet furtum scelus, et cruce dignum,  
 Assidue mendax fure magis malus est.  
 Pejor perjurus quam fur, et pejor avarus,  
 Et falsus testis, atque superbus homo.  
 Lubricus est melior humilis castoque superbo,  
 Atque philargiria cum<sup>3</sup> facit idolatram.  
 Cur ita sit quivis nequit excusare superbus,  
 De vitiis aliis quomodocumque potest.  
 Nemo tam felix qui non quandoque queratur,  
 Vel tacite quod ei non bene cuncta sedent.  
 Semper adest vel abest quod adesse sibi vel abesse  
 Quantumcunque potens vel locuples queritur.

<sup>1</sup> cum lædit, Δ.  
Jam, Δ.

| <sup>3</sup> pecuniæ amor quem, B.

Sermo boni bonus est, bonus autem sermo valere  
 Plus plerumque solet, munere nec minimo.  
 Sermo mali malus est, mala multis tertia lingua,  
 Nam movet et turbat pacificos etiam.  
 Creditur aut stultus, vel adulans, sive malignus,  
 Laudans vel<sup>1</sup> culpans vel cito vel nimium.  
 Qui volvit lapidem, lapis ille revolvitur<sup>2</sup> illi;  
 Vir malus in foveam quam facit ipse cadit.  
 Vulgus iners, servumque pecus, vel utrum, vel utrumque,  
 Sunt plures animi debilitate sui.  
 Læto corde datum quod egens petit est bene gratum,  
 Sed duplo gratum quod venit ultro datum.  
 Corporis ebrietas est tanquam insania mentis,  
 Qui perdit mentem nil habet incolume.  
 Ebrius assidue vitio fit subditus omni,  
 Crimina nulla potest vincere, mente carens.  
 Omnis vita brevis, mors immortalis honesta;<sup>3</sup>  
 Hanc præstare potest nonnisi vita bona.  
 Alterius sicut punitur crimine nemo,  
 Nemo coronatur justitia alterius.  
 In risu fatuus clamose vociferatur;  
 Vix autem sapiens ridet, et hoc tacite.  
 Radices altas vitulamina spuria non dant,  
 Et fundamentum non statuunt stabile.  
 Provida mentitur fines sapientia rerum;  
 Non satis est illi quod videt inspicere.  
 Ante, retro, foris, intus, homo est sapiens oculatus,  
 Luscus vel potius cæcus homo stolidus.  
 Efficitur sapiens qui congregitur sapienti,  
 Stulto congregiens efficitur similis.  
 Murus vel turris qui non vult aut nequit esse,  
 Dedecus est sepem se veterem facere.  
 Dives habet multos, et paucos pauper amicos,  
 Sed dives vanos, pauper habet solidos.

<sup>1</sup> *aut*, B.<sup>2</sup> *revertitur*, B.<sup>3</sup> *honestas*, A.

Aspectus, risus, incessus, gestus, amictus,  
 Non modice monstrant quale cor est hominis.  
 Secreto dictus sit apud te sermo sepultus,  
 Nec tua denudes probra, nec alterius.  
 Iracundus homo nimium teneras habet aures,  
 Et nimium faciles, credulus atque levis.  
 Et teneras aliquis simul et faciles habet aures,  
 Iracundus enim, credulus atque levis.<sup>1</sup>  
 Est formosus homo quem fœdant crimina nulla;  
 Quem vero fœdant crimina, fœdus homo.  
 Et memor et gratus accepti muneris esto;  
 Ingratus miseris pluribus unus obest.  
 Dignus honore dato fungens et honorat honorem,  
 Et bene fungentem dignus honorat honor.  
 Cui contingit honor, si non est dignus honore,  
 Nec dominus nec honor sunt honor alterutri.  
 Dulcis amicorum correptio plus sapienti,  
 Quam stulto<sup>2</sup> prosunt verbera multa licet.  
 Verbera sunt meliora satis jurgantis amici,  
 Quam simulatoris oscula fraude data.  
 Perfidia fidei pœnas aut premia quisque,  
 Si non in mane, vespere suscipiet.  
 Sunt qui nunc etiam mentham decimant et anethum,  
 Et quæ sunt legis maxima prætereunt.  
 Excolant culicem, prompti glutire camelum,  
 Quod foris est mundant, interius maculant.  
 Quod Dominus dicit, "Miserebor cui miserebor,"  
 Hoc magis ex libito quam ratione gerunt.  
 Præmia militiæ sic sunt venalia plura;  
 Rarus in ecclesia clericus assequitur.  
 Nil facit egregie nisi quando moritur avarus;  
 Hæc consuetudo dicitur esse lupo.  
 Nil optes pejus quam longum vivere, avaro  
 Pœna satis vehemens est sibi vita sua.

<sup>1</sup> These two lines are not found  
in B.

<sup>2</sup> *Quam prosint stulto*, B.

Hoc habet in se mel cur lingitur, hoc habet in se ;  
 Unus plus alio cur homo diligitur ?  
 Cui non dulcius est ut ametur quam timeatur,  
 Non est dulcis homo, non amor est in eo.  
 Nil benefacta valent nisi perveniat bene velle,  
 Nil<sup>1</sup> de fonte bono nec bene velle valet.  
 Stultus vel cupidus, ne sit iudex, quia nescit  
 Stultus, pervertit justitiam cupidus.  
 Fraude quidem causas iudex protelat iniquus,  
 Non finire volens ni pretium veniat.  
 Servitio lenocinium præfertur honesto,  
 Et nunc improbitas plus probitate valet.  
 De radice mala versus de Symone factos,  
 Et de Symonia progenieque sua.  
 Tres genuit natas mater<sup>2</sup> meretrix meretrices,  
 Principibus gratas et famulas cameræ.  
 Mater, Symonia est ; Symon Magus est pater illi ;  
 Natæ lingua, manus, tertia servitium.  
 Exprobrant uni reliquæ matrem meretricem,  
 Quas facit affectus et genitura pares.  
 Ridiculum satis est, quod quilibet exprobrat illud,  
 De quo non minus est opprobrium meritis.  
 Dans et adulator et se subdens inhoneste,  
 Ut sedeant cathedrans, crimine sunt pariles.  
 Sed tamen obsequium semper reliquæ comitantur,  
 Obsequium semper non comitatur eas.  
 Unde patet quod majus habet quam lingua manusque  
 Symoniæ crimen, munus ab obsequio.  
 Lingua favens, et prava movens, et inepta susurrans,  
 Par imparve parum crimen habet manui.  
 Qui sic ascendunt sunt fures atque latrones,  
 Fur et latro nihil pascere quærit oves.  
 Nil aliud quærit, sed ob hoc fur intrat, ut intra  
 Furetur, mactet, perdat, ait Dominus.

---

<sup>1</sup> *Ni de, B.*

| <sup>2</sup> *gratas mater natas, A.*

Ergo si qua facit, benefacta licet videantur,  
 Non bona sunt vere, verus enim Deus est.  
 Sicut Paulus ait, nemo sibi sumat<sup>1</sup> honorem,  
 Quem<sup>2</sup> Deus assumit et vocat, est Aaron.  
 Nazarenus<sup>3</sup> ait "Video mirorque tremiscens,  
 Affectare canes ecclesiæ regimen."  
 Scire regi de lege Dei cum sit grave multum,  
 Est multo gravius scire alios regere.  
 Qualiter ille regit qui nunquam se bene rexit?  
 Et qui non didicit, qualiter ille docet?  
 Nemo præesse sciet, qui nescit subditus esse,  
 Illud posterius, hoc decet esse prius.  
 Si superat vires nostras istud prohibere,  
 Saltem aversari est atque dolere pium.  
 In causis debet iudex audire quietus,  
 Vergere<sup>4</sup> nec partem debet in alterutram.  
 Ex dictis partis et responsis utriusque,  
 Censores recti iudicium peragant.<sup>5</sup>  
 Justificans pro muneribus non justificandum,  
 Et damnans justum filius est Sathanæ.  
 Ex injustitia alterius qui justificat se,  
 Justum se dici plus petit, esse minus.  
 Sternutat totum quod mente gerit cito stultus,  
 Attendens differt in reliquum sapiens.  
 Cor sapiens in pectore habet, sed stultus in ore;  
 Hic quasi futile vas, ille velut solidum.  
 Non minus id<sup>6</sup> quod habet, quam quod non,<sup>7</sup> desit  
 avaro;  
 Auget avaritiam copia quanta libet.  
 Divitiis melius multis est nomen honestum;  
 Divitiæ pereunt, et bona fama manet.  
 Non dic, peccavi, nec quicquam contigit inde  
 Triste mihi, Dominus redditor est patiens.

<sup>1</sup> *sumit*, B.<sup>2</sup> *quam*, A.<sup>3</sup> *Nazanzenus*, B.<sup>4</sup> *Ungere*, A.<sup>5</sup> *faciant*, A.<sup>6</sup> *minus quod*, A.<sup>7</sup> *quam non*, A.

Ob quod servivit, vel ob hoc ut serviat illic,  
 Justum est ut cui quid detur in ecclesia;  
 Justum ob utrumque magis, quod si nec ob hoc nec  
 ob illud,  
 Qui dator est, vendit,<sup>1</sup> cui datur illud emit.  
 Scire decens, morum bonitas servire voluntas,  
 Debent ecclesiæ gratis habere dona.  
 Summus amicitiae vigorem, ut sit velut unus  
 Ex multis animus, tardus ad omne malum.  
 Cum multis non unus erit, qui nec sibi constat,  
 Qui levis et duplex multimodusque natat.  
 Raptoris comes est dives,<sup>2</sup> non largus egenis,  
 Qui dat abundantanti fundit in æquor aquas.  
 Quod nimis est crassum non est opus ungere lardo;  
 Magna superfluitas est dare divitibus.  
 Reges, praelatos, subjectis Christus in ira  
 Dat modo propter utros, propter utrosque modo.  
 Fama nec ex vero plures culpatque probatque,  
 Judicat ex vero conscia mens hominem.  
 Conscia mens paucis, plerisque est fama timori,  
 Nonnullis equidem frons meretricis inest.  
 Est cui non calcar opus est instiget ut illum;  
 Nam satis insanit sponte malignus homo.  
 Est cui non opus est, frænum retrahens ab honesto;  
 Deses enim nimis est ad facienda bona.  
 Est cui nunc<sup>3</sup> opus est calcar, nunc addere frænum;  
 Nam piger et præceps est, et utrumque male.  
 Est cui nec frænum nec calcar oportet habere,  
 Nam moderatus homo est rarus et ille quidem.  
 In quæcunque facis memorare novissima vitæ,  
 Sic tibi peccandi foeda libido fugit.  
 Cuncta levipendit qui semper se moriturum  
 Cogitat, ignorans quam procul aut prope sit.  
 Plures si vere scirent cito se morituros,  
 Plurima proferrent dicere quæ metuunt.

<sup>1</sup> *venditur*, B.<sup>2</sup> *comes dives*, A.<sup>3</sup> *cui non*, A.



Qui loquitur labiis in corde et corde dolosis,  
Est male cordatus qui duo corda gerit.  
Ecclesiastica lex nusquam nec monomachiam,  
Nec ferri nec aquæ judicium, statuit.  
Per juramentum capiat contentio finem,  
Nil aliud scribit lex nova sive vetus.  
Judicio ferri, vel aquæ, vel monomachia,  
Nunc reus evadit, nunc perit innocuus.  
Est equidem vitium falli, sed fallere majus ;  
Falli stultitiæ est, fallere nequitiae.  
Pravum consilium sequitur stultus vel iniquus,  
Ignoranter enim sive scienter agit.  
Grande et turpe nefas est, fingere corde maligno,  
Propter solum odium, crimen in immeritos.  
Mella super spinas lambit qui dives abunde  
Sub pravo vivens anxius est domino.  
A regnare parum non distat pontificare,  
Nec clavis Petri Cæsaris a gladio.  
Improbis atque probis princeps distant in amando,  
Hic libertatem, servitii ille jugum.  
Possidet hic populi bona, cui cuncti benedicunt,  
Cui contra, contra, sicut ait Seneca.  
Princeps aut dominus cui vix aliquis maledicit,  
Hic et amabilis est, et benedictus homo.  
De quo mentitur raro nisi qui benedicit,  
Credo quod ejus erit non bonus interitus.  
Quisquis is est qui plus metui quam gaudet amari,  
Non amat hunc Christus, gaudia nec det ei.  
Res mala nec bona spes conturbant sollicitantque,  
Cum foris est gladius et pavor interius.

---

## ANONYMI VERSUS

DE ABBATIBUS MITRIS UTENTIBUS ET  
DELICIOSO VIVENTIBUS.

Forma fuit quondam Cluniacus religionis,  
 Dum graderetur iter sibi propositæ rationis,  
 Dum motus carnis sedaret seditiosos,  
 Sollicitus ritus vitare superstitiosos,  
 Sed simul accessit tumor in virtutibus ortus,  
 Deseruit temere securi littora portus,  
 Quique manens humilis frueretur sorte piorum,  
 Corruit elatus periturus peste reorum.  
 Nec reprehendo gregem pastoris crimine tacto,  
 Integra membra manent, capitali robore fracto.<sup>1</sup>  
 Quod mitra caput est monachorum pastor opertus,  
 Ante latens tumor est in religione repertus.  
 Quod manus abbatis pretioso splendet ab ære,  
 Pontifices debent insignia rapta dolere.  
 Non hoc instituit sacer ille pater Benedictus;  
 A doctore sacro non hic fuit ordo relictus.  
 Qui sine mollitie cultum sibi sumpsit agrestum,  
 Cui dedit herba cibum conspa . . . . estum,  
 Tectus pelle feræ, visus sub tegmine tali,  
 Bestia creditus est, hirsuto par animali.  
 Sic vivens docuit pater ille, patresque monachorum,  
 Taliter afflictos ditari dote bonorum.  
 Quod non advertit, cui vestis serica candet,  
 Exquisita diu qui plurima fercula prandet.

---

<sup>1</sup> The preceding lines appear to | have no relation with those which  
 belong to another subject, and to | follow, though they run on.

Qui sibi perquirens electæ pocula vitis,  
Sæpe fatigatur carnalis turbine litis.  
Quem præsignis equus grato moderamine gestat,  
Nec motu quovis illum quandoque molestat.  
Cujus pervaga mens, fallaci capta favore,  
Surgit, et impenso se dignum credit honore.  
Iste notandus erat, cum vivat deliciose,  
Simplicibus simulans se vivere religiose.  
Est igitur super hoc excessu corripendus,  
Sensuraque gravi nisi pœniteat feriendus.

---

## SERLONIS MONACHI

## POEMATA.

*Versus Serlonis de Contemptu Mundi.*

Quisquis amicitiam non vult vitare notandam,<sup>1</sup>  
 Irruit in miseram citius miser ille ruinam.  
 Nec minus hoc reus est veri neglector amici,  
 Qui nutrit Christo quos mundo tollit iniquo.  
 In mundo mundum nihil est, nisi spernere mundum.  
 Nam nisi spernatur mundus, non Christus amatur;  
 Nec bene vivetur unquam, nisi Christus ametur.  
 Et nisi vivatur bene, vita beata negatur.  
 Hæc tua de mundi contemptu, versificator,  
     Illustris Serlo, sunt carmina digna notari.  
 Mundus abit, res nota quidem, res usque notanda;  
     Nota tibi mundi sit nota, mundus abit.  
 Mundus abit, non mundus, id est hæc machina mundi,  
     Dico, sed mundi gloria, mundus abit.  
 Mundus abit, tria sunt, fuit, est, erit, hæc tria mundum  
     Mota movent, clamant hæc tria, mundus abit.  
 Mundus abit fugiens, ut tempus, ut amnis, ut aura;  
     Ut mundus, satis est dicere mundus abit.  
 Mundus abit, mundi qui verbo fallit in omni,  
     Nescit in hoc verbo fallere, mundus abit.  
 Mundus abit, cito nomen abit, cum nomino mundum,  
     Sed citius mundi nomine mundus abit.  
 Mundus abit, constans nihil est quod constat abire;  
     In mundo constat nil, nisi, mundus abit.  
 Mundus abit, nil quod quæras, satis unde quæraris,  
     Mundus abit, quod abit respue, mundus abit.

---

<sup>1</sup> *i. suspectam.* Gloss in MS.

Mundus abit, nihil in nihilum, tamen ejus abire  
 Non abit, error abit, quo duce mundus abit.  
 Mundus abit, fortis sum, non ero, sum speciosus,  
 Non ero, sum dives, non ero, mundus abit.  
 Mundus abit, sequitur mors vitam, stricta secundam,  
 Longa brevem, lætam nubila, mundus abit.  
 Mundus abit, non Christus abit, cole non abeuntem,  
 Dices, non abeo, me sine mundus abit.  
 Mundus abit quoties iterabo? cesset abire  
 Mundus, cessabo dicere mundus abit.

*Versus Serlonis Parisiacensis ad Muriel  
 sanctimoniam.*

Dum nostrum poscis carmen, quod inutile nosis,  
 Quis fructus? quis honor? trepidus tibi scribere conor.  
 Ne vestram turbem fœcundam<sup>1</sup> versibus urbem,  
 Indignaturam quod habes mea volvere curam,  
 Cum meliora satis sint vestri carmina vatis.  
 Me deridebit, ni fallor, quando videbit,  
 Ille Maro vester, quæ profert sermo pedester.  
 Sed quæ scripta noto tali sunt edita voto,  
 His ut jure velis aurem præbere loquelis.  
 Carmen agreste licet tibi forsitan utile dicet,  
 Pondus inane styli ne cures pendere vili,  
 Nec metri formam, sed rerum perspice normam.  
 O soror insignis, multos tuus impulit ignis,  
 Germinis electi fœdus tibi jungere lecti,  
 Quos fragiles cernens, et ob hoc sua fœdera spernens,  
 Sponsi fœdus inis quem nescit claudere finis.  
 Summi namque ducis rebus divulsa caducis,  
 Es connexa toro fatis felicibus oro.  
 Consilium laudo, prudens soror, et tibi plaudo,  
 Cum pro mortali potiaris conjuge tali.  
 Qui nunquam marcet, quem nullus terminus arcet,

---

<sup>1</sup> *fœcundam*, repeated in the MS.

Et pereunte cito corruptibilique marito,  
 Cujus pauxillum floret decor, accipis illum  
 Qui manet ac mansit, nec deteritur neque transit,  
 Qui tibi pro vili dat coelica regna cubili,  
 Pro lacrimis risum, pro lamentis Paradisum.  
 Conjugio quod habes nescit succedere labes,  
 Si complere velis, quod debet sponsa fidelis.  
 Illius ergo tori cujus conferre nitori  
 Nec potes astra poli, corrumpere foedera noli,  
 Nil meditata doli, sed sponso cognita soli.  
 Cum sit tam dignus fidei, conserva sibi pignus,  
 Nec credas hosti, cujus temptamina nosti,  
 Qui nunquam cessat quin vos ad vana lacessat.  
 Quo major virtus, raptor magis aestuat hirtus  
 Tendere virtuti laqueos, et fraudibus uti.  
 Plus in eum saevit qui linquens infima sprevit,  
 Et summis haesit, cui se constantia desit  
 Pulsus ab hoste cadit, dum per loca lubrica vadit.  
 Praedo nocens ille cujus sunt spicula mille.

. . . . .  
 O inimico tu . . . . .  
 Ut rigidus postis ne te feret . . . . .  
 Neu flectas cursum, sed semper respice rursus,  
 Et pete certa Deum victo det ut hoste trophaeum.  
 Neu male te ducas, species inhiando caducas.  
 Cum temere sentis motum procedere mentis,  
 Hac ope quam scripsi tibi fac vim protinus ipsi.  
 Errat mens et hebet, non cognoscens quia debet  
 Carneae pura premi pro Regis amore supremi.  
 Ergo feras aequae moles de taedia quaeque,  
 O si nupsisses, quanto graviora tulisses.  
 Virgo maritatas an censes esse beatas?  
 Nulla sciens ritum vellet duxisse maritum.

Nunc de matronis, cujus sint conditionis,  
 Audi quaeso parum, cum vitam noscitis harum,  
 Quod sint felices haud unquam postea dices.  
 Ferrea jura subit mulier quo tempore nubit;

Non vacat a pœna, quia lex premit hanc aliena ;  
 Nec placet illa viro nisi serviat ordine miro.  
 Ad celebrem . . . . contractat nupta maritum ;  
 Cumque viro præbet totum quam femina debet,  
 Ni res ex toto domini sit congrua voto,  
 Qualibet ancilla gravius torquebitur illa.  
 Sit speciosa ? cito fiet suspecta marito,  
 Ex tenui causa, nil prorsus criminis ausa,  
 Tanquam convicta sceleris feret aspera dicta,  
 Nec solum verbo, sed verbere sævit acerbo.  
 Conjugis in pœnas laxando maritus habenas,  
 Quod si paxillum tangit, vel respicit illum,  
 Cujus forma nitet, longo post tempore vitet  
 Conjugis occursum sævi, quasi quaelibet ursum.  
 Si pannos aptet, si congrua tegmina captet,  
 Sive comas spectat, conjunx ubi talia spectat,  
 Suspicionem gravi titubat mens credula pravi.  
 Res ab ea gestas omnes fert ipse molestas.  
 Ipsa die festo vultu latet anxia mœsto,  
 Quam sponsus claudit concludens concio plaudit,  
 Tota domus gaudet, nil profert illa nec audet.  
 Quidnam proferret quam lex tam ferrea terret ?  
 . . . . . ed gemit et plorat crebrisque doloribus orat ;  
 Ut vel finita possit requiescere vita,  
 . . . . . te fortis . . . . . ssi numina tangit  
 . . . . . ti mœroris mors,  
 . . . . . pulcrum corpus pro dote sepulcrum ;  
 Aut vultum rugis sulcat turbatio jugis,  
 Et certum florem perdit roseumque decorem.  
 . . . . . decor ille perit, mox vir nova pignora quærit ;  
 Non ausus coram furtim colit ipse decoram.  
 Suscipit occultum nebulonis adultera cultum ;  
 Quam præfert flori, nec quem fovet ipse furori,  
 Fœdera læsa tori, sed conjugis imputat ori  
 Quod modo turpe quidem fuit admirabile pridem.  
 Sed quasi bruma rosam deformavit speciosam,  
 Carnem dura manus, gravis ira, furorque profanus,

Verberibus ruptam sic longo tempore nuptam,  
 Ni pudor hoc tardet, modo tandem durius ardet.  
 Nec jam fert æque, nisi langueat hæc, misereque  
 Sermo vel aspectus turbat graviter sibi pectus.  
 Estque maritalis pietas in conjuge talis,  
 Ut fomenta neget, procul hanc et ab æde releget,  
 Aut latus ense fodit, quam tangere vitat et odit.  
 Gaudet et hoc raro quam confert lectus avaro,  
 Qui dum succensus massam distendere census,  
 Affectu summo nummum studet addere nummo.  
 Ardet pro quaestu, flagrante Cupidinis æstu,  
 Non satis indulgens ventri, non tegmine fulgens,  
 Femina quam gestit, non illam tegmine vestit.  
 Nec illi vescam præbet parcissimus escam  
 Vir qui sic ardet, si femina reddere tardet  
 Quod superest mensæ, stricta ferus advolat ense,  
 Et pro buccella vili movet aspera bella,  
 Nuptam constringens, numquid sit dedecus ingens,  
 Pro tenui mica dum sic urgetur amica?  
 Ad species lætas et ludos qua trahit ætas  
 Si luditis plaudit, mox vocem conjugis audit:  
 " Uxor inepta, rudis, cur, spernens seria, ludis?  
 " Hoc patet in ludo quæ sit tua sollicitudo;  
 " Hic jocus ostendit tua quo sententia tendit.  
 " Sit tibi cura laris; levitas absit jocularis.  
 " Congestam serva, diffusam rem coacerva."  
 Urget ut ancillam, locuples nec sustinet illam  
 Vel vultu læto vel vivere corde quieto.  
 . . . deplorat vel . . . . . orat,  
 Quod hac aut vita graviori quæque marita.  
 Res est digna parum quam mens levis expetit harum,  
 Copula blanda tori vehementer habenda pudori,  
 Quæ dulcis cordi tamen est obnoxia cordi,  
 Quod plus jocundum minus hoc fert copula mundum.  
 Res est virtuti contraria talibus uti,  
 Fœtoremne luti mens optet honesta soluti?  
 In coitu nuptas mulcet brevis illa voluptas,



Inde dolor partus quassos ita dissipat artus,  
 Optet ut illa mori tanto subjecta dolori,  
 Huicque voluptati satagit violentia fati.  
 Obviat et morti genitrix modo pignoris orti;  
 Vivens post partum, grave fert onus, ac iter arctum,  
 Molem mansuram, tristemque parit sibi curam,  
 Ancipitemque metum pariendo puerpera foetum.  
 Cura fovendorum gravis urget eam puerorum,  
 Vexaturque satis sugentibus ubera natis;  
 Vix laxat pelles mammarum, tangere velles  
 Turpes, obscœnas, et lactis flumine plenas.  
 Abluat ut pannos, labor ut sibi crescat in annos,  
 Ut pueros purget, recitarem, sed pudor urget.  
 Forsan mendicas hoc pacto vivere, dicas;  
 Tantum non illas quæ tractant oppida, villas.  
 Copia quam ditat fortassis talia ditat,  
 Sed quoddam pejus vitam contaminat ejus.  
 Omni laude caret, Veneri nisi subdita paret;  
 Et nisi concives admittat femina dives.  
 Si caste vivat, celebri se nomine privat;  
 Dicitur esse rudis, et moribus aspera crudis,  
 Paupere digna viro, careat quia crimine diro.  
 Hæc est communis fœdi sententia clunis,  
 Ut nihil illa sciat, nisi turpis adultera fiat.  
 Quam rabies torret, quæ nil quod diligat horret,  
 Decipiturque cito, sic fit Jove digna marito.  
 Purpura quas vestit, Venus has magis urere gestit;  
 Quæ nupsit tauro, gemmis radiabat et auro.  
 Quid tua nupta, Nero? Sed cur mala pristina quæro?  
 Hoc plures ævo maculantur crimine sævo;  
 Hæc magis elati quæ florent culmine fati.  
 Ergo fide rupta scelus est in divite nupta,  
 In paupertina labor et dolor atque ruina.  
 . . . dulcem natum rapiat, si flebile fatum,  
 . . . iti fato luctu perit immoderato.  
 . . . flens tolli quem nutriit ubere nolli,  
 Si gravis huic hæret labor aut dolor, hoc quoque mœret,

Pignore non salvo, quod ab ejus prodiit alvo.  
 Vivunt matronæ tali sub conditione.  
 Sed nihil est quod ago, toleret quod acerba virago,  
 Ut credo ferri non posset voce referri,  
 Quæ fugienda puto quærenti vivere tuto.  
 Mole carens tanta læto modulamine canta,  
 Desuper esse datum libertatis tibi fatum.  
 Et spe venturi gaudens et libera duri,  
 Ponderis ac tanti quod fit grave vel meditantī.  
 Fessa labore chori solatia sume labori,  
 Nuptas majori subjectas esse rigori,  
 Et plus ferre mali subjectas carcere tali,  
 Cujus claustra pati species est aspera fati.  
 Tot conferre malis qui vitam vult monialis,  
 Si recte penset, claustrale jugum leve censet,  
 Quin bene possit ali, non aufert lex moniali,  
 Quod certis horis reficit dulcedo soporis,  
 Quæque famem victu frigusque repellit amictu.  
 Cum nil lucretur, cum de neutro meditetur,  
 Cumque nihil fundat sudoris, utroque redundat,  
 Sic Deus hanc ditat, si velle nocentia vitat,  
 Illius ex toto respondent singula voto.  
 Ad metas usque secta cursus utriusque,  
 Hæc manet, illa perit, fugit illa quod altera quærit.  
 Hæc subit infernas nunquam reditura cavernas,  
 Flammas, fœtores, tenebras, tormenta, dolores ;  
 Quod grave, quod sævum fert, et feret omne per ævum.  
 Illa recepta choro super omnia nata decoro,  
 Floridior palma cum gente morabitur alma.  
 Hæc semper volvas, ne normæ vincula solvas,  
 Quas pro fortuna Priami tolerare vel una  
 Non velles hora, flammas vitare labora,  
 Quas sine fine pati genus est miserabile fati,  
 Et pedis non segni discens procedere regni,  
 Præmia certa petas, cujus non decedit ætas.  
 Cum bene discernes æterna, fluentia spernes ;  
 Cœlica si penses, nihil esse cadentia censes ;

Quod semper durat, si quis componere curat,  
Ut te de . . . . .  
Sic est ista minor, modus absit ut . . . .  
Ad breve momentum confer modo secula centum,  
Quanto momentum minus est quam secula centum.  
Illud nosse datur cum caute res numeratur.  
Sed cohibere ne quis istud rationibus æquis,  
Nec volvens tantum quod possis dicere quantum,  
Hac ætate brevi spatium sit longius ævi.  
Elige quod durat, nil te quod præterit urat;  
Spes tua non sit in his quæ tendit solvere finis.  
Nil cognatorum te tangat cura tuorum;  
Non soror, aut frater, sed nec genitor neque mater.  
Nullus amat vere, nullius amore movere.  
Mater amans natum, flet nati flebile fatum;  
Nec tamen hunc tangit quem tristis et anxia plangit.  
Proh dolor! horron sunt ora simillima flori;  
Blanda prius risu dulci . . . horrida visu.  
Quod fuit ante rosa, nunc moles est onerosa;  
Vilis, et ima petens, gravis omnibus, horrida, foetens.  
Ferreæ lex mortis sic omnibus imperat ortis,  
Ut quæ viva nitent, ea cuncti mortua vitent,  
Nec tangenda putent, sed ut execranda refutent.  
Si quærens perstes, genitoris solet esse superstes,  
Tempora longa pati vitæ post funera nati,  
Et nati multo sine luctu patre sepulto.  
Inter se certant ut opes sua sub juga vertant,  
Et sic certantum crescit discordia tantum,  
Ut sese sternant, cæcique cupidine spernant.  
Parvæ mercedis fraternæ crimina cædis,  
O facinus summum, fratri præponere nummum!  
Sic frater fratri, sic servit filia matri,  
Cui largo plenas sensu dant fata crumenas,  
Tot fidos vernas post illum currere cernas.  
Si vacuans cellas moveat fortuna procellas,  
Ac retrahat munus, remanet de . . . nec unus.  
Ex hoc scire datur, quia tantum census amatur.

Nullus amatur egens, quæ mundi natio, quæ gens,  
 Non habet hos mores, aut multo deteriores.  
 Sic amat omnis homo; scis tu cur talia promo?  
 Ad sordes mundi ne sit tibi mens redeundi.  
 Dum tali pacto de mundi turbine tracto,  
 Scribo quidem verum, sed pars millesima rerum.

. . . . . pando, sed tu bene cuncta notando.

. . . . . is plura dictis advertere cura.

Ne sit opus quod ago, non dictæ partis imago.  
 Dum plus de mundo meditabere corde profundo.  
 Hæc res mundanas magis esse fatebere vanas,  
 Nec poterunt vere cor purum vana movere.  
 Tunc apparebit, quia mens tua sorde carebit,  
 Cum patriæ gentes neglexeris atque parentes,  
 Cura vel parva si dulcia respicis arva,  
 Natales terras ubi prorsus respuis erras.  
 Si bene rem spectes non huc iter amodo flectes.  
 Hic factura moras, illas cole quas colit horas,  
 Finibus his uti non est tibi virgo salutis.  
 Opportuna dares hosti loca si remeares.  
 Sæpius audires quam subtraheret tibi vires,  
 Vanus et aspectus labefactaret tibi pectus.  
 Tot Sathanæ ventis titubarent abdita mentis,  
 Commoda claustriculis quæ si dimittere nolis,  
 Si reditum vitas, largo tibi robore ditas,  
 Et quia te sentis ope semper egere regentis.  
 Vincet enim nemo nisi rege favente supremo.  
 Ejus tutela fidens tua dirige tela,  
 Non aliter franges doctas ad bella phalanges,  
 Colla quibus frangas, et vitæ premia tangas.  
 Quæsumus orate pro nostra debilitate,  
 Proderit hoc nobis, oberit nec ut æstimo vobis.

*Ad virginem Deo dicatam versus.*

Pro corruptibili plenoque dolore cubili,  
 Quo maculat nuptas brevis et culpanda voluptas,

Quoque dies partus cruciatos dissipat artus,  
 Es sortita torum quem nec pressura dolorum,  
 Nec timor infestat, nec sordida cura molestat,  
 In quo Rex regum jacet, et tua gloria tecum ;  
 Cujus ad amplexus non est corruptio sexus,  
 Qui te fœcundat, cujus te gratia mundat,  
 De quo quando paris nova gaudia, non cruciaris,  
 Germina virtutis generans virtute salutis.  
 Qui senium nescit, cui lux collata nigrescit,  
 Quem sol miratur, quem luna pavens veneratur,  
 Qui cœlum fecit, terræ fundamina jecit,  
 Cujus figmentum magni maris est elementum,  
 Imperio cujus nitor extitit aeris hujus.  
 O nimium felix, si niteris esse fidelis  
 Connubio tanto, cujus præconia canto.  
 Debeo non quantum, sed quantum suppeto tantum.  
 Obsecro te nolis perituræ gaudia prolis,  
 Nec sponsum speres, cum non sit forsitan hæres,  
 Cujus vel cari possis de morte gravari,  
 Vel non delecti vita cui funere plecti.  
 Castis juncta choris nunc diceris aula pudoris ;  
 Angelicus cœtus servat tibi munera lætus,  
 Cœli virtutes cupiunt tibi ferre salutes ;  
 Sponsam mirantur quotquot sponso famulantur.  
 Ipsa parens Christi, quam sponte secuta fuisti,  
 Te contemplatur, te diligit, et veneratur.  
 Hiscine contemptis tradas tua munera ventis ?  
 Et de regina, sed sit procul ista ruina.  
 Inter spurcitas carnales concuba fias  
 Vilis personæ, sub tali conditione ?  
 An fieri malis precatio dæmonicalis,  
 Quam pretio morum mercari regna polorum ?

*Incipiunt versus Serlonis de capta Bajocensium  
civitate.*

Corde fero tristi, quod tam cito capta fuisti,  
 Urbs Bajocensis ; non hasta cruenta, nec ensis

Sanguine perfusus, non longi temporis usus,  
 Non hostis cæsus, non civis vulnere læsus,  
 Subjecit genti tua moenia capta furenti.  
 Te casus stravit velox, et præcipitavit,  
 Diros eventus volvens incendia ventus,  
 Et Cenomannensis vigor, et furor Andegavensis.  
 Saltem si lente tua moenia tot violente,  
 Et cum Normannis gens Anglica mixta Britannis,  
 Diruerent gentes, pignantem te subigentes,  
 Cæde, labore, mora, patereris probra minora.  
 Sors tibi contingens nova res est, et pudor ingens.

Vates facundi referunt ab origine mundi  
 Urbes destructas, et ad infortunia ductas ;  
 Nullius talis casus fuit exitialis.  
 Concio docta parum ! lege libros historiarum ;  
 Disce patrum mores, Mutinæ cognosce labores ;  
 Quære Saguntini cladem gregis, et Perusini,  
 Massiliæque fidem ; sensus fuit omnibus idem,  
 Malle pati mortem, quam laudis perdere sortem.  
 Troja repentinam non est sortita ruinam,  
 Ut memorant cartæ ; periit gens Dardana marte  
 Victa decennali, nec cursu Pergama tali  
 Capta fuisse ferunt ; cives urbem tenuerunt,  
 Fortes Normannos pudeat, bis quinque per annos.

Subruit ira Dei modica vos parte diei ;  
 Nam liquido nostis, muros dum scanderit hostis,  
 Non occurristis, sed terga repente dedistis.  
 Urbis et in pœnas misere gentes alienas  
 Adjuvit, digne cruciando reos, Deus igne,  
 Ardua quem ventus per tecta tulit violentus,  
 Ædes urentem sacras, lateque furentem.  
 Ardet succensus qui per mala plurima census  
 Accumulatus erat, si quis bene singula quærat.  
 Ardent usuræ, pereunt anathemata jure ;  
 Ardent exustæ fraus et fallacia juste ;  
 Debitus hic finis furtis erat atque rapinis.  
 Hac meruit meta consumi falsa moneta ;

Hac vis flammaram lacrimas urit viduarum,  
 Et pupillorum gemitus; quia res miserorum  
 Nequiter emistis, comburi sic meruistis.

Ecclesiæ demum culmen fumare supremum  
 Vidimus ardentis; tunc clausæ milia gentis,  
 Tacta metu mortis, properavit erumpere portis.  
 Sed timor hostilis vetat, et radiantia pilis  
 Agmina condensis, in limine plurimus ensis.  
 Barbara turba foris dum staret plena furoris,  
 Quærens molimen quo posset frangere limen,  
 Pulsabatque fores ut recessus interiores<sup>1</sup>  
 Deprædaretur, si copia forte daretur.  
 Ecclesia clausi cives, magnum nihil ausi,  
 Turpia terga dabant, miroque modo trepidabant.  
 Infima linquentes, et templi summa petentes,  
 Credo volavissent ad sidera si potuissent.  
 Vix illic tutis spes esset certa salutis.  
 Perdiderant mentes, omni ratione carentes,  
 Adversas gentes ope nulla rejicientes,  
 Vel lapidum jactu, vel forti quolibet actu.  
 Sic defensuri templum quasi robora muri,  
 In neutram partem vires adhibendo vel artem.  
 Hostilem vultum Deus hic non linoquit inultum.  
 Haud . . . . .  
 Unum fecissent si consilio valuissent;<sup>2</sup>  
 Arma reliquissent uxoribus, et potuissent  
 Agmina firma parum defendi viribus harum.  
 Hi bellatores, soliti reprehendere mores  
 Et vitam cleri, nec canonicos revereri,  
 Quod deliquerunt, in nos traducere quæruni;  
 Quos hoc infamant oppressos crimine, clamant  
 Nostro se tactos anathemate, sicque subactos.  
 His responsa damus, quæ recte danda putamus.

<sup>1</sup> Damaged in the MS.

<sup>2</sup> The last words in this and the  
 two following lines are conjectural,

being too indistinct in the manu-  
 script to be insisted upon.

Non anathema ferunt, si non illud meruerunt ;  
 Si meruere pati, merito sunt dedecorati.  
 Ut sese purgent, sic nos, ut diximus, urgent.  
 Hac in clade tamen nostrum sensere juvamen,  
 Ad nos fugerunt, et in ecclesia latuerunt,  
 Præsidio cleri ; nolunt tamen hoc profiteri.

Plebs Bajocarum, nimis esse probat tibi carum  
 Vitæ mortalis cursum trepidatio talis.

Nam, re sic gesta, et potior mors esset honesta,  
 Si vitam servas, ignominiam coacervas,  
 Et tu probra feres, et in æternum tuus hæres.  
 Quæ freta, quæ terræ cessabunt ista referre ?  
 Fæx Normanorum ! patrum pudor et proavorum !  
 Dum vertis dorsum fugiens, est versa deorsum  
 Laus antiquorum virtute parata virorum,  
 Famaque Normannis cumulata prioribus annis.  
 Impetus ille furens, quondam nos acriter urens,  
 Et clerum verbis solitus lacerare superbis,  
 Nunc jacet obtusus, cum belli postulat usus.  
 Nunc animis esset vobis opus, amodo cesset  
 Fastus civilis, factus super omnia vilis.  
 Turba probata satis, plebs fœda, tuæ feritatis  
 Litibus atque minis sit post hæc tempora finis,  
 Atque tegens vultus, pomposos linque tumultus,  
 Quæque solent voces postrema sonare feroces.

Gens ignava, mori vitans, parcensque cruori,  
 Turpiter ut vivas, claro te nomine privas.  
 Gens inhonesta satis, tua relinquens omnia fatis,  
 Natos et natas, opibusque domos cumulas.  
 Plebs Cenomannensis, vulgi fæx Andegavensis,  
 Uxores vestras rapiunt, aperite fenestras,  
 Cernite clara foris vestri documenta pudoris,

. . . . .  
 . . . . . tem, paternisque maritus,  
 . . . . . certiter tibi copia ferri.  
 Denique bella velis antiqua revolvere ; telis  
 Namque cadens laxis, domitus fuit Anglicus axis.



Anglos vicerunt patres, qui vos genuerunt,  
 Degeneres natos, et ad omnia probra paratos.  
 In Siculis oris, animi longe melioris,  
 Prælia gesserunt Normanni, signa dederunt;  
 Virtutisque fidem Calabris in finibus idem;  
 Quorum res gestas gens Appula novit honestas.  
 Roma subacta pati didicit gregis arma probati.  
 Subdita Normannis urbs esse solet Cenomannis;  
 Tu Cenomannenses vitas, ut degener, enses.  
 Hostis adest hirtus, quid clausa latet tua virtus?  
 Es defensor hebes, qui nos defendere debes;  
 Et sic te claudis, querulos dum turpiter audis?  
 Prorumpens extra, forti nos protege dextra;  
 Clero linque chorum, domus hæc est canonicorum.  
 Vel nostri formam sumens gregis, amodo normam  
 Canonicam serva, claustralis facta caterva;  
 Sic bene nostrorum grex crescet canonicorum.

Ergo coronati, pannisque nigris onerati,  
 Ad psalmos rite promendos, ut decet, ite,  
 Cantantes horas, voces aptate canoras.  
 Vitam laudatam totiens, vestroque beatam  
 Iudicio dictam, vobis gaudete relictam.  
 Nos defendemus patriam, nos arma geremus,  
 Non pugnaturi pejus, nec terga daturi  
 Tam cito; fortassis nobis, nisi vulnera passis,  
 Quæ minime nostis, patriam non auferet hostis.  
 Vos sancti facti stabilis sub fœdere pacti,  
 Nuptas atque toros, cameras, cultusque decoros,  
 Argento plenas gemmis auroque crumenas  
 Nobis linquetis, postquam loca nostra tenetis.  
 Orbem festa dies per totum cognita fies,  
 Quando est multorum conversio facta virorum.  
 Nunc præter morem Domino laudes et honorem  
 Convenit ut demus, cum nova facta videmus,  
 Unum ferre chorum tria milia canonicorum.  
 Ergo tot et tales personæ prodigiales  
 Hymnos cantabunt, et more novo resonabunt

Atria plena rudi modulo, nec consona leni.  
 Vox hujus gentis Patris aures omnipotentis  
 Vexabit multum, grandem factura tumultum.  
 Concentus horum mirabitur aula polorum.  
 De grege damnando quod censet mens mea pando;  
 Laudo castrentur, ne prorsus ab his generentur  
 Juste damnati patrum pro crimine nati.

Hostiles turbæ, subversa taliter urbe,  
 Vinclis urgebant captos quos inveniebant.  
 Prædam ducentes, thesauros effodientes,  
 Rem miseræ gentis, sua crimina magna luentis,  
 Aut raptam sparsit fera gens, aut ignibus arsit,  
 Flammaque destruxit, qua turbo per omnia duxit,  
 Cum templis ædes, nisi cernas, vix mihi credes.  
 Hac fuit usta die sacra Virginis aula Mariæ,  
 Templaque bis quina simili periere ruina.  
 Sors caret exemplo de quodam cognita templo,  
 In quo mors hausit quos portarum sera clausit,  
 Reddens ter denos exangues atque novenos,  
 Quos si vidisses, mirabiliter doluisses.  
 Prælucens grata specie perit aula cremata,  
 Miro picta modo, quam præsul condidit Odo,  
 Tali digna viro; casu pessundata diro,  
 Tecta decore pari desperant se reparari.  
 Et domus insignis Conani<sup>1</sup> fit cibus ignis.  
 Sortis mundanæ fluxum decus est et inane;  
 Splendida res transit, quasi sordida nulla remansit  
 Talis in hac tota regione domus mihi nota.  
 Ædes nostrorum pretiosas canonicorum,  
 Dum sine more furit, vigor omnes igneus urit.  
 Si qua manserunt, pauperrima tecta fuerunt,  
 Nam nihil insigni specie reliquum fuit igni.  
 Quid de castello referam? patuit sine bello,  
 Militibus fractis, soloque timore subactis;  
 Principis alta pari didicit domus igne cremari.

---

<sup>1</sup> The dean, according to the French editor.

Festino rerum metam contingere, clerum  
 Jam diffidentem, supremaque fata videntem,  
 Ædibus e sacris flammæ vigor expulit acris,  
 Sorsque fuit talis, non permisit furialis  
 Arma subire gregis nos indulgentia regis.  
 Ergo securi metuebant qui prius uri,  
 Sacra reliquerunt loca quam citius potuerunt.

Concitus ipse pedes ad nostras dirigo sedes ;  
 Cumque cremaretur mea res, et jam pateretur  
 Omnem defectum, quod servierat mihi tectum,  
 Spe captus vana, frumenti tollere grana  
 De cinerum massa cœpi mediocriter assa.  
 Nam flammis raptam faciendis panibus aptam  
 Annonam rebar, sed prorsus decipiebar.  
 Nescio si nostis ; sed ego novi, quia tostis  
 Compositus granis, vix transit guttura panis.  
 Hujus odore gravi me pene vomendo rigavi,  
 Quem vix consumi patitur vis insita fumi ;  
 Fel sapit hic panis, sed dulcia venter inanis  
 Quælibet esse putat, nec amara vorando refutat.  
 Anxietate gravi quæ profero vera probavi,  
 Nunc temptans escas non ante quidem mihi vescas.  
 Pandere cur nolim quis me dolor urgeat olim ?  
 Non mihi res gestas ut agam modo cogit egestas ;  
 Cum video flentes, quia deficit esca, clientes,  
 Meque relinquentes inopem, panemque sequentes,  
 Solus in æde sedens, et fletu lumina lædens,  
 Multa diu volvo ; tandem jejunia solvo.  
 A solito purus vitio, jam non Epicurus,  
 Escarumve reus luxu, sed Pythagoræus,  
 Infundens ollæ laticem quiddam paro molle.<sup>1</sup>  
 Namque manu parca, quæ custoditur in arca,  
 Mixta farina sali sociatur aquæ fluviali.

<sup>1</sup> Intelligi pulmentum ex avena  
 tosta confectum, *gruel* vel *gruan*  
 vulgo dictum. Le pere Brial, in

the Notices et Extraits des Manu-  
 scrits.

Hæc calefacta parum vice sorbeo deliciarum.  
 In serie cleri non debeo vilis haberi,  
 Si manibus tollam fumantem pultibus ollam,  
 Quas caute fundo cumulam in vase profundo,  
 Ut nihil effusum vitare gulæ queat usum.  
 Ad quam mulcendam rabiemque famis removendam,  
 Escas nulla ferunt cochlearia, nam perierunt,  
 Fastus et ut desit, quem res mea perdita læsit,  
 Ore traho totum, sorbens escam quasi potum.  
 Donec se purget, quam sarcina tam gravis urget,  
 Pace caret venter; pugnat is indeficienter  
 Indignans multum; movet hunc natura tumultum,  
 Seque reclamat ali, mirata bitumine tali,  
 Quo fit nemo satur, quamvis illo repleatur,  
 Nec quærit vinum vacuans hac fæce catinum.  
 Hic cibus est . . . . .  
 Quo quisquis turget, sitis hunc nullatenus urget.  
 Est etiam nudo vehemens mihi sollicitudo,  
 Dedecorisque genus patior grave, vestis egenus;  
 Meque pudore premo, latitans a sole supremo,  
 Donec lege poli succedant sidera soli.  
 Anxius expecto tenebras, ut noctua, tecto  
 Non egressurus nisi noctu; quippe daturus  
 Materiam risus, turpi cum tegmine visus.  
 Et quia me digito monstrat plebs improba, vito  
 Plebis conspectus; nimiumque movet mihi pectus,  
 Quod me quando vident, lacrimas quibus effluo rident  
 Nec mea solari dignantur vulnere chari,  
 Multotiens gratum quibus exhibui famulatum.  
 Quam pravam gentem! cum me cernunt venientem,  
 Mox vertunt dorsum, flectuntque gradus aliorum.  
 Si censu plenas mihi scirent esse crumenas,  
 Me venerarentur, gressusque meos sequerentur,  
 Non me, sed censum; merito genus hoc reprehensum.  
 Spem sibi de vanis trahit, extollitque profanis  
 Divitiis plenum, nec amat, nec honorat egenum.  
 Spernit egestatem, nec honorificat probitatem.

Si decus immensum vis, grandem collige censum.  
 Res tua dum stabit, te mobile vulgus amabit;  
 Fias mendicus, tibi non remanebit amicus.  
 Non ipsi curant mala me quaecumque perurant.  
 Qui mihi cognati fuerant, mutatio fati,  
 Quæ censum læsit, facit ut cognatio desit.  
 Et quia nil charum sine massa deliciarum,  
 Anxius ipse nimis penetralibus uror in imis,  
 Cura succensus qua restituam mihi partem<sup>1</sup>  
 Elapsæ sortis, rapuit quam dextera fortis.

Ut locuples fiam, non exercebo sophiam;  
 Hac mercede labor caret, hac nil arte lucrabor.  
 Plato subtilis foret hoc in tempore vilis;  
 De nullis donis gauderet musa Maronis;  
 Sors tenuis rerum graviter cruciaret Homerum;  
 De nulla certus mercede, poeta disertus  
 In nostris oris est expers omnis honoris.  
 Subtilis cartæ nil blanda proficit arte,  
 Nec quemquam tangit, quod lingua poetica pangit.  
 Vade, poeta, foras; nostri fuge cardinis oras,  
 . . . . . quæris.  
 Laudans primates non amplius, inclite vates,  
 Per modulos dulces asini quam pectora mulces.  
 O armis ignari proceres, hebetes et avari,  
 Dissimiles plane tibi sunt, pater Octaviane.  
 Nil illis gratum profert facundia vatum,  
 Qui grandem quæstum nomenque merentur honestum.

Vi nimium dura defensurus mea jura,  
 Cunctaque rapturus vicinorum bona, durus  
 Efficerer miles, quia vos considero viles,  
 Mortis respectus nisi terreret mihi pectus.  
 Quanam cautela fugerem tot bellica tela?  
 Quoque modo censes possem vitare tot enses?  
 Mentiri nolo; bellorum nomine solo  
 Deficerem victus, metuens ut convenit ictus.

---

<sup>1</sup> Sic MS. - It has been suggested that *census* is the correct reading, as it would rhyme with *succensus*.

Nunquam bella geram, nec præsidium mihi quæram  
Per gladii motum; malo dimittere totum.

Quod si mercator fierem, lapsæ reparator  
Esse rei possem, sed non nisi fallere nossem.

Qui vult immensum cumulare cito sibi census,  
Præfert jure forum doctrinis philosophorum.  
Major ibi quæstus, quamvis ita non sit honestus,  
Nam mercaturæ non volvitur actio pure.  
Mercator jurat falso, dum fallere curat,  
Adquirique fidem verbis fallacibus idem.  
Nil peccare putat quotiens venalia mutat,  
Ad lucra dum tendit, si pluris singula vendit.  
Non habeo votum fallendi, nec mihi notum  
Hæc genus est artis, non hæc lucra præfero cartis.  
Agriculturæ tractantur munia jure;  
Sed labor hic durus, pigro mihi non placiturus,  
Arsque molesta nimis rebus non ditat opimis.  
Si mendicarem, quid tunc? probrum tolerarem,  
Et mihi fortassis pretium nemo daret assis.  
Gratis adulari, sine fructu milia fari,  
Nec ratio, nec honor; si quando talia conor,  
Ore verecundo male verba rogantia fundo,  
Ne nimis obtusum talem credatis ad usum.  
Non importunus, quotiens mihi postulat unus,  
Personam blando si quam sermone nefando  
Demulcere paro, fieri quod credite raro,  
Mox vultu mutor, sed nec sermonibus utor  
Oris melliti, vel rhetoris arte politi.  
Sunt deceptores hominum, qui vertere mores  
Ad quodcumque ferunt animo, verbis didicerunt;  
Hi sibi dona petant, qui sese sic locupletant.  
Nil mihi quod detur fallax mea lingua meretur,  
Nec quemquam tangit qui me dolor intimus angit.  
Et tamen est unus, cui magnum debeo munus,  
Nam mihi sponte dedit, quod honestum mens mea credit.  
Pecte si leni fieret prece vatis egeni,  
Non tot ei grates deberet reddere vates;  
Non gratis dantur, prece munera si qua parantur.

Veste carens apta, postquam fuit hæc mihi rapta,  
 Utebar vili, personæ donec herili  
 Movit respectus probitatis nobile pectus,  
 Ut daret ornatum, causa duplici mihi gratum,  
 Et pretio dantis, vel doni<sup>1</sup> me decorantis.  
 Me putet ingratum cui promitto famulatum,  
 Munus sponte datum nisi reddam multiplicatum.  
 Reddam thesaurum qui gemmas vincit et aurum,  
 Qui famat, servat, laudesque merentis acervat,  
 Dans infinitam post mortis tempora vitam,  
 A quo productum nescit corruptio fructum,  
 Nomen herile ducum qui non sinit esse caducum,  
 Arte quibus vatam decus est insigne paratum ;  
 Millibus annorum durans labor integer horum,  
 Non tineas pascet, nec in æternum veterascet.

*Invectio ejusdem Serlonis in Gillebertum abbatem  
 Cadomi.*

Secretis mensis jejunos gaudente lunensis,  
 Et de communi victu sibi consulit uni ;  
 Urget namque chorum suus atque fames monachorum  
 Potat et ipse nimis, dapibus repletur opimis,  
 Cumque Salerna bibat privatim, pocula libat  
 Cervisiæ vilis fratrum conventus herilis.  
 Nam vernus venter contristat eam vehementer,  
 Ut veteris morbi formam gerat aut patris orbi.  
 Dum satur est, plaudit, derisor ad omne quod audit,  
 Et quasi per risum lucratur Paradisum.  
 Quolibet ex visu sua conterat ilia risu.  
 Hic subsannator, non abbas sed jaculator,  
 Præstitit virtuti verbis jocularibus uti,  
 Cotidianarum gravis aggere deliciarum,  
 Gaudenti cœna gaudet post prandia plena.  
 Haud tectum cum bis trina quaque deceptum,  
 Fit cleris sumpta dicet ventris cumulant sibi fæcem.  
 Tempore quem caro ventri largitur avaro,

---

<sup>1</sup> So the MS. apparently.

Large bis senos satiaret victus egenos.  
 O sine labe virum non est mihi credere mirum,  
 Venter si turget, quem sarcina tam gravis urget.  
 Corpus tam crassum non est jejunia passum.  
 Si jejunasset, carnem macie tenuasset,  
 Nullus in orbe Dei tantæ fuit ingluviei.  
 Immoderate vero sermone loquar tibi vero,  
 Tantum sæpe voras quod post ut asella laboras,  
 Cui labor et partus angustia dissipat artus.  
 Molem ventre geris quam prægnans esse videris;  
 Paucos ante dies, mihi crede, puerpera fies.  
 Femina nubendo fit prægnans, tu comedendo.  
 Rebus lugentis tua viscera turgida sentis,  
 Qualis et nepisti partu te reddere tristi.  
 Quod musa te rogat, divina potentia cogat,  
 Cumque cruore vomas, et anhelu gurgite promas,  
 Importune canis, . . . rapti mihi fragmina panis,  
 Commen . . . i fraudis proponens omne quod audis.  
 Hac ridendo voras, quod vox mea plangit in horas,  
 Et tua seductor contra molimina luctor.  
 Velles ann . . . ert quam non auferre muneri.  
 Non contendo pari pressum sero me superari,  
 Pondere majori si non opus crepis ori.  
 Lædis raptando, reddam tibi vulnera fando,  
 Cuspis acuta styli dextra contorta virili.  
 Cogeris pene mori te punget in interiori,  
 Non ver . . ima sequi, non vis examinis æqui,  
 Uti censura tua sorbens et nostra rura.  
 Crassus es, ergo nimis dapibus, quia pastus opimis.  
 Ast ego quem victu privas, fraudaris amictu,  
 Sum macer et nudus, dolor hic meus est tibi ludus;  
 Et mihi ludus eris quando miser efficieris.  
 Nam miserum vere puto te quandoque videre.  
 Dum mea rura cacas, offendo mando cloacas,  
 Quas alternorum locupletas f . . . bonorum.  
 Iste gulæ servus quem tam gravis inflat acervus,  
 Dum ventrem mundat, qua . . . cloaca redundat,



Qui quotiens pedit, mugire co . . . . na credit,  
 Quem sonitus tangit, qui tanquam buccina clangit.  
 Abbatis trulla, vox non sacris ultus nec ulla,  
 Cum optat gravida munda . . . . .  
 Vos ternant fundatque tanto tertionibus . . . .  
 Cui quas grande lucrum præstes . . . . .  
 Ex avium ludo sua pendet sollicitudo.  
 Sperneres sancta patrum curam postponere fratrum,  
 Accipitresque sequi non est moderaminis æqui.  
 Ad fraudem tendis causis intentus agendis,  
 Et lucri cura gaudes convertere jura.  
 Nutrix falsorum domus est tua causidicorum;  
 Qui placitat tecum, nihil illi proficit æquum.  
 Quando mendicis figmenta nocentia dicis,  
 Non opus abbatis, non est actus potestatis.  
 Te pressura patrum gemitusque movet viduarum;  
 Lædis pupillos, ita nutris molliter illos,  
 Insidiis quorum minuuntur opes miserorum,<sup>1</sup>  
 An sacer ordo mones sic enutriit latrones?  
 Non reor esse bonum quod sit spelunca latronum  
 Martyris aula sacri, commissa lupo nimis acri.  
 Hos alit et lactat, miseros premit, et male tractat.  
 Non antiquorum talis fuit actio, quorum  
 Nos doctrina regit, non hæc . . . . . cujus egit;  
 Nunquam pupillum læsit viduamque per illum,  
 Læsus nemo gemit, nulli vis ejus ademit.  
 Non fallebat ita Paulus simplex heremita.  
 Non tali fastu, nec tanto perditus astu,  
 Miles et invictus summi Regis, Benedictus,  
 Fraudes atque minas homicida, furta, rapinas,  
 Omnino sprevit, nunquam sic res sua crevit.  
 Nunquam quies esset, mentem tibi nec rapuisset,  
 Quam perdo messem si victurus suus essem.  
 Nec inest villæ de . . . anima Paphuntius ille.  
 Si invasisset mea res tranquillius isset.

---

<sup>1</sup> *aliorum* written above this word in the margin.

Si monachos tales ferrent hæc secula quales,  
 Scripta fuisse ferunt, quo scriptum prima tulerant,  
 A glacie quantum vis discrepat ignea tantum  
 Atrociter urit novus hic differt heremita.

*Ad Odonem Bajocensem episcopum, versus.*

Sidereos cives, nunc et per secula dives,  
 Post vitæ metas præsul honeste petas.  
 Solvere colla venis gravibus depressa catenis,  
 Pastor et ex legi demere vincla gregi.  
 Gens pia cum fleret, quia sol sub nube lateret  
 . . . . . it.  
 At tu jocundo sua reddens lumina mundo,  
 Mœroris nubes omnis abesse jubes.  
 Sol novus illuxit, vetus horror ab aere fluxit,  
 Nox nigra discedit, luxque serena redit.  
 Nostra redit virtus, raptor jam sæviat hirtus,  
 Quantum vult acer, nil timet ordo sacer.  
 Omne genus morbi nostro Deus abstulit orbi,  
 Postquam lux celebris prodiit a tenebris.  
 Transiit aura gravis, gaudet jam remige navis,  
 Ridet ovans mater, te veniente, pater.  
 Te veniente pater, fugit hostis et angelus ater;  
 Cedunt ista duo pulsa vigore tuo.  
 Te sentit postem Domini domus, hostis et hostem,  
 Hanc pietate fovens, hunc feritate movens.  
 Exultant montes, silvæ quoque, flumina, fontes,  
 Tanto pastori concinat ordo chori.  
 Vox resonet vatium, patrem celebrando beatum,  
 Huncque canens mira personet arte lyra.  
 Joseph namque modo nobis est redditus Odo,  
 Joseph dira trucis clauserat ira ducis.  
 Postea non segni tractans ope commoda regni,  
 Nec pensans meritum reppulit interitum.  
 In quoque gemma patrum post tempus carceris atrum,  
 Lux patriæ fiet ecclesiæque dies.

*Versus.*

Rus habet in silva patruus meus, huc mihi sæpe  
 Mos est abjectis curarum sordibus, et quæ  
 Excruciant hominem, secedere ruris amœna.  
 Herba virens et silva silens, et spiritus auræ  
 Lenis et æstivus, et fons in gramine vivus,  
 Defessam mentem recreant, et me mihi reddunt,  
 Et faciunt in me consistere; nam quis in urbe  
 Sollicita et variis fervente tumultibus extat,  
 Qui non extra se passam rapiatur et expers  
 Ipse sui vanis impendit tempora rebus.  
 Hinc amor, hinc odium, timor hinc premit, inde cupido.  
 Inter se diversa quidem sed lege sub una,  
 Ignaras veri, falso subdentia mentes.  
 Quatuor hæc sequitur vitiorum exercitus omnis.  
 Vix adeo est aliquis qui non putet ista sequenda,  
 Vel fugienda putans, qui non tamen ista sequatur.  
 Quippe renitentem trahit impetus ipse ruentem,  
 Et premit in tergo velut in devexa malorum.  
 . . . . . primum turbis elabier, et sic  
 Precipitem fixisse gradum, cursumque tenere.  
 Tum demum reditum festinet ad alta relictæ  
 Præmia virtutis, cui cura est ulla salutis.  
 Si grave forte putat quoniam prærupta secutus,  
 Ardua moliri rursus nequit absque labore,  
 Esse putet gravius in præruptissima mergi,  
 Unde referre pedem, vel ibi sine fine manes.  
 Maximus hic labor est, illud sors pessima rerum.  
 Ergo quod est levius prius aggrediamur oportet.  
 Si leve nil restat, quod restat id aggrediamur;  
 Si malus es, noli pejor vel pessimus esse.  
 Quod si sis etiam deterrimus, ad meliorem  
 Paulatim converte statum; nam maxima laus est  
 Rem perdifficilem summo superare labore.  
 Si te contempnis, potes hanc contempnere laudem.  
 Si nimis impius est, et homo præposterus ille;

Qui sua sollicite curat, se despicit ipsum ;  
 Frustra quippe lucris inhias, frustra colis agrum,  
 Incultæ mentis damno si deficis ipse.  
 Nam si non sentis lucra vel dispendia mentis,  
 Deditus his solis quæ corporis invehit usus,  
 Cum sensu careas desperatissimus æger,  
 Non homo jam, sed humus, vel bestia jure vocaris.  
 Hic de pestifera fit consuetudine morbus,  
 Lethargo similis, sed et hunc evadere quosdam  
 Contigit ereptos mortis de faucibus ipsis.  
 Excitat hos aliquando quidem fortuna sinistra,  
 Pulsans atque movens socordia pectora, quippe  
 Casibus adversis patet inconstantia rerum.  
 Nec fieri quemquam fugitivis posse beatum,  
 Indicat ipse dolor qui de fugientibus extat.  
 Nunc vero prosper rerum successus, et ipsa  
 De non perdendis jam perdita sollicitudo,  
 Suscitât ostendens, etiam hac in parte laborem  
 Excitat, ut videant quanto languore gravetur,  
 Sed non ut valeant languoris pellere causas.  
 Qui dolet ut metuit, patet hunc non esse beatum.  
 Qui perdit quod amat, vel amat quod perdere possit,  
 Hic dolet aut metuit, sed non est ulla voluptas  
 Rebus in externis quam non cito perdere possis.  
 Ergo voluptatum nullum facit ulla beatum.  
 Indicat hoc ipsi duplex fortuna fruenti,  
 Tristis in amissis aut anxia de retinendis.  
 Sors eadem cupidos omnes infestat, et illum,  
 Qui cum nil habet, multum tamen optat habere,  
 Et qui plura cupit, cum jam sibi plura supersint,  
 His ita compertis, mentisque sopore fugato,  
 Morbi quære fugam, nam sponte sua febrientem  
 Damnât apud medicum pereundi prava voluntas.  
 Nec tibi differ opem, quoniam dilatio curæ,  
 Morte repentina nonnunquam intercipit ægrum ;  
 Ad resipiscendum præsens est aptior hora ;  
 Inter tot curas infinitosque labores

Aspice quam breve sit quod vivimus, omnia vitæ  
 Tempora præteritæ mortis consumpsit imago.  
 Mortis imago tenet nihilominus omne futurum.  
 Istud tantillum spatii brevis atque pusillum  
 Quod vivis præsens, jam præteritum fit et absens.  
 Hæc et plura mihi licet atque libet meditari,  
 Fronde sub agresti dum ruro moror patrueli.

*Ad amicum absentem.*

Si quid in urbe colis quod ames, quod perdere nolis,  
 Idque colis pure, non sit tibi curia curæ,  
 Omnes rumpe moras, damnum tibi crescit in oras.  
 Hoc autem damnum, quia non reparabile, magnum  
 Postponas omne, quod te facit esse Calonnæ.  
 Perdis in hac villa plus quam lucreris in illa.  
 Namque quid est tanti quantum puer, æquus amanti,  
 Qui nunc est æquus, fiat mora, fiet iniquus.  
 Blanditiis si quidem temptatur pluribus idem,  
 Quod qui temptatur, metus est ne decipiatur.  
 Ergo redi propere, si vis quod amas retinere,  
 Desere castellum, si vis retinere citellum.

*Invectio in mordacem cinædum.*

Audi, fæx juvenum, cujus sunt verba venenum,  
 Cujus opus cœnum, cujus cor stercore plenum,  
 Quis sis ipse, vide, mala sic tua, non mea, ride,  
 Et potius plora, meliorarique labora.  
 Tempore nocturno vigilas, dormisque diurno ;  
 Laudas incestos, et detestaris honestos.  
 Paucis contentos contempnis, amas opulentos.  
 Infortunatos premis, extollisque beatos.  
 Tristis læta vides, et cernens tristia rides.  
 Mens in momento duplici tibi concita vento,  
 Vult quod nolebat, non vultque quod ante volebat.  
 Pransus te juras gustasse nihil, neque curas.  
 . . . . . quicque tame . . .

Frangis adversis, et prosperitate superbis.  
Nuptas corrumpis, scortis data fœdera rumpis.  
Mavis stuprari, quam quæ solet inde lucrari.  
Mentiri mavis quam portum tangere navis.  
Deditus usuris es, non sine crimine furis.  
Adjunctus scurris, cum fœnore cuncta ligurris.  
Convivas ambis, semesaque fercula lambis.  
Vina prius potas, et fæces postea totas.  
Inde comesta vomis, ac vina recondita promis.  
Ecce tuæ sordes, alios qua fronte remordes?

REGINALDI MONACHI  
POEMATA.

*Domno Gilleberto abbati Westmonasteriensi,  
Reginaldus.*

Viro rudis Martem pavet, artis et inscius, artem,  
Hic nece ne pereat, hic probra ne subeat.  
Pellat tyro rudis, sed jussus, duraque nudis,  
Arma gerit scapulis, scutaque cum jaculis.  
Par equiti Martis fit vates inscius artis,  
Quod bene non meminit, sic jubeas cecinit.  
Sic prius ingratum quod erat, jussu fit amatum,  
Quo neuter potuit, jussus uterque ruit.  
A. Gisleberte, prudens pater, abba diserte,  
Lucifer ecclesiae, pastor et egregie.  
Tardus eram, vel hebes, hebetanti sed mihi praebes  
Lumen et ingenium, dulce per imperium.  
Præcipis ut pauca Reginaldi fistula rauca  
Gesta canat fidibus, qui trahat ex patribus.  
Malchi facta tibi vis per me carmine scribi,  
Vestra fecit ope sic mea Calliope.  
Jussus obedivi, vitasque patrum repetivi,  
Et calamo celeri fonte bibi veteri.  
Captivi mores monachi durosque labores  
Exegi breviter, forsitan et utiliter.  
Vates ergo rudis, miscendo seria ludis,  
De Malcho cecini carmina quæ memini.  
Nunc pater et domne, tu videris hic liber omne,  
Seu punctum tulerit, seu vitiosus erit.

Stare velis, stabit ; si non, hunc flamma cremabit,  
 Laus sua, sermo tuus, interitusve suus.  
 Si posui partes, velut is qui nesciit artes,  
 Hac miserere vice, doctor apostolice.  
 Per mare ventosum præceps iter et scopulosum ;  
 Vela dedi vacuus remige, nauta tuus.  
 Vestra sed O utinam famuli juvet aura carinam,  
 Ne ruat acta solo turbine cymba malo.  
 Fretus namque sequor, si me regis ipse per æquor,  
 Nulla procella nocet quo tua dextra vocet.  
 Ne vati certe nocet æmulus, O Gileberte,  
 Cujus fautor eris, cuique manum dederis.  
 Laude tui plena, dedit hæc rudimenta camœna,  
 Ob decus ingenuæ laudis ubique tuæ.  
 Gaudia præsentis vitæ semperque manentis,  
 Et bona cuncta Deus det tibi, domne meus.

*Hugoni suppriori Sancti Pancratii, Reginaldus.*

Cordis amore boni, domno Reginaldus Hugoni,  
 Prospera virtutis cum prosperitate salutis.  
 Parvum parva decent, cano materiam leviolem,  
 Quem nimium scimus volucrum finxisse satorem,  
 Bitrisci volucris formam sequor, et gero morem ;  
 Hæc ut avis, raucum meus edit sermo cricorem.<sup>1</sup>  
 Nec simile queo, raucus Jovis anser, olorem.  
 Gutturis illius mihi non ascribo canorem,  
 Felix, si merulam sequerer, Progneseve sororem ;  
 Ut stupet exoculata diei talpa nitorem,  
 Landhonis stupeo vitam nive candidiorem ;  
 Patris enim tanti generat mihi fama stuporem.  
 Ergo patrem summum nulli probitate minorem,  
 Præpositum cunctis, celsum, venerabiliorem,  
 Tangere Landonem quia mens pavet archipriorem,  
 Tangimus Hugonem, sub eo dare seniorem.  
 Is nostri poterit Malchi gustare saporem,

---

<sup>1</sup> *cric cric vox est bitrisci.* Gloss in margin.



Siquem Malchus habet noster gustando valorem,  
Aut siquem retinet stylus ejus et ordo leporem.  
Fontis inexhausti quamvis bibat Hugo liquorem,  
Nostro quem bibimus longe satis utiliorem.  
Jam pater Hugo, precor, sine de te pauca perorem,  
Ingeniique tui sine me laudare vigorem,  
Et Venerem vultus, animi verbique tenorem.  
Cum loqueris, tantum das ex ratione decorem  
Rhetoris ut curas omnem sermone colorem.  
Almi Pancratii sacrum venerando cruorem,  
Moribus et vita legis intra claustra virorem,  
Irriguum madido distillas in grege rorem.  
Ut te magnificem, nullum grave duco laborem.  
Unde brevis noster nudum tibi pingit amorem,  
Inque tuum supplex se fundit carta favorem,  
Aspirans roseum notat inter lilia florem,  
Floris purpurei vivacem sentit odorem.  
Prædicat Hugonis mira cum laude pudorem,  
Versibus et titulis vestrum sustollit honorem.

Nunc juvat ecclesiæ vestræ cantare timorem,  
Qui licet exhibeat durum fortasse rigorem,  
Ordo tamen vester facit absque dolore dolorem,  
Cum censura furens exsolvit forte furorem.  
Tunc magis affectum pietas alit interiorem.  
Sic domus exercet fervoris vestra colorem,  
Mentis et ignavæ pellit calefacta teporem.  
Nullius patitur sub corde latere tumorem  
Quisque suum pure colit inter vos monitorem.  
Extitit hic a se pigrum vigilando soporem.  
Integritas hujus nescit securam pavorem,  
Ire viam cogit alios alii meliorem,  
Unumquemque facit virtus laudabiliorem,  
Incutiet cuiquam transgressio nulla ruborem.  
Est et domum vestram nullam puto dapsiliorem,  
Regi, principibus, populo, nec amabiliorem.  
O Deus omnipotens, quem totius esse datorem  
Propositi sancti scio, da cor per quod adorem

Cum monachis istis te digne semper, et orem,  
 Mortiferumque meo tollas de corde vaporem,  
 Ne ruar in flammam baratri reus asperiolem,  
 Vel per longa moræ, longove traharis amore.  
 Salve cunctorum dilecte mihi monachorum.

*Domino suo Aimerico Fagiensi, Reginaldus.*

Quid prius incipiam?	Celabo viri probitatem?
Transeo militiam,	Genus altum, nobilitatem?
Nonne domum claram	Loquar, et famam super
	astra?
Culmen, opes, charam	Sobolem, tutissima castra?
Nonne canam vultum,	Fortissima membra, vigorem,
Arma, decus multum,	Robur, proceres, et honorem?
Ergo quæ restant,	Si possint carmine dici,
Materiam præstant	Ex moribus Aimerici.
Ergo, musa, fave,	Mea scripta fer Aimerico;
Mandat alumnus, "Ave,"	Mandat quod amicus amico.
Mandat alumnus ei,	Bene vivere, recta valere,
Culminis ætherei	Post finem regna videre.
Mandat, amare Deum,	Monachos, cœlestia, clerum;
Nec damnare reum,	Nec captat inania rerum.
Mandat, hero famulus	Ne sub se terræ prematur;
A domino populus	Dulci fervore regatur.
Mandat, pauperibus	Cunctis opibus misereri;
Parcere divitibus,	Regnum cœleste mereri.
Mandat item domino	Servus suus Aimerico,
Censor ut omnino	Sit justus et ore pudico.
Mandat, justitiam	Teneat, mercede remota;
Spernat avaritiam,	Personas, fœnera tota.
Mandat ne vitiis	Se subdat, vel levitati;
Turpibus ire viis	Mors est, studeat gravitati.
Mandat, vita brevis,	Nil longo tempore durat;
Est miser ergo, levis,	Fatuus, qui vivere curat.
Mandat ad hoc tantum	Qui vivit vivere debet;
Si quod habet, quantum	Valet erogat, et sua præbet.

Mandat, ne dubitet,	Quia non est vita diurna ;
Omne malum vitet,	Maturat finis et urna.
Mandat, Alexander,	Numa, Pompilius, cecidere ;
Cicero, Menander,	Socrates, Varro, periere.
Mandat, honor mundi	Vitam dare, si potuisset ;
Reges jocundi,	Non ille vel ille perisset.
Mandat, homo sapiens	Tamen, et bonus, haud mo-
	rietur ;
Et, si sit moriens,	Requie vitæque fruatur.
Mandat, eam requiem	Sibi det Deus et bonitatem,
Qua domini speciem	Consideret, et deitatem.
Mandat, velle suo	Par viribus esset Achilli ;
Robore præcipuo,	Diomedes cederet illi.
Mandat, velle suo	Fieret comes Andegavorum ;
Et dux conspicuo	Comitatu Pictaviorum.
Mandat, ecclesiæ	Sanctæ parere Mariæ ;
Et prece Mariæ	Sint mœnia tuta Fagiæ.
Mandat, cœnobii	Conventus Nucariensis
Gaudeat auxilii	Ducis egregii Fagiensis.
Mandat, egestatem	Pro posse suo monachorum
Tollat, et abbatem	Stephanum veneretur eorum.
Mandat, ubi cuncti	Requiescunt progenitores,
Olim defuncti,	Faciat quod possit honores.
Mandat et hæc, quoniam	Remeare tuum voluisti,
Mando tibi veniam,	Si det mihi gloria Christi.
Mandat et hæc votis	Raginaldus compatriotis,
Gaudia, virtutem	Plenam, jugemque salutem.

*Ad Fagiam, castellum suum.*

Fagia castellum,	Salve cum flore baronum,
Guerra, fames, bellum,	Procul a te, flos regionum.
Fagia, sol stellis	Est clarior omnibus igne ;
Sic tu castellis	Aliis præponere digne.
Fagia, celsior es	Blesis, Præneste, Mycenis ;
Non etiam minor es	Treveris, Megalo, nec Athenis.
Fagia, dulce solum,	Rus nobile, villa celebris,

Te veneror solum,  
Fagia, castrensis

Hostibus infensis  
Fagia, lux regni,  
Cum duce non segni  
Fagia, quod vivis,  
Scire potest quivis,  
Fagia, magna facis  
Causa tuæ pacis  
Fagia, publica res,  
Teque tuosque lares  
Fagia, terra ferax,  
Judicii verax,  
Fagia, frumenti  
Quo modus armenti locus,  
Fagia, grande forum  
Colligis, armorum  
Fagia, cespitibus  
Pabula das gregibus,  
Fagia, regalis  
Patria legalis,  
Fagia, causidicis  
Atria grammaticis,  
Fagia, rhetoribus  
Æque militibus  
Fagia, postpono  
Mortis, et ense bono  
Fagia, prætereo  
Dicere nam nequeo  
Fagia, cur dicam  
Et vim mirificam,  
Fagia, si loquerer  
Plectra, prius morerer

Fagia, dum calidis

Te laudibus effero crebris.  
Locus, et gens ampla viro-  
rum ;

Præstas decus omne tuorum.  
Sedes et curia dives,  
Victrix per secula vives.  
Vel quod superas inimicum,  
Quia cuncta per Aimericum.  
Sub principe, sub duce tali ;  
Vir hic est scuto generali.  
Equitum virtus populosa ;  
Laus usque manet pretiosa.  
Validis circumdata muris,  
Succincti clausula juris.  
Felix humus, apta Falerno,  
Aere grata superno.  
Recipis, venalia quæque  
Locuples juvenumque fideque.  
Vivis tellus cooperta,  
Per prata virore referta.  
Pagus, dominis, dominabus,  
Dives famulis, famulabus.  
Tua personat aula frequenter,  
Fiuntque canora valenter.  
Clamosis es reverenda ;  
Galeatis es metuenda.  
Quod multis causa fuisti  
Terras animamque tulisti.  
Quæ sit tua gloria terræ ;  
Præconia tanta referre.  
Quod per tua strenua facta,  
Cernis loca multa subacta ?  
Linguis, et milia nossem  
Quam singula scribere pos-  
sem.

Sol curribus occidit undis,

Ceruleæ Thetidis	Hostes mucrone retundis.
Fagia, donec aper	Silvas, et flumina piscis,
Et virgulta caper,	Repetent, tu crescere discis.
Fagia, donec apes	Cithisum, juvenemque pu-
	ella,
Esuriensque dapes	Amat, ardes vincere bella.
Fagia, dum vivam	Te laudo, meam genitivam
Terram, dum fuero,	Grates tibi solvere quaero.
Fagia, fovisti,	Genuisti, perdocuisti
Olim me puerum,	Falso discernere verum.
Fagia, vive, vale,	Nostrum tibi sit speciale
Carmen, et hos apices	Raginaldi nomine dices.
Fagia, sic facies,	Famuli si carmine gaudes,
Scriptas suscipies	Famuli de te tibi laudes.

*Exemplar Sapphici metri, R. Osberno.*

Discat Osbernus, studio frequenti,  
 Regulas certas Sapphici tenoris,  
 Quas potest nemo nisi per laborem  
 Discere jugem.

Discat hoc, inquam, varii metrorum  
 Qualiter currant numeri modique;  
 Discat, et nunquam sibi nomen artis  
 Arroget ante.

Nolo te longe pedibus vagari,  
 Nec per anfractus ago te viarum,  
 Nec laborandum tibi dico multum;  
 Quod petis, hic est.

Te penes Flacci liber Horatii,  
 Prima "Mæcenus, stat" ibi legenda,  
 "Jam satis terris," legitur secunda  
 Carminis oda.

Has duas odas aliæ sequuntur,  
 Laude metrorum celebres et almæ,  
 In quibus formas poteris videre  
 Carminis omnis.

Oro, festina, repetatur auctor,  
 Ille qui promisit lyricos boatus,  
 Nec semel tantum series legatur  
 Codicis ejus.

Si velis magnus fieri magister,  
 Et tuum nomen celebrare quæris,  
 Hunc legas vatem, Latium beavit  
 Qui prior hac re.

Primus odarum docuit Latinos  
 Carmen, et cantus varios canendi;  
 Primus ostendit fidibus canoris  
 Jungere verba.<sup>1</sup>

Hic tibi summus sit in arte doctor,  
 Qui magistratum tenet inter omnes  
 Roma quos misit lyricos poetas,  
 Totus et orbis.

Os docebit te genus omne metri,  
 Per quod humano generi placebis,  
 Si velis istis adhibere curam  
 Quæ monui te.

Ergo præ cunctis imiteris illum;  
 Nemo te stultum fatuumve dicet,  
 Si viri tanti luculenta cantes  
 Scripta frequenter.

Scripsit Osberno tibi nostra paucis  
 Parvitas sensus, opus hoc legendum,  
 Syllabis istis rogo te faveto,  
 Commune factus.

Pronus Osbernum Raginaldus orat,  
 Itis, et exemplar Sapphicum revolvat,  
 Si suam famam velit ampliari,  
 Par opus edat.

Vera dicenti mihi crede, frater,  
 Est pudor pravis, cor agens maligne,  
 Plura quæ nescis puerum doceri,  
 Si pudeat te.

---

<sup>1</sup> *verbera* in the MS.

Præbeas aurem monitis amici,  
Senties lucrum, mihi si monenti  
Pareas, damnum, nisi contra condas  
Pectore dicta.

Sume gratanter quod amica misit  
Musa, nec quicquam putet hic pudendum  
Lux tuæ mentis, quod amor coegit  
Sume libenter.

Hunc modum serva lyricæ camœnæ,  
Si per hanc artem placet ut rescribas,  
Tunc eris clarus fidicen Latinæ  
Legis et artis.

Ut scias qualis mea mens sit ad te,  
Præmium nullum nisi te requiro,  
Per breves istos apices amoris  
Quos tibi scripsi.

Hæc erit merces mea quam rependes,  
Mentis affectus merus et pudicus;  
Temet exopta, nihil hoc apud me  
Dulcius asse.

Passis hic replet loculos et arcam  
Pectoris nostri, retributionem  
Expeto talem, vigiles in istis,  
Atque valet.

---

ALANI ANGLICI  
ANTICLAUDIANS.

~~~~~

*Incipit prologus in Anticlaudianum de Antirufino.*

Cum fulminis impetus vires suas expendere dedignetur in virgulam, verum provectorum arborum audaces expugnet excessus, imperiosa venti rabies iras non expendat in calamum, verum in altissimarum supercilia rerum, vesani flatus invectiones excitent furiosas, penuriosam mei operis humilitatem invidiæ flamma non fulminet, libelli mei depressam pauperiem detractionis flatus non deprimat, ubi potius miseriæ naufragium misericordiæ portum expostulat, quam felicitas livoris poscat aculeum. In quo lector non latratu corrixationis infamans, verum lima correctionis emendans, circumcidat superfluum, compleat diminutum, quatenus illimatum revertatur ad limam, impolitum reducatur ad fabricam, inartificiosum suo referatur artificio, male tortum propriæ reddatur incudi. Sed quamvis artificii enormitas imperitiam accuset artificis, in adulterino opere vestigium imperitiæ manus relinquat opificis. Opus tamen sui deprecatur veniam erroris, cum tenuis humanæ rationis fulgor multis ignorantia nubiletur erroribus, humani ingenii scintilla multas erroris evanescat in nebulas. Quare, ad hoc opus non nauseantis animi fastidio ductus, non indignationis tumore proculsus, sed delectatione novitatis illectus, lector accedat; ut quamvis liber vernantis eloquii purpuramento non floreat, et fulgurantis sententiæ sidere



non clarescat, in fragilis calami tenuitate mellis possit suavitas inveniri, et arescentis rivuli modicitate sitis ariditas temperari. In hoc tamen nulla vilitate plebescat, nullos reprehensionis morsus sustineat, quod modernorum redolet ruditatem, qui ingenii præbent florem, et diligentiae efferunt dignitatem, cum pigmaea humilitas excessui superposita, giganteo altitudine gigantem præveniat; et rivus a fonte scaturiens in torrentem multiplicatus excrescat. Hoc igitur opus fastidire non audeant, qui adhuc vagientes in cunis inferioris disciplinae, nutricum lactantur uberibus. Huic operi derogare non temptent, qui altioris militiam sapientiae spondent. Huic operi abrogare non præsumant, qui cælum philosophiae vertice pulsant. In hoc etenim opere literalis sensus suavitas puerilem demulcebit auditum, moralis instructio proficientem imbuet sensum, acutior allegoriae subtilitas perfectum acuet intellectum. Ab hujus igitur operis arceantur ingressu qui solis sensuum speculis dediti, rationis non aurigantur incessu, qui solam sensualitatis assequentes imaginem, rationis non appetunt veritatem, ne sanctum canibus prostratum sordescat, ne porcorum pedibus conculcata margarita depereat; ne derogetur secretis, si majestas eorum divulgetur indignis.

Quoniam igitur in hoc opere resultat grammaticae syntheseos regula, dialecticae lexeos, maxima oratoriae reseos, communis sententia arismeticae, matheseos paradoxa, musicae melos, axioma geometriae, grammatis theorema, astronomiae hebdomadis excellentia, theophanicae caelestis emblema, infruniti homines in hoc opus sensum proprium non impingant, qui ultra metas sensuum rationis non extendunt curriculum, qui juxta imaginationis somnia aut recordantur visa, aut figmentorum artifices commentantur incognita. Sed hi qui suae rationis materialem motum in turpibus imaginibus non permittunt quiescere, sed ad intuitum supercaelestium formarum audent attollere, mei operis ingrediantur angustias

certa discretionēs libra pensantes, quid sit dignum in aures publicas promulgari, vel silentio penitus sepeliri. Sicut enim quorundam genuinos detractionis insultus non timeo, sic favorabilem commendationis auram ab aliis non expecto. Non enim tumor superbiæ intus eructans ut exiret in publicum, me hujus operis coegit ad fabricam, vel favor popularis applausus insolentem invitavit ad operam, sed ne sermo meus contraheret de curæ raritate rubiginem, aliorumque profectibus labore mei studii desudarem. *Explicit prologus.*

*Incipit materia libri, quæ duplex est, historialis scilicet et mystica.*

Quia in hoc opere agitur de quatuor artificibus, Deo, Natura, Fortuna, et Vitio, primi autem artificis, id est Dei, quatuor sunt opera, opus in mente, opus in materia, opus in forma, opus in gubernatione; Naturæ vero duo, unum in pura natura consideratum, et ab omni corruptione alienum, quale fuit opus Naturæ ante peccatum Adæ, alterum vero varia corruptione vitiatum; Fortunæ etiam duo, hoc prosperitatis, illud adversitatis; unum vero Vitii, scilicet depravationis. Liber hic in quo de his agitur non inconsequenter quatuor distinctionibus completur. Primo autem de operibus Naturæ quam Dei, quia per ea quæ facta sunt, invisibilia Dei conspiciuntur; secundo, de opere divino; tertio de Fortunæ; quarto de Vitii. In initio autem primi libri, auctor more recte scribentium proponit, non tamen in ipsa propositione materiam de qua tractaturus est prælibat, ad insummandam materiam ipsam quasi ineffabilem esse, et ad vitandam arrogantiam, ne si de ineffabili se tractaturum proponeret arrogantiae suspicionem ingereret. Secundo invocat. Tertio introducit Naturam deliberantem de tali homine procreando qualis esset futurus, si in nullo errasset. Sed quia talis hominis perfectio non solum in natura, verum in virtutibus

consistit, virtutum introducit concilium cum quibus natura deliberet, unaquæque autem secundum proprium statum. Consequenter describitur locus amœnissimus floribus stellatus, arboribus consitus, fontis irriguo fœcundatus, in cujus supercilio locata Naturæ regia describitur, auro, argento, variis interstincta lapidibus, multiplici hominum pictura refulgens. Ad hanc aulam convocatur virtutum exercitus, sua utitur consultatione Natura, suam adhibet sententiam Prudentia. Ratio utramque collaudat, Naturæ parti magis assentiens. Consulit autem ut in cœlum delegetur Prudentia, quæ Naturæ virtutumque vota Deo præsentet. Ad quarum preces Deus animam mittat in terras, cujus animæ corporisque consortio Natura mediante virtutumque ministerio beatus homo procreatur in terris. Sed quia non vero subito his verbis assentit Prudentia, suum consilium adnectit Concordia. Cujus consilio illa satisfaciens septem ancillis suis imperat, ut talis fabricetur sibi currus quo celeriter ad cœlestia possit devehî, cujus præceptum sine mora ancillæ complere conantur. Unde prima temonem excudit, secunda axem instituit, tertia temonem axemque floribus et gemmis inscribit; reliquæ quatuor rotis invigilant fabricandis. Curru igitur completo, Prudentia in curru residente cum quinque equis, Ratione auriga, quadriga in cœlum deducitur. Ascendente autem Prudentia, variæ occurrunt rerum naturæ. Intuetur enim quæ causa nubium, quæ nivis, quæ grandinis origo, quis ortus fulminum. Videt etiam dæmones per aera discurrentes, qui tumore superbiæ a cœlo delapsi, in caliginosam hujus aeris noctem humanis insidiantur profectibus. Speculatur etiam secundum diversos sui ascensus planetarum anfractus. Ad ultimum in cœlum devehitur, ubi varias siderum naturas intuetur. Sed cum ultra non pateat ei aditus, cum et ratio viam ignoret, et equi non ultra valeant ascendere, in ambiguo fluctuat Prudentia, quid actura sit penitus nesciens. Tunc puellam stantem videt in cœli super-

cilio, cujus ducatu usque ad empyrium cœlum perducitur, uni insidens equo, cæteris cum auriga Ratione in cœlo relictis. Sed inter agendum aquas super firmamentum sitas miratur, nec eas flexu labiles, vel in æthere suspensas, sed potius chrystallino rigore solidatas perpendit. In empyreo cœlo collocata, ordines angelorum et officia contemplatur. Miratur sanctorum gloriam, beatam Virginem super alios exaltatam, ibique humanam Christi regnare naturam. Sed nimio fulgore percussa in lethargum dilabitur, dux ejus patienti compatitur, suaque accersita sorore, quadam supercœlesti petitione sororis interventu Prudentiam liberat a languore. Tunc tres simul in cœlum Trinitatis ascendunt. Prudentia vero in conspectu Dei Naturæ virtutumque votum exponit. Deus autem petitioni eorum assentiens, juxta æternum noys exemplar animam creat, creatam Prudentiæ commendat, monens ut caute eam in terram deducat, ne eam malevolentia alicujus planetæ sævientis corrumpat. Prudentia igitur cum hilaritate ad inferiora descendens, animam Naturæ virtutumque manibus deponit. Natura corpus excudit, Concordia speciem unit, cæteræ virtutes pro jure suo hominem creatum exornant. Nobilitas ultima, quia ex se nihil habet proprium, a matre Fortuna quod largiatur exquirat. Inde sumpta occasione, habitio, domus, et rota Fortunæ describitur. Ad Naturæ petitionem Fortuna iter accipiens, ad domum Naturæ pervenit, suumque munus homini beato impendit, cui danti Ratio assistit, ne Fortuna, aliquo livore ducta, fermenti quicquam interserat. Completa igitur hominis illius perfectione, ad aures Allecto de hoc opere pervenit. Allecto suum colligit exercitum, cum quo in hominem illum et comites ejus parat insultum. Cum vitiis ille concreditur, sed tandem vitiis subjugans, illi victoria datur. *Explicit libri materia.*

Auctoris mendico stylum, phalerasque poetæ,  
Ne mea segnitiae Clio dejecta senescat;

Ne jaceat calamus,<sup>1</sup> scabra rubigine torpens.  
 Scribendi novitate vetus juvenescere charta  
 Gaudet, et antiquas cupiens exire latebras  
 Ridet, et in tenui modulatur<sup>2</sup> arundine musa.  
 Fonte tuo sic, Phœbe, tuum perfunde poetam,  
 Ut compluta tuo mens arida flumine, germen  
 Donet, et in fructus concludat germinis usum.

---

## ANTICLAUDIANI

### DISTINCTIO PRIMA.

#### CAP. I.<sup>3</sup>

Ut sibi juncta magis Naturæ dona resultent,  
 Et proprium donet donis mixtura favorem,  
 Sollers Naturæ studium, quæ singula sparsim  
 Munera contulerat aliis, concludit in unum ;  
 Cudit opus, per quod operi concluditur omni.  
 Pristina sic operum peccata repensat in uno,  
 Ut quod deliquit alias compensat<sup>4</sup> in isto.  
 Supplicat huic operi, famulans decus omne<sup>5</sup> decoris ;  
 Et tanta cupiens vestiri dote favoris,  
 Incudis deponcit opem ; sed fessa laborat  
 Incus, quæ tantas<sup>6</sup> vires expendit in usus.  
 Ultra sese posse studet Natura, suumque  
 Supra se metitur opus, sic vincere fertur  
 Artifices alios, quod se superare fatetur.  
 Nec subitos animi motus perpessa, repente  
 Currit ad hæc opera, sed et hoc<sup>7</sup> deliberat, utrum  
 Possit, et ad libram rationis singula pensat.

---

<sup>1</sup> *thalamus*, B.

<sup>2</sup> *lascivit*, B.

<sup>3</sup> *Dicit quod Natura, proponens egregium opus super omnia opera sua facere, in quo uno omnia in aliis operibus omissa recompensat, deli-*

*berat secum utrum in illud opus possit.* Gloss. in B.

<sup>4</sup> *compenset*, B. M.

<sup>5</sup> *opus omne*, B. M.

<sup>6</sup> *tantos*, B. M.

<sup>7</sup> *sed ad hæc*, M.

Protinus<sup>1</sup> ergo suas vocat in sua vota<sup>2</sup> sorores,  
 A quibus emeriti descendat tramite recto  
 Regula consilii mentisque coerceat æstum.  
 Ut sic freta suæ sculpro rationis in ipsos  
 Effectus operum mentis deducat ideas,  
 Ac lima<sup>3</sup> meliore diu concepta recidat.

Ergo concilii non aspernata rigorem,  
 Consilium cœleste vocat; peregrinat ab alto  
 Militiæ cœlestis honor, terramque serenat  
 Luce sua, dignatur<sup>4</sup> humum vestire beatis  
 Gressibus, et, nostri tolerans fastidia mundi,  
 A splendore suo descendit regia<sup>5</sup> cœli;  
 Dum lumen proprium terræ concedit ad horam.  
 Jam nova miratur tellus vestigia, ferre,  
 Gaudet onus, sed vis oneris pensatur honore.

CAP. II.<sup>6</sup>

Pacis alumna movet primos Concordia gressus;  
 Et pleno cuncta perfundens Copia cornu;  
 Et Favor; et multo perfusa favore Juventus;  
 Et Risus nostræ proscribens nubila mentis;  
 Et Pudor;<sup>7</sup> et certo contenta Modestia fine;  
 Et Ratio mensura boni, quam semper adhærens  
 Felici gressu felix comitatur Honestas;  
 Et Decus; et cuncta trutinans Prudentia libra;  
 Et Pietas; et vera Fides, quæ fraudis in umbra  
 Nobis hypocritum mentiri nescit amorem;  
 Et Virtus<sup>8</sup> quæ spargit opes, quæ munera fundit,  
 Quam penes ignorat ignavam gaza quietem,

<sup>1</sup> *Auctor dicit quod Natura ad-  
 vocat virtutes cœlestes, sorores suas,  
 ut cum eis deliberet quæ ad ipsam de  
 cœlo descenderent, in quarum adventu  
 terra irradiata exultat.* Gloss in B.

<sup>2</sup> *fata, i. verba, A.*

<sup>3</sup> *aut lima, B. M.*

<sup>4</sup> *dignatus, B. M.*

<sup>5</sup> *i. curia.* Gloss in B.

<sup>6</sup> *Nomina sororum, i. virtutum cœ-  
 lestium, quæ descendunt ad Naturam,  
 Concordia, Copia, Favor, Juventus,  
 Risus, Pudor, Modestia, Ratio, sive  
 Prudentia, Honestas, Pietas, Fides,  
 Largitas, Nobilitas generis.* Gloss  
 in B.

<sup>7</sup> *i. Temperantia.* Gloss in B.

<sup>8</sup> *i. Largitas.* Gloss in B.

Nec dormire potest thesauri massa sepulti,  
Sed mutat varios totiens peregrina magistros.

Ultima Nobilitas, et formæ laude secunda,  
A longe sequitur harum vestigia, quamvis  
Nescio quid præsigne gerat, tamen hujus ad unguem<sup>1</sup>  
Non poterat reliquis facies<sup>2</sup> æquare decorem ;  
Munere fortunæ melior, sed parcius ipsa  
Gratia naturæ dotes effundit in illam :<sup>3</sup>  
Hæc superum soboles gressus maturat in arcem  
Naturæ, proprioque domum chorus afflat<sup>4</sup> honore.

CAP. III.<sup>5</sup>

Est locus a nostro secretus climate tractu  
Longo, nostrorum ridens fermenta<sup>6</sup> locorum.  
Iste potest solus quicquid loca cætera possunt ;  
Quod minus in reliquis melius suppletur in uno ;<sup>7</sup>  
Quid prælargæ manus Naturæ possit, et in quo  
Gratius effundat dotes, largitur in isto.<sup>8</sup>  
In quo pubescens tenera lanugine florum,  
Sideribus stellata suis, succensa rosarum  
Murice terra novum contendit pingere cælum.  
Non ibi nascentis expirat gratia floris,  
Nascendo moriens ; neque enim rosa<sup>9</sup> mane puella  
Vespere languet anus ; sed vultu semper eodem  
Gaudens, æterni juvenescit munere veris.  
Hunc florem non urit hiems, non decoquit æstas,  
Non ibi bacchantis Boreæ furit ira, nec illic  
Fulminat aura Noti, nec spicula grandinis instant  
Quicquid depascit oculos, vel inebriat aures,

<sup>1</sup> *i. ad perfectionem.* Gloss in B.

<sup>2</sup> *facies reliquis,* B.

<sup>3</sup> *in illa,* A.

<sup>4</sup> *efflat,* B. ; *afflat, i. replet,* A.

<sup>5</sup> *Hic describit locum in quo deli-*  
*beravit Natura cum dictis virtutibus,*  
*quem dicit esse similem cælo, quia*  
*inest sempiterna amœnitas atque*

*fertilitas, sine labore, et nullus de-*  
*fectus.* Gloss in B.

<sup>6</sup> *i. vitia.* Gloss in B.

<sup>7</sup> *in uno,* B. (corrected to *isto*),

<sup>8</sup> *exponit in isto,* B.

<sup>9</sup> *non ut rosa,* B. ; *nec enim rosa,*  
M.

Seducit gustus, nares suspendit odore,  
 Demulcet tactum, retinet locus iste locorum.  
 Iste parit, nullo vexatus vomere, quicquid  
 Militat adversus morbos, nostramque renodat<sup>1</sup>  
 Instantis morbi proscripta<sup>2</sup> peste salutem.  
 Non rerum vulgus, verum miracula gignens  
 Sponte, nec externo tellus adjuta colono,  
 Naturæ contenta manu, Zephyrique favore,  
 Parturit, et tanta natorum<sup>3</sup> prole superbit,  
 Flore novo gaudens, folio crinita virenti,  
 Non demorsa situ,<sup>4</sup> non iram passa securis,  
 Non dejecta solo, sparsis non devia ramis,  
 Ambit silva locum, muri mentita figuram.  
 Non florum prædatur opes, foliique<sup>5</sup> capillum  
 Tondet hiems, teneram florum depasta juventam.  
 Exilium patitur arbor quæcunque tributum  
 Germinis et fructum<sup>6</sup> naturæ solvere nescit.  
 Cujus mercari fructu meliore favorem  
 Contendens, aliasque suo præcellere dono,  
 Quælibet et semper de partu cogitat arbos.  
 Syrenes nemorum, cytharistæ<sup>7</sup> veris, in illum  
 Convenere locum, mellitaque carmina sparsim  
 Commentantur aves, dum gutturis organa pulsant.  
 Pingunt ore lyram, dum<sup>8</sup> cantus imbibit istos  
 Auditus, dulces effert<sup>9</sup> sonus auribus escas.  
 In medio lacrimatur humus, fletuque beato  
 Producens lacrimas, fontem sudore perenni  
 Parturit, et dulces potus singultat aquarum.  
 Exuit ingentes<sup>10</sup> fæces argenteus amnis,  
 Ad puri remeans elementi jura, nitore  
 Fulgurat in proprio, peregrina fæce solutus.

<sup>1</sup> *i. reducit.* Gloss in B.

<sup>2</sup> *i. deleta.* Gloss in B.

<sup>3</sup> *i. florum.* Gloss in B.

<sup>4</sup> *i. fissa siccitate.* Gloss in A.

<sup>5</sup> *foliive,* B.

<sup>6</sup> *fructus,* M.

<sup>7</sup> *i. aves.* Gloss in B. *i. volucres dulce canentes.* Gloss in A.

<sup>8</sup> *cum,* B.

<sup>9</sup> *offert,* B. M.

<sup>10</sup> *ingenitas,* B. M.



Prægnantis gremium telluris inebriat iste  
 Potus, et ad partus invitat vota parentis.  
 Arboribus similes tellus non invida potus  
 Donat, et affectum pariendi suggerit illis.

## CAP. IV.

In<sup>1</sup> medio nemoris evadit in aera montis  
 Ardua planities, et nubibus oscula donat.  
 Hic domus erigitur Naturæ, si tamen isto  
 Nomine censerî fas sit, cum numine possit  
 Sidereas superare domos superumque penates,  
 Nec sibi dignetur<sup>2</sup> conferre palatia regum,  
 A nostris laribus excepta beatior aula.  
 Aera metitur, altis suspensa columnis ;  
 Sidere gemmarum præfulgurat, ardet in auro,  
 Nec minus argenti proprio donatur honore.  
 Non ibi materies quæ sit demissior istis  
 Jura tenet, propriaque potest plebescere<sup>3</sup> forma.  
 Hic hominum<sup>4</sup> mores picturæ gratia scribit ;  
 Sic operi proprio scriptura fideliter hæret,  
 Ut res picta minus a vero deviet esse.  
 O nova picturæ miracula, transit ad esse,  
 Quod nihil esse potest ! picturaque simia veri,  
 Arte nova ludens, in res umbracula rerum  
 Vertit, et in verum mendacia singula mutat.  
 Sic logicæ vires artis subtiliter hujus  
 Argumenta premunt, logicæque sophismata vincunt.  
 Hæc probat, ista facit ; hæc disputat, impetrat ista ;  
 Omne quod esse potest : sic utraque vera videri<sup>5</sup>  
 Falsa cupit ; sed adhuc<sup>6</sup> pictura fidelius instat.<sup>7</sup>  
 Illic arma parat logico, logicæque palæstram

<sup>1</sup> *Hic nota de celsitudine loci.*

Gloss in B.

<sup>2</sup> *dignatur, B.*

<sup>3</sup> *i. vilescere.* Gloss in B.

<sup>4</sup> *Sic hominum, B.*

<sup>5</sup> *videre, B.*

<sup>6</sup> *ad hæc, B. M.*

<sup>7</sup> *Hic ponit bonos depictos in aula Naturæ, Aristotelem, Platonem divinum, Senecam.* Gloss in B.

Pingit<sup>1</sup> Aristoteles, sed eo divinius ipsa  
 Somniat arcana rerum coelique profunda  
 Mente Plato, sensumque Dei perquirere temptat.  
 More suo Seneca mores ratione monetat,  
 Optimus exculptor morum, mentisque colonus.  
 Divitis ingenii vena Ptolomæus inundans,  
 Devectus superas curru rationis in arces,  
 Colligit astrorum numeros, loca, tempora, cursus.  
 Verbi pauperiem redimit splendore colorum  
 Tullius, et dictis ornatus fulgura donat.  
 Virgilio musa mendacia multa colorat,  
 Et facie veri contextit pallia falsi.<sup>2</sup>  
 Hic vigor et sensus æquali munera lance  
 Pensant; Alcidem vigor armat, sensus Ulyxem.  
 Ne mentem fermentet opum convictus,<sup>3</sup> abunde  
 Fundit opes Titus,<sup>4</sup> et munera cogit abire.<sup>5</sup>  
 Militat instantis fervens audacia Turni  
 Ense tonans, ignara metus, et prodiga vitæ,  
 Hypolytique pudor, Veneris subductus habenis,  
 Gaudet et excepto luget Cytheræa pudore.

CAP. V.<sup>6</sup>

Has species rerumque tropos et somnia veri  
 Regia picta tenet, tanto festiva decore.  
 Sed minus in vultu gestans insigne decoris<sup>7</sup>  
 Postremos subtristis habet pictura penates.  
 Vel lusisse parum, vel saltem somnia passam  
 Credas, vel tenues iræ sensisse procellas;  
 Vel magis oblitam facti præsentis in illa  
 Naturam peccasse putes, delira videtur  
 Picturæ facies meliorem poscere formam.  
 Sed neque gemmarum radius splendore diascens,

<sup>1</sup> *Fingit*, B.<sup>2</sup> *pallia falso*, B.<sup>3</sup> *conflictus*, B.<sup>4</sup> *virtus*, M. *Tideus*, A. in margin.<sup>5</sup> *quærit abire*, B.<sup>6</sup> *Hic notat malos depictos in aula Naturæ, unde dicit quod Natura illos pingendo ludebat, aut vere peccavit.* Gloss in B.<sup>7</sup> *pudoris*, M.

Nec nitor argenti, nec fulgure gratius aurum,  
 Excusare potest picturæ crimen adultum,  
 Quin pictura suo languens pallescat in auro.  
 Illic pannoso plebescit carmine noster  
 Ennius, et Priami fortunas intonat; illic  
 Mævius in cœlos audens os ponere mutum,  
 Gesta ducis Macedum tenebrosi carminis umbra  
 Pingere dum temptat, in primo limine<sup>1</sup> fessus  
 Hæret, et ignavam queritur torpescere musam.  
 Illic præcipiti Nero fulmine concutit orbem,  
 Indulgens sceleri, cogit plus velle furorem  
 Quam furor ipse velit; quicquid distillat ab illo  
 Nequitia, totum sese partitur in orbem.  
 Illic dives eget, sitit aurum totus in auro  
 Midas, nec metas animo concedit habendi.  
 Militis excedit legem, plus milite miles,  
 Ajax, militiaeque modus decurrit<sup>2</sup> in iram.  
 Fractus amore Paris, Veneris decoctus in igne,  
 Militat in Venere,<sup>3</sup> dum militis exiit actus;  
 Damnose compensat in hac quod perdit in armis.  
 In Davo propriam miratur noctua formam,  
 Inultus peccata sui<sup>4</sup> solatur in illo.  
 Ergo Naturæ quicquid munuscula plene  
 Percipit, aut ejus modicam<sup>5</sup> subterfugit artem,  
 Inscriptum thalamis picturæ fabula<sup>6</sup> monstrat.  
 Singula decernens sensu Natura<sup>7</sup> profundo,  
 Sedibus his sua jura tenet, legesque figurat  
 Provida, quas toto sparsim<sup>8</sup> promulgat in orbe;  
 Scrutatur rerum causas, et semina mundi;  
 Quis<sup>9</sup> chaos antiquum vultu meliore redemit,

<sup>1</sup> *lumine*, B.

<sup>2</sup> *modus transcurrit*, B.

<sup>3</sup> *in Venerem*, B.

<sup>4</sup> *Et vultus peccata sui*, B. M.

<sup>5</sup> *medicam*, B.

<sup>6</sup> *picturæ gratia*, M.

<sup>7</sup> *Hic dicit quod Natura, que*

*omnia facit et regit in dicta regia, residebat cum sororibus deliberans de opere quod facere excogitaverat.*  
Gloss in B.

<sup>8</sup> *passim*, B.

<sup>9</sup> *Quid*, A.

Dum formæ melioris opem, vultusque decorem,  
 Quæreret, atque suum lugeret silva tumultum;  
 Quid<sup>1</sup> fidei nexu civilia bella refrenans,  
 Et fratrum rixas, elementis oscula pacis  
 Indidit, et numeri nodo meliore ligavit.  
 Terrarum motus, mugitum fulminis, iras  
 Oceani, ventorum prælia, mente fideli<sup>2</sup>  
 Conspicit, et certa sollers indagine claudit  
 Temporis excursus; cur contristata pruinis  
 Luget hiems cana,<sup>3</sup> ridet ver, æstuat æstas,  
 Effluit Autumnus rerum torrente profundo,  
 Vel cur terra sedet, fluit annis, profluit aer,  
 Flamma volat, reliquisque fidem non invida servat,  
 Non audens violare fidem, cur fœdera terris  
 Labilis unda tenet, certo contenta meatu.

CAP. VI.<sup>4</sup>

Postquam cœlestis aurata sedilia cœtus  
 Implevit, tantaque nitens deitate refulsit  
 Ipsa domus, tanti lucem<sup>5</sup> mirata diei;  
 Concilii stetit in medio Natura, parumper  
 In terram demissa caput, concepta severis  
 Vultibus exponens, dextraque silentia dictans.  
 Suspendens animos, voces exivit in istas:<sup>6</sup>  
 “ Sæpe diu, multum sollerti mente retracto  
 “ Singula quæ nostræ pinxit sollertia dextræ;  
 “ Sed nihil invenio quod in omni parte beate<sup>7</sup>

<sup>1</sup> *Quis*, M.<sup>2</sup> *pace fideli*, A., corrected by a later hand.<sup>3</sup> *canis*, M.<sup>4</sup> *Hic dicit quali gestu pronunciat-  
 verat quæ Naturæ proponentis conceperat.*  
 Gloss in B.<sup>5</sup> *tantaque lucem*, B.<sup>6</sup> *Verba Naturæ proponentis propo-  
 sitionem, et dicit ego intendo fratrem*

*sanctum et dominum hominem, cujus  
 conversatio in cælo existat, omniumque  
 naturalium operum in eo, suppleantur  
 defectus in quo omnia nostra collata lo-  
 centur, heu! pudet nostrum huc usque  
 errasse laborem, vel nec quod ex omni  
 parte bene vivat, quodque ego non  
 possum per me suppleat vestra manus,  
 o sanctissimæ sorores.* Gloss in B.  
<sup>7</sup> *beatum*, B.

" Vivat, quin multas nobis deferre querelas  
 " Possit, si nostram velit accusare Minervam.<sup>1</sup>  
 " Sed nostras errasse manus quia pœnitet, error  
 " Haud nocet, et nostros<sup>2</sup> denigrat parcius actus.  
 " Nec tamen<sup>3</sup> hærentes maculas abstergere<sup>4</sup> possum,  
 " Quas habitus firmi præscriptio longa tuetur.  
 " Nam medicina silet, ubi morbi causa senescit;  
 " Nec morbi veteres molimina tarda requirunt.  
 " Unica coniecto tantæ solatia pestis,  
 " Quæ<sup>5</sup> tamen effectu describere nolo, priusquam  
 " Norma iudicii vestri mens nostra probetur.  
 " Hoc in mente diu scriptum mihi sedit, ut omnis<sup>6</sup>  
 " Et simul instanter, caute, sollerter, ad unum  
 " Desudemus opus, in quo tot munera fundat  
 " Quælibet,<sup>7</sup> ut post has dotes videatur egere,  
 " Nostrorum crimen operum redimatur in uno,  
 " Unius probitas aliorum<sup>8</sup> crimina penset,  
 " Unaque quamplures exterminet una lituras.  
 " Non terræ fæcem redolens, non materialis,  
 " Sed divinus homo nostro molimine terras  
 " Incolat, et nostris<sup>9</sup> donet solatia damnis.  
 " Insideat cœlis animo, sed corpore terris;  
 " In terris humanus erit, divinus in astris.  
 " Sic homo, sicque Deus fiet, sic factus uterque  
 " Quod neuter, mediaque via tutissimus ibit.  
 " Nescio quis neuter inter utrumque maneris,<sup>10</sup>  
 " In quo nostra manus et munera nostra loquantur.  
 " Sit speculum nobis, ut nos speculemur in illo;  
 " Quæ sit nostra fides, quæ nostra potentia, virtus  
 " Quæ sit, et in quantum melius procedere possit.  
 " Si labor accusat<sup>11</sup> nostros in munere tanto

<sup>1</sup> *i. sapientiam.* Gloss in B.

<sup>2</sup> *Et nos et nostros,* B.

<sup>3</sup> *Non tamen,* B.

<sup>4</sup> *detergere,* B.

<sup>5</sup> *Quod tamen,* B.

<sup>6</sup> *sedet, ut omne,* M.

<sup>7</sup> *Quodlibet,* B.

<sup>8</sup> *multorum,* M.

<sup>9</sup> *nostra,* B.

<sup>10</sup> This line is only found in B.

<sup>11</sup> *accuset,* B.

" Defectus, onerique manus succumbere nostro ;  
 " Hoc decus excusat solvens objecta laboris.  
 " Si Natura negat, animi succurrere robur<sup>1</sup>  
 " Debet,<sup>2</sup> et affectus effectu claudere nostro.  
 " Nam quod nulla valet per se, supplebit in unum  
 " Conjurata manus, ut quæ non singula possunt<sup>3</sup>  
 " Multa juvent collecta simul ; nam plurimus annem  
 " Rivulus excrescens gignit, scintillaque flammam  
 " Multa parit, multusque lapis concludit acervum.  
 " Heu ! pudeat nostrum totiens errasse laborem,  
 " Et totiens fructum male respondisse<sup>4</sup> labori.<sup>5</sup>  
 " Heu ! pudeat nostra terris decreta silere ;  
 " Quod nostri languescit amor, quod fama<sup>6</sup> tepescens  
 " Torpet, et a toto viles proscribimur orbe ;  
 " Quod laxas mundo sceleris concedit habenas  
 " Tesiphone,<sup>7</sup> nostraque sibi de gente triumphans  
 " Gaudet, et a nostro sugit sibi gaudia luctu.  
 " Vincimur, et victas pedibus submittit Erinnyis,  
 " Et gravibus nostra castigat colla catenis."

CAP. VII.<sup>8</sup>

Sic Natura, suo mentem sermone figurans,  
 Fine dato verbis orantis fine perorat.  
 Gaudet et assentit Naturæ curia, votum  
 Laudat, et a voto non distant vota sororum.  
 Surgit ad hæc<sup>9</sup> placidi vultus, gestusque modesti  
 Circumscripta modum<sup>10</sup> Prudentia, colla pererrat  
 Aurea cæsaries, sed acus mediata refrenat

<sup>1</sup> *debet*, B.<sup>2</sup> *robur*, B.<sup>3</sup> *prosunt*, B. M.<sup>4</sup> *non respondisse*, B.<sup>5</sup> This and the preceding line are wanting in M.<sup>6</sup> *quod forma*, B.<sup>7</sup> *i. diabolissa*. Gloss in A.<sup>8</sup> *Descriptio Prudentiæ, sive Rationis, s. formæ suæ et habitus, quæ prima sororum locuta est communem dans providum concilium.* Gloss in B.<sup>9</sup> *ad hoc*, B.<sup>10</sup> *modis*, B. M.

Litigium crinis, et regula pectinis instat.  
 Ordo supercilii justo libramine ductus,  
 Nec nimis exhaustus, nec multa nube pilorum  
 Luxurians, sese geminos<sup>1</sup> exemplat in arcus.  
 Luminis astra jubar,<sup>2</sup> frons lilia, balsama naris,  
 Dens ebur, osque rosam, parit, offert, reddit, adæquat.  
 Spirat in ore color vivus,<sup>3</sup> nec candor adulter  
 Turpiter effingit tanti phantasma decoris.<sup>4</sup>  
 Sidereum vultus<sup>5</sup> castigavere ruborem  
 Lilia nupta rosis, et ne palloris obumbrent  
 Nubila candorem, defendit flamma ruboris,  
 Clarior argento, fulvo conspectior auro,  
 Lucidior glacie, crystallo gratior omni.  
 Mentis<sup>6</sup> planities roseo non derogat ori.  
 Non male colla sedent, humeris non insidet alta  
 Cervix, sed spatio surgit distincta modesto.  
 Poma mamillarum, modico suspensa tumore,  
 Nulla mollitie dependent fracta, sed ipsa  
 Duritie proprii describunt signa pudoris.  
 Explicat explicito tractu junctura lacertos;  
 Amplexusque suos deoscere brachia credas.  
 Imaque conciliat summis, extremaque primis  
 Convallis laterum, modulo submissa decenti.  
 Cætera quis nescit meliora latere sub istis,  
 Quorum<sup>7</sup> sola gerunt placidi præludia vultus?  
 Canone sub certo, dimensio nulla retardat  
 Corporis excursus, vel certo fine refrenat.  
 Nunc magis evadens cœlestia vertice pulsat,  
 Nunc oculos frustrans cœlestibus insidet,<sup>8</sup> ad nos  
 Nunc redit, et nostra sese castigat habena.<sup>9</sup>  
 Vestis<sup>10</sup> erat tenui filo<sup>11</sup> contexta, colorem

<sup>1</sup> *sese germinans*, A.

<sup>2</sup> *ista jubar*, B.

<sup>3</sup> *nivius*, A.

<sup>4</sup> *deoris*, B.

<sup>5</sup> *vultum*, B.

<sup>6</sup> *Menti planities*, B. M.

<sup>7</sup> *Venter sola gerit*, B.

<sup>8</sup> *incudit*, B.

<sup>9</sup> *arena*, B.

<sup>10</sup> *Hic describit vestes*. Gloss in  
B.

<sup>11</sup> *filo tenui*, B. M.

Non mentita suum, nullove<sup>1</sup> sophismate visum  
 Decipit, immo rubor natus inebriat illam.  
 Non ibi materies formæ suffragia quærit,  
 Nec formæ peccata sibi velamina quærent;  
 Materię neutri<sup>2</sup> succumbit, neutra sorori  
 Cedit, et ex æquo certant<sup>3</sup> utra vincere possit.  
 Somniat hæc<sup>4</sup> rerum species pictura resultans,  
 Quas tamen ex parte<sup>5</sup> jubet expirare vetustas,  
 Et formæ<sup>6</sup> veteris vestigia pauca supersunt.  
 Sed tamen in partes vestem diffibulat istam  
 In variis scissura locis, lugere videtur  
 Vestis, et illata sibimet convicia flere.<sup>7</sup>  
 Dextra manus librat trutinam, qua singula pensat  
 In numero, forma, mensura, pondere, causa.  
 His ornata modis, isto festiva paratu,  
 Verba parat sollers Prudentia, cujus ab ore  
 Curia dependet, currunt instanter ad illam  
 Visus et auditus, sed voto dispare certant,  
 Visus, ut in specie tanta convivia quærat,  
 Auditusque favos verborum fugat<sup>8</sup> ab ore.  
 His igitur verbis mentem Prudentia pingit,  
 Dum tenet intentas attentio tanta sorores.

## CAP. VIII.

“ Nil nisi divinum sapit hæc sententia, tanti  
 “ Provida consilii, quæ sic rationis in igne  
 “ Decoquitur, quod nulla manent vestigia fæcis.  
 “ Non fluidum redolet animum, non mentis obesæ<sup>9</sup>  
 “ Segnitiam loquitur, subitis non motibus instat,  
 “ A summis exspuita labris; sed mentis ab alto

<sup>1</sup> *nulloque*, B. M.

<sup>2</sup> *neutra*, M.

<sup>3</sup> *cernant*, M.

<sup>4</sup> *hic*, B. M.

<sup>5</sup> *i. in parte*. Gloss in A.

<sup>6</sup> *Ut formæ*, B.

<sup>7</sup> *i. flendo conqueri*. Gloss in A.

<sup>8</sup> *sugat*, B.

<sup>9</sup> *i. pingue*. Gloss in A.



“ Prominet, et nostris offert medicamina morbis.  
 “ Trans hominem mens ista sapit, condita sapore  
 “ Divinæ mentis, de cujus fonte profundo  
 “ Rivulus emanat,<sup>1</sup> animi discretio vestri.  
 “ Non igitur jacet exanimis,<sup>2</sup> non indiga recti,  
 “ Non rationis inops, non mens effrenis oberrat,  
 “ Non agitur casu, tanto suffulta patrono.  
 “ Quæ tantam mentem detractio mordeat? aut quis  
 “ Urgeat invidiæ stimulus?<sup>3</sup> quis nubila livor  
 “ Misceat, aut odium, cum limes regius illam  
 “ Dirigat, et recto producat calle meantem?<sup>4</sup>  
 “ Ne vestræ faciat conceptio mentis aborsum,<sup>5</sup>  
 “ Ne res tanta ruat, ne lux moriatur in umbra,  
 “ Sed magis<sup>6</sup> exposita præfulguret, exeat istud  
 “ In commune bonum, melius sub luce patebit.  
 “ Namque bonum quod sæpe latet splendore minori  
 “ Degenerat, lucetque magis si luce fruatur.  
 “ Sic flos in fructus, in flumen rivus inundans  
 “ Ibit, et in messem pinguis procedet<sup>7</sup> arista.  
 “ Quid melius sperare potest? quid majus? et ultra  
 “ Quid poterit velle mentis conceptus<sup>8</sup> honestæ?  
 “ Si bonus est,<sup>9</sup> huc usque licet, defigat in isto  
 “ Gressus proposito, nec longius ire laboret.  
 “ Sed tamen hoc superest, quod mentem concutit, obstat  
 “ Proposito, vexat animum, concepta retardat.  
 “ Quod tanti vires operis, tot pondera rerum  
 “ Tantum nescit opus, operas suspirat ad istas  
 “ Nostra manus, quæ sic hominem conducit ad esse.  
 “ Quod non producit,<sup>10</sup> facit hunc, non perficit<sup>11</sup> ipsum;  
 “ Semper<sup>12</sup> ad esse monet, sed nunquam promovet  
 “ illum;

<sup>1</sup> *emaneat*, B.<sup>2</sup> *i. semimortuus*. Gloss in A.<sup>3</sup> *stimulis*, B.<sup>4</sup> *viantem*, B. M.<sup>5</sup> *i. digressionem*. Gloss in A.  
*abortum*, B. M.<sup>6</sup> *potius*. Gloss in A.<sup>7</sup> *procedit*, B., corrected to *procedet*, A.<sup>8</sup> *conceptus mentis*, B. M.<sup>9</sup> *i. conceptus*. Gloss in A.<sup>10</sup> *perducit*, B. M.<sup>11</sup> *nec perficit*, B. M.<sup>12</sup> *set imper*, B.

- “ Ejus ad esse valet,<sup>1</sup> nec ad ejus prævalet ortum.  
 “ Dispar natura, dispar substantia, forma  
 “ Discors, esse duplex,<sup>2</sup> hominis concurrat ad esse;  
 “ Una sapit terras, cœlum sapit altera, cœlis  
 “ Insidet hæc, illa terris, mortique tributum  
 “ Cogitur ista dare,<sup>3</sup> mortis lex excipit illam.  
 “ Hæc manet, illa fluit, hæc durat, deperit illa;  
 “ Essendi<sup>4</sup> nomen gerit hæc, gerit altera numen;  
 “ Corpus habet terras, cœlestia spiritus; ergo  
 “ Terram terra tenet, retinent cœlestia cœli.  
 “ Incudem nostram corpus mortale fatetur.  
 “ Artifices nostros, et nostram postulat artem;  
 “ Artifices alios animæ natale<sup>5</sup> requirit.  
 “ Artificis melioris opem cœlestis origo  
 “ Postulat, et nostram fugit ejus forma monetam,  
 “ Divinique loquens operis miracula, nostrum  
 “ Spernit opus, ridens artis vulgaria nostræ.

## CAP. IX.

- “ Qualiter ex nihilo, sine forma, semine, causa,  
 “ Materia, motu, sensu, ductore, ministro,<sup>6</sup>  
 “ Ingenitum, simplex, animabile, mobile, purum,  
 “ Prodeat exterius, nullo mediante patrono;  
 “ Sola Dei novit Prudentia, cujus ab alto  
 “ Pectore procedit quicquid procedit ad esse.<sup>7</sup>  
 “ Hic elementa silent, languescunt<sup>8</sup> semina rerum,  
 “ Sidus hebet, natura jacet, virtusque planetæ  
 “ Deficit, et propria miratur jura silere.  
 “ Ergo<sup>9</sup> cum nostra genituram regula talem  
 “ Nesciat, et tantam stupeat pictura figuram,

<sup>1</sup> *valet* omitted in B.

<sup>2</sup> *causa duplex*, B.

<sup>3</sup> *illa dare*, A.

<sup>4</sup> *Assendi*, B.

<sup>5</sup> *natura*, B.

<sup>6</sup> *magistro*, M.

<sup>7</sup> *in esse*, M.

<sup>8</sup> *languescere*, B.

<sup>9</sup> *Dicit igitur Prudentia se nescire qualiter anima ducatur ad esse, et ubi ratio dictaverit quod super hoc fuerit faciendum. “Malo,” inquit, “non incipere, quam a fine turpiter deficere.”* Gloss in B.

" Occasumque manus talem patiatur ad ortum.  
 " Non video, non concipio, non judico memet,  
 " Scire modos, causas, rationes, semina, formas,  
 " Instrumenta, quibus, nostra mediante Minerva,  
 " Ortus cœlestis animæ ducatur ad ortum.  
 " Ergo consilii super his libramina<sup>1</sup> ferre  
 " Nescio, non valeo, dubito, desisto, retardor,<sup>2</sup>  
 " Consilio, ratione, fide, mea causa<sup>3</sup> jacebit  
 " Orphana, nec certo claudetur fine voluntas,  
 " Singula ni ratio trutina meliore repenset.  
 " Quam penes obscurum, fluitans, mutabile, cassum,  
 " Ignotum, mendax, nihil est, cui singula lucent,  
 " Cuncta patent, dubiumque nihil, non alta<sup>4</sup> videntur  
 " Astra, nec obscurus aer, pelagusque profundum.  
 " Sol animi, mentis oculus, lumenque vianti,<sup>5</sup>  
 " Proscripti patria, mortis solamen, origo  
 " Justitiæ, virtutum regula, linea recti,  
 " Subducat dubia certis, mendacia veris,  
 " In certo figat<sup>6</sup> animum, dubiumque recidat,  
 " Erroris tergat tenebras, verique serenat<sup>7</sup>  
 " Luce diem mentis, et falsi nubila pellat.  
 " Menti concussæ dubiorum fluctibus, aura  
 " Grator applaudat, rationis flamine leni  
 " Concilians æstus animi, fluctusque retardans.  
 " Segnitiamque meam non tanti massa laboris  
 " Accusare potest; non tanto victa labore  
 " Cedo, nec ignavæ mendico quietis asyllum.  
 " Aggrediar quicquid ratio dictaverit, immo  
 " Jusserit, atque nihil de contingentibus<sup>8</sup> ipsa  
 " Transgrediar, finem proprium pro posse secuta.<sup>9</sup>  
 " Sed quia principia<sup>10</sup> nullo concludere fine,  
 " Vel dare principiis fines aliunde profectos,

<sup>1</sup> *i. equalitates.* Gloss in A.

<sup>2</sup> *retardo*, B.

<sup>3</sup> Corrected to *musa* in A.

<sup>4</sup> *non astra videntur Alta*, B.

<sup>5</sup> *viantis*, M.

<sup>6</sup> *In certis figat*, B.

<sup>7</sup> *serenet*, B. M.

<sup>8</sup> *contragentibus*, B.

<sup>9</sup> *secura*, B.

<sup>10</sup> *principium*, B.

“ Ut primo medium, medio non consonet imum,  
 “ Censetur turpe, fluitans, mutabile, stultum ;  
 “ Cedere principiis malo quam cedere fini.”

## CAP. X.

Sic ait ;<sup>1</sup> et tanto dubiorum turbine tota  
 Curia concutitur,<sup>2</sup> turbataque turba sororum  
 Fluctuat in dubiis, alta cum voce fluentes  
 Suspendens animos, et murmura sola pererrant.<sup>3</sup>  
 Qualiter aura fremit, fluit aer, fluctuat unda,  
 Quam primum Zephyrus cum planat<sup>4</sup> flamme leni,  
 Si maris excutiat borealis turbo<sup>5</sup> soporem,  
 Vel maris instantes<sup>6</sup> cogat vigilare procellas :  
 Sic animi fluitant, et mentes mentibus instant,  
 Quas Natura prius leni<sup>7</sup> perflaverat aura,  
 Perflat majori flatu Prudentia mentes.

Erigitur Ratio,<sup>8</sup> poscitque silentia nutu,  
 Voce, manu, facie ; pacis tranquilla meretur  
 Vultus, et ad nutum morientia murmura nutant<sup>9</sup>  
 Virginis in facie ; Prudentia plurima vultu  
 Paret, et expressi sequitur vestigia vultus.  
 Suntque relativæ facies, gerit altera formam  
 Alterius, seseque sibi conformat in illa.  
 Una sibi facies faciem præsentat utramque ;  
 Vultus diversi, facies diversa duarum ;  
 Non adversa tamen<sup>10</sup> quales decet esse sororum.  
 Par facies, habitusque pares, par gestus in illis,

<sup>1</sup> *Turbantur Sorores, et sicut mare fluctuant in tantis suspensæ quæ Prudentia proposuerat illis.* Gloss in B.

<sup>2</sup> *contrahitur, B.*

<sup>3</sup> *pererrans, M.*

<sup>4</sup> *complanat, B.*

<sup>5</sup> *turbæ, B.*

<sup>6</sup> *instantis, B.*

<sup>7</sup> *levi, A.*

<sup>8</sup> *Erigitur Ratio ad loquendum, quæ omnino similis erat Prudentiæ in facie, habitu, gestu, modo, decore, sed vultus erat senioris, ternaque specula in dextra gerebat, in quibus se speculabatur ; unum speculum erat vitreum, secundum argenteum, tertium aureum.* Gloss in B.

<sup>9</sup> *nutant, B.*

<sup>10</sup> *non adversarum, B.*

Par modus atque decor, sed dispar vultus in annis ;  
 Nam potior Ratio senii vexilla gerebat,  
 Plenior ætate, plenis maturior annis.  
 Dextra manus triplicis speculi<sup>1</sup> flammata nitore  
 Splendet, et in triplici speculo triplicata resultat<sup>2</sup>  
 Vitrea mollities,<sup>3</sup> quæ tactus abdicat omnem  
 Insultum, digitique leves vix sustinet ictus.

Unius speculi sese concedit in usum  
 Attente Ratio, speculo speculatur in isto  
 Causarum seriem, rerum scrutatur abyssum,  
 Subjecti formæque videt connubia, cernit<sup>4</sup>  
 Oscula, quæ miscet concretio, quæve propinat  
 Unio nativa, formis subjecta maritans,  
 Subjecti<sup>5</sup> quæ forma<sup>6</sup> facit, quæ perficit esse,  
 Quæ rem conduit, vel quæ perducit<sup>7</sup> ad esse ;  
 Quæ generat, quæ mutat eam, quæ servat in esse,  
 Quid sit, vel quanta, qualis, vel quomodo sese  
 Res habeat, reliquosque status perquirat in illa.

Argenti<sup>8</sup> facies, fæces exuta metalli,  
 Infra se splendore diem stellasque relinquens,  
 Exultat, speculi formam vestita secundi.  
 Hic subjecta videt, formis viduata, reverti  
 Ad chaos antiquum, propriamque requirere matrem,  
 Inque statu proprio puram juvenescere formam,  
 Nec sua degeneris subjecti tædia flere,  
 Quomodo forma suo gaudens requiescit in esse ;  
 Nec varios fluctus subjecti naufraga sentit,  
 Qualiter ad proprium peregrina revertitur ortum,  
 Subjecti fugit occasus, et funera vitat.  
 Subjecti senio non deflorata juvenus,

<sup>1</sup> *speculi triplicis*, B. M.

<sup>2</sup> *resistat*, corrected to *resultat*, A.

<sup>3</sup> *In vitreo speculo speculatur formam in subjecto*. Gloss in B.

<sup>4</sup> *certat*, B.

<sup>5</sup> *Formam perficit res universas*  
 Gloss in B.

<sup>6</sup> *Subjectum quæ forma*, B.

<sup>7</sup> *producit*, B.

<sup>8</sup> *In argenteo speculo speculatur formas sine materia*. Gloss in B.

Formarum formas semper facit esse puellas.  
 Cernit inoffenso vultu, mentisque profundo,  
 Quomodo compositum simplex, cœleste caducum,  
 Diversum sit idem, gravidum leve, mobile certum,  
 Obscurum lucens, pretiosum vile, jocosum  
 Flebile, perpetuum mortale, volubile fixum.

Auri nobilitas,<sup>1</sup> auro decoctior omni,  
 Vixque suum dignata genus speciemque fateri,  
 In speculi transit speciem, quæ tertia rerum  
 Umbras mentiri nescit, sed singula monstrat  
 Certius,<sup>2</sup> et specie meliori cuncta figurat.  
 Hic rerum fontem, mundi genus, orbis ideam,<sup>3</sup>  
 Exemplar, speciem, causam, primordia, finem,  
 Conspicit, et certis metitur singula causis ;  
 Qua ratione, quibus causis, cur, quomodo, quando,  
 Instabilis, genitus, fluitans, mutabilis,<sup>4</sup> iste  
 Mundus ab ingenito, stabili, certoque figuram,  
 Esse, statum, speciem, vitam contraxit et ortum.  
 Quomodo terrestrem formam cœlestis idea  
 Gignit, et in nostram sobolem transcribit abyssum,<sup>5</sup>  
 Mittit in exilium<sup>6</sup> formas quas destinat orbi.  
 A patre degenerat proles, faciemque paternam  
 Exuit, antiqui vultus oblita parentis,  
 Qualiter in mundo phantasma resultat ideæ  
 Cujus inoffensus<sup>7</sup> splendor sentitur in umbra,  
 Qualiter a fonte formarum rivus aberrans<sup>8</sup>  
 Ingenitum perdit subjecti labe<sup>9</sup> nitorem.  
 Quid cogat fatum, quod casu defluat, aut quid  
 Arbitrii possit medio librata potestas.

<sup>1</sup> *In aureo speculo speculatur ideas et causas rerum primordiales.* Gloss in B.

<sup>2</sup> *Tersius, M. Cersius, B., with vel certius in the margin.*

<sup>3</sup> *Mentis conceptionem.* Gloss in A.

<sup>4</sup> *mirabilis, B.*

<sup>5</sup> *incertitudinem.* Gloss in A.

<sup>6</sup> *auxilium, M.*

<sup>7</sup> *in offensis, B.*

<sup>8</sup> *oberrans, A.*

<sup>9</sup> *laude, B.*

Se totam Ratio speculis expendit<sup>1</sup> in istis.  
Sed magis ad præsens visus indulget habenis,  
Mentem sollicitat, animum diffundit, ut intus  
Hauriat a speculis aliquid ratione probatum,  
Quod digne ferri tantas mereatur ad aures.<sup>2</sup>

---

<sup>1</sup> *extendit*, B.

| <sup>2</sup> *ad auras*, A.

## ANTICLAUDIANI

## DISTINCTIO SECUNDA.

## CAP. I.

*Incipit secunda distinctio. Hic desinit descriptio domus Rationis.*

Regia tota silet,<sup>1</sup> expirat murmur in altum,  
 Cum justi placidos<sup>2</sup> delegat<sup>3</sup> curia vultus,  
 Cum visu currit animus,<sup>4</sup> visumque volentem  
 Anticipare cupit visus auriga voluntas.  
 Evocat ergo foras mentem Rationis inundans  
 Eloquium, sermoque modum decurrit in istum.

“Plusquam<sup>5</sup> posse meum possit me posse jubetis,  
 “Dum vestram cogor indocta docere Minervam.<sup>6</sup>  
 “Sic myrti præsunt lauris, oleaster<sup>7</sup> olivis,  
 “Sic saliuca rosis, vilis sic alga<sup>8</sup> hyacinthis  
 “Præfertur, gemmisque lutum, violisque cicuta.<sup>9</sup>  
 “Sic ovis a capra mendicat velleris usum,  
 “Sic tumidus torrens a rivo postulat undam,  
 “Sic solet a dauco<sup>10</sup> Narcissus quærere formam,

<sup>1</sup> *Hic dicit quod postquam Ratio ita incepit speculari, regia tota silet sursum visu et intendens mente et expectans Rationis sententiam. Rubric in B.*

<sup>2</sup> *visu, B.*

<sup>3</sup> *mittit. Gloss in A.*

<sup>4</sup> *eorum. Gloss in A.*

<sup>5</sup> *Verba Rationis, dicit quod ultra sapientiam suam et posse petunt ab*

*ea concilium, velut si dies a candela lucem mendicaret, sed tamen malo, inquit, votis obsequi quam pro silentio suspicari superba. Rubric in B.*

<sup>6</sup> *i. sapientiam. Gloss in A.*

<sup>7</sup> *vigne sauvage. Gloss in A.*

<sup>8</sup> *wrec. Gloss in A.*

<sup>9</sup> *herba quædam fetida. Gloss in A.*

<sup>10</sup> *dano, A.*



“ Sic addit lucem candelæ flamma diei.  
 “ Sed quoniam cogit, jubet, instat vestra voluntas,  
 “ Ut super his quæ vestra modo discretio movit  
 “ Mendicata mei tandem suffragia dentur  
 “ Consilii, plene vestris obsistere votis  
 “ Nolo, sicque mea vobiscum velle voluntas  
 “ Incipit, ut tandem cupiat quodcunque necesse est  
 “ Defæcata minus,<sup>1</sup> aliamque rogantia formam  
 “ Consilii secreta mei deponere<sup>2</sup> vobis  
 “ Malo, quam votis vulgata fronte repugnem,  
 “ Aut mea coniectent suspecta silentia fastum.  
 “ Ergo precor veniam, veniam non<sup>3</sup> tarda sequetur<sup>4</sup>  
 “ Gratia, delicti<sup>5</sup> relevet compassio morbum,  
 “ Si minus excortas<sup>6</sup> rationes verba propinent,  
 “ Vel rationis inops jejunos sermo laboret,  
 “ Nec stupor invadat vestræ munimina mentis.<sup>7</sup>  
 “ Si sibi sermo meus maculas erroris adoptat,<sup>8</sup>  
 “ Error in humanis comes indefessus oberret,<sup>9</sup>  
 “ Denigrare solet fermenti copia quicquid  
 “ Humanus sermo vel mens humana volutat.<sup>10</sup>  
 “ Sic tamen officio finis respondeat, alter  
 “ Non orantis erit error,<sup>11</sup> nec culpa medentis,  
 “ Si finis primus<sup>12</sup> fraudetur fine secundo.  
 “ Non ferit assidue telem quæcunque<sup>13</sup> minatur.  
 “ Non semper medicus sanat, non ipse perorat  
 “ Rhetor, non logicus ad metam<sup>14</sup> pervenit, immo  
 “ Sæpe jacens calle medio defessus anhelat.  
 “ Decretum<sup>15</sup> prudens, cautum, laudabile, tutum,  
 “ Utile consilium Naturæ judico, votum  
 “ Approbo, propositum laudo, molimen adoro,

<sup>1</sup> manus, B.

<sup>2</sup> i. monstrare. Gloss in A.

<sup>3</sup> veniæ non, B. M.

<sup>4</sup> sequatur, M.

<sup>5</sup> delictum, B. M.

<sup>6</sup> puras (caminatas). Gloss in A.

<sup>7</sup> mentis molimina vestræ, B.

<sup>8</sup> adoptet, B.

<sup>9</sup> aborret, B. oberrat, M. ad-  
hæret. Gloss in A.

<sup>10</sup> cogitat. Gloss in A.

<sup>11</sup> Non est orantis error, M. lo-  
quentis. Gloss in A.

<sup>12</sup> primus finis, B.

<sup>13</sup> quicunque, M.

<sup>14</sup> conclusi oneris. Gloss in A.

<sup>15</sup> Discretum, B. M.

“ Ut novus in mundo peregrinet Lucifer, in quo  
 “ Nullius labis occasus nubilet ortum.  
 “ Solis in occasu, sol alter proferat ortum,  
 “ Sol novus in terris oriatur, cujus in ortu  
 “ Sol vetus occasus proprios lugere putetur;  
 “ Possideat solus quicquid possedimus omnes.  
 “ Omnis homo sic unus erit, sic omne quod unum:  
 “ Unus in esse suo, sed erit virtutibus omnis.  
 “ Sit contra vitia quæ nos extinguere temptant  
 “ Tutor, defensor, iudex, athleta,<sup>1</sup> patronus,  
 “ A nostris laribus cum nos exterminet<sup>2</sup> orbis,  
 “ Hic noster thalamus, nostrum firmetur asylum.

## CAP. II.

“ Non tamen inficior<sup>3</sup> uterinæ verba sororis,  
 “ Quæ tanti limam sapiunt<sup>4</sup> examinis,<sup>5</sup> immo  
 “ Verius hæc eadem possunt examina dici,  
 “ Cum nostrum fateatur opus, nostramque requirat  
 “ Incudem, fluitans humanæ machina molis.  
 “ Corpus ad esse suum vocat artis regula nostræ;  
 “ Excipit hæc hominis animam, quæ semper ab istis  
 “ Legibus excipitur, meliori pollice ducta.  
 “ Non tamen a tanto debet secedere voto  
 “ Instans propositum, nec citra prælia vinci;  
 “ Quamvis ad tantas operas tantumque laborem  
 “ Naturæ suspiret opus, citraque residat.<sup>6</sup>  
 “ Supplebit tamen ipsa manus divina quod infra  
 “ Perfecti normam naturæ norma relinquet.  
 “ Quod natura dedit<sup>7</sup> divinus perficit auctor;  
 “ Divinum creat ex nihilo, natura caducum  
 “ Procreat ex aliquo, Deus imperat, illa ministrat.

<sup>1</sup> *alletha*, B.  
<sup>2</sup> *exulat*. Gloss in A.  
<sup>3</sup> *insicior*, B. *contradico*. Gloss  
 in A.

<sup>4</sup> *sapiant*, B.  
<sup>5</sup> *i. probationis*. Gloss in A.  
<sup>6</sup> *abaise*. Gloss in A.  
<sup>7</sup> *facit*, B. M.

" Hic regit, illa facit, hic instruit, illa docetur.  
 " Ergo si nostris quæ sunt indigna favore  
 " Aspirat votis,<sup>1</sup> suspiria nostra relaxans,  
 " Plenius applaudet istis, quæ sola perorant.<sup>2</sup>  
 " Nec candore precum vestiri cultius orant  
 " Vota, tamen precibus nostris mellita<sup>3</sup> mereri  
 " Plus poterunt, tali melius condita sapore.  
 " Ergo vota, preces, animam<sup>4</sup> fundamus in illum,  
 " Ut nostris faveat votis, ut vota secundet,<sup>5</sup>  
 " Qui solus complere potest, nec tarda sequetur  
 " Mens divina preces,<sup>6</sup> si mens legaverit extra.  
 " Quam non rhetoricis oratio picta figuris,  
 " Non ignavus opum cumulus, non musa Maronis,  
 " Non amor hypocrita, nec honor venator amoris  
 " Demulcet, sed sola precum dulcedo perorat.  
 " Si tamen a fonte cordis deducta madescat,  
 " Restat in ambiguo, nec certa luce patescet,<sup>7</sup>  
 " Quæ nostrum, quibus auxiliis, quo calle viarum,  
 " In superas devecta domos, donetur honore  
 " Legati, quæ vota Deo præsentet, et instans  
 " Imbre precum, precibus divinas compluat aures.  
 " Sed tamen ut proprie mentis sententia dictat.

## CAP. III.

" Nulla potest melius istius muneris usum  
 " Amplecti, quam nostra soror Prudentia, cujus  
 " Debellare nequit virtutem turba laborum;  
 " Cujus iter, gressus, obstacula nulla retardant,  
 " Non strepitus, non ira maris, non vallis abyssus,  
 " Non juga, non celsi præceps audacia montis,  
 " Asperitasque viæ, saxis callosa, nec ipsæ  
 " Limitis ambages, desertaque nescia gressus,

---

<sup>1</sup> *Votis aspiret*, B. M.

<sup>2</sup> *perorat*, B.

<sup>3</sup> *mollita*, B.

<sup>4</sup> *animos*, B. M.

<sup>5</sup> *sederet*, B.

<sup>6</sup> *precem*, B.

<sup>7</sup> *patescit*, B. M.

“ Non rabies venti, non imbribus ebria nubes,  
 “ Non tonitrus, horrenda lues, non nubilus aer,  
 “ Quin superos adeat, quin visitet astra, Deique  
 “ Imbibat arcanum, divino fonte madescens.  
 “ Cernit in arcanis superum quis conditor orbis,  
 “ Quid Deus ipse velit, quid mundo præparet, aut quid  
 “ Prævideat, vel provideat, vel destinet orbi;  
 “ Quid possint cœli secreta, quid astra loquantur;  
 “ Cur cœli cursus motu nugetur<sup>1</sup> eodem,  
 “ Semper in occasum vergens; contraque planeta  
 “ Militet averso<sup>2</sup> motu, cœlumque refrenet.  
 “ Morbida Saturni quid mundo stella minetur,  
 “ Quamve salutis opem Jovialis gratia mundo  
 “ Nuntiet, aut Martis sidus quæ bella prophetet;  
 “ Quo duce, qua causa, quo fomite, quove patrono,  
 “ Temperie, motu, vita, splendore, meatu,  
 “ Providet, applaudit, blanditur, consulit orbi  
 “ Sol, oculus mundi, fons vitæ, cereus orbis;  
 “ Quas Venus illecebras, quæ tristia gaudia, tristes  
 “ Lætities, mala dulcia, pocula fellea, terris  
 “ Offert, et felle mellito compluit orbem;  
 “ Quo nexu, qua lege, meant, quo foedere juncti  
 “ Lucifer et nostri Cyllenius,<sup>3</sup> assecla solis,  
 “ Nascentis vexilla gerunt,<sup>4</sup> famulantur eunti  
 “ Alternantque vices, sibi quas partitur<sup>5</sup> uterque,  
 “ Alter in alterius usum transcribitur, alter  
 “ Solis in occasu splendescit, solis in ortu  
 “ Alter, et alterni sibi mutua nomina donant;  
 “ Hesperus occasum comitatur,<sup>6</sup> Lucifer ortum.  
 “ Quomodo mendicat alienum luna<sup>7</sup> decorem,  
 “ Cur a luce sua Phœbe demissa parumper  
 “ Detrimenta suæ deplorat lucis,<sup>8</sup> at infra

<sup>1</sup> *motu migretur*, B.

<sup>2</sup> *adverso*, B. M.

<sup>3</sup> *i. Mercurius*. Gloss in A.

<sup>4</sup> *gerit*, B.

<sup>5</sup> *partitus*, M.

<sup>6</sup> *comitatus*, M.

<sup>7</sup> *lima*, B.

<sup>8</sup> *lucis deplorat*, B. *deploret lucis*, M.

“ Plenius exhausta totius luminis amplam  
 “ Jacturam quæritur, sed rursus fratris in igne  
 “ Ardescens nutrit attriti damna decoris,  
 “ Perfectos tandem circumfert plena nitores.<sup>1</sup>  
 “ Quid ligat<sup>2</sup> in nube pluviam, cur mugiat aer,  
 “ Quis pariat ventos, quis eorum seminat iras,<sup>3</sup>  
 “ Cur in tot facies exit substantia nubis,  
 “ Nunc pluviae plena lacrimis, nunc cana pruinis,  
 “ Nunc vestita nivis facie, nunc grandinis arma<sup>4</sup>  
 “ Suscipit,<sup>5</sup> et cœli miratur terra sagittas.  
 “ Ergo quæ melius legati munus inibit  
 “ Quam Phronesis, cui cuncta Dei secreta loquuntur?<sup>6</sup>  
 “ Ergo si nostris vult condescendere votis,  
 “ Omnia provenient ut lex deposcit, et ordo  
 “ Postulat, et certis claudentur singula metis.  
 “ Nec puto<sup>7</sup> quod tanta rerum molimina, tantos  
 “ Conatus animi, tanti momenta<sup>8</sup> favoris  
 “ Defraudare velit, tantosque refellere quæstus.  
 “ Nil dubii superest, his concurrentibus; omnes  
 “ Aggrediamur opus; melior fortuna sequetur.  
 “ Dimidium qui cœpit habet; finisque beati  
 “ Gratia principiis semper respondet honestis.”

## CAP. IV.

Sic captat<sup>9</sup> animos<sup>10</sup> Ratio, mentesque sororum  
 Allicit, et turbam cogit plus velle volentem.  
 Sed tamen assensum Prudentia sola minorem  
 Donat, seque parem tanto negat esse labori.  
 Cogitur, illa negat, meruitque negatio cogi.  
 Fluctuat hæc, se nolle negat, nec velle fatetur;  
 Inter utrumque volat, nec vult, et nolle veretur.

<sup>1</sup> *Perfectum . . . nitorem, B.*

<sup>2</sup> *Quis ligat, B. Quis liget, M.*

<sup>3</sup> *seminet iras, M.*

<sup>4</sup> *i. spicula. Gloss in A.*

<sup>5</sup> *Suspicit, A.*

<sup>6</sup> *i. manifestantur. Gloss in A.*

<sup>7</sup> *Nec puro, B.*

<sup>8</sup> *fomenta, B.*

<sup>9</sup> *attrait. Gloss in A.*

<sup>10</sup> *Sic animos captat, B. M.*

Dum sic in dubio mens pendet, fluctuat, hæret,  
 In medium cuncta medians<sup>1</sup> Concordia sese<sup>2</sup>  
 Profert, in cujus facie deitatis imago  
 Splendet, et humani fastidit tædia vultus.  
 Pacem<sup>3</sup> sponte tenet crinis, flammantior auro,  
 Se sibi conciliat, nec opem sibi pectinis optat;  
 Sed sibi sufficiens in tanta pace quiescit,  
 Ut nec perflantis Boreæ suspiria crinem  
 Sollicitare queant, litisque creare tumultum.  
 Forma, figura, modus, numerus, mensura,<sup>4</sup> decenter  
 Membris aptatur, et debita munera solvit.  
 Sic sibi respondent concordi pace ligata  
 Membra, quod in nullo discors junctura videtur.  
 Unius vultus, uno contenta colore  
 Vestis, in ornatum membrorum transit, eisdem  
 Sic aptata foris, quod eis inscripta<sup>5</sup> putetur.  
 Illic arte sua vitam pictura secundam  
 Donat eis, quos castus amor, concordia simplex,  
 Pura fides, vera pietas, conjunxit, et unum<sup>6</sup>  
 Esse duos<sup>7</sup> fecit purgati fœdus amoris.

Nam David et Jonathas ibi<sup>8</sup> sunt duo, sunt tamen  
 unum;

Cum sint diversi, non sunt duo mente, sed unus.  
 Dimidiant animas, sibi se partitur uterque,  
 Ut sibi Pirithous<sup>9</sup> se reddat, redditus orbi,  
 Theseus inferni loca, monstra, pericula, temptat,<sup>10</sup>  
 Vivere posse negat in se nisi vivat in illo.

Tideus arma capit,<sup>11</sup> ut regnet Tideus alter;  
 In Polynice suo pugnat, seseque secundum  
 Dum regnare cupit sibi poscere regna videtur.

<sup>1</sup> moderans, B.

<sup>2</sup> Concordia profert se in medium.

Rubric in A.

<sup>3</sup> Descriptio. Rubric in A.

<sup>4</sup> junctura, M.

<sup>5</sup> Sic foris aptata, quod in eis  
 scripta, B. foris aptata, M.

<sup>6</sup> conjunxit in unum, B.

<sup>7</sup> Esse deos, B.

<sup>8</sup> i. veste Concordia. Gloss in A.

<sup>9</sup> Pirotheus, A.

<sup>10</sup> This line and the preceding are  
 transposed in B.

<sup>11</sup> rapit, B. M.

Alter in Euryalo comparet Nisus, et alter  
Eurialus viget in Niso, sic alter utrumque  
Reddit, et ex uno comitum<sup>1</sup> pensatur uterque.

Atrides fuit in furiis,<sup>2</sup> ejusque furorem  
Judicat esse suum Pylades, patiturque Megæram.  
Ne patiatur idem Pylades suus alter et idem,  
Hæc pictura suis loquitur mysteria signis,  
Nec res ipsa magis, nec lingua fidelius unquam  
Talia depingit,<sup>3</sup> talique sophismate visum  
Decipiens oculis, rerum concludit in umbra,  
Qui præco solet esse boni pacisque figura.  
Virginis in dextra foliorum crine comatus,  
Flore tumens, functus expectans, ramus olivæ  
Pubescit, nec matris humi solatia quærit.  
Quo mediante vices, nexus, et vincula rerum,  
Fœdus, amicitiam, pacem, Concordia nectit,  
Ad virgæ<sup>4</sup> nutum pacem sibi postulat illa,<sup>5</sup>  
Verborumque notis<sup>6</sup> succurrens, nutibus illis  
Prodit in hæc, verbique<sup>7</sup> sonum sententia dictat.

## CAP. V.

“ Si mea jura, meas leges, mea fœdera, mundus  
“ Olim servasset, vel adhuc servaret amoris  
“ Vincula, non tantis gemeret sub cladibus orbis.  
“ Non cœnam fratrum, non cœnæ flectet abusum  
“ Phœbus, et errantis naturæ crimina lugens,  
“ Noctis abusivæ tenebras legasset in orbem.  
“ Non<sup>8</sup> rex Thebanus,<sup>9</sup> Polynicis frater et hostis,  
“ Exutus fratrem sese mutasset in hostem.  
“ Non Progne<sup>10</sup> commenta dolos, exuta parentem,  
“ Pro pietate<sup>11</sup> scelus redolens, pro matre novercam,  
“ In sua degenerem vertisset viscera dextram.

<sup>1</sup> *domitum*, B.

<sup>2</sup> *in furias*, B.

<sup>3</sup> *depinxit*, B.

<sup>4</sup> *iurge*, B.

<sup>5</sup> Line omitted in MS.

<sup>6</sup> *votis*, B.

<sup>7</sup> *verbisque*, M.

<sup>8</sup> *Nec*, B.

<sup>9</sup> *Ethiocles*. Gloss in A.

<sup>10</sup> *Non patria*, M.

<sup>11</sup> *Proprietate*, M.

“ Trojæ nobilitas, Trojæ decus, inclyta Trojæ  
 “ Fama viret adhuc, nec laudis flore careret.  
 “ Non auri potum sitiens, non ebrius auro,  
 “ Aurum potasset Crassus, male potus<sup>1</sup> in auro.  
 “ Non olim civile nefas, non Cæsaris arma,  
 “ Non pueri<sup>2</sup> regis animum, non fœdera regni,  
 “ Non mortis servile genus, servosque probasset  
 “ Magnus,<sup>3</sup> et exanimis, truncatus, nudus honore  
 “ Funeris, in nuda solus jacuisset arena ;  
 “ Post tantos belli strepitus, post fulmina Martis,  
 “ Post gladii furias, post tot discrimina, Cæsar  
 “ Non fraudes, pugnamque styli sensisset inertem.  
 “ Cæsaris insultus, belli momenta, furorem  
 “ Fortunæ, casusque vices, Antonius olim  
 “ De facili posset vitasse, nec uxor<sup>4</sup> adaptans<sup>5</sup>  
 “ Mammis serpentes, colubros lactasset, et ipsos  
 “ Uberibus potans, potasset in ubere mortem.  
 “ Ni stabili nexu, concordi fœdere, pace  
 “ Perpetua, vicibusque meis elementa ligassem,  
 “ Intestinus adhuc strepitus primordia rerum  
 “ Dissona concuteret, germanaque bella moverent,<sup>6</sup>  
 “ Officiis excepta suis, ignara meatus,  
 “ Scabra situ, confusa locis, permixta figuris,  
 “ Fortuitis agitata modis, elementa jacerent.  
 “ Et nisi sponte meis obnoxia legibus essent  
 “ Astra poli, cœlique vices,<sup>7</sup> septemque planetæ,  
 “ Ordine, pace, fide, numero, nexuque ligati,  
 “ Omnia fortuitis fluere incerta ruinis.  
 “ Ni mea corporibus animas junctura ligasset,  
 “ Dedignas<sup>8</sup> habitare casas, ergastula carnis  
 “ Spiritus egrediens proprios remearet in ortus.  
 “ Hæc probat, hæc fatur, hæc disputat, hæc docet,  
 “ instat,<sup>9</sup>

<sup>1</sup> *i. potatus.* Gloss in A.

<sup>2</sup> *puri*, A. in margin.

<sup>3</sup> *i. Pompeius.* Gloss in A.

<sup>4</sup> *i. Cleopatra.* Gloss in A.

<sup>5</sup> *adoptans*, B. M.

<sup>6</sup> *moveret*, B. M.

<sup>7</sup> *Astra polique vices*, B.

<sup>8</sup> *Dedignans*, B. M.

<sup>9</sup> *ista*, M.



" Ostendit Ratio quod nil servatur in esse,<sup>1</sup>  
 " Quod servare meas leges et jura recusat.  
 " Nos ergo liget unus amor, liget et una<sup>2</sup> voluntas,  
 " Unum velle liget, liget unum nolle,<sup>3</sup> sorores.  
 " Cætera si pacis normam servare tenentur,  
 " Nos magis, ad quarum nutum disponitur orbis,  
 " Quas penes arbitrium, jus est, et regula mundi.  
 " Quis nexus, quis verus amor,<sup>4</sup> quod fœdus amoris,  
 " Quæ pietas, quæ pura fides, quæ linea recti,  
 " In rebus reliquis saltem vestigia pacis  
 " Servabit; si nostra manet concordia discors?  
 " Defluet in membra capitis jactura dolentis;  
 " Defluet in ramos vitium radicis amaræ;  
 " Defluet in rivos tabes cognata fluento.  
 " Quis lunæ splendor, si solis lumen oberrat?<sup>5</sup>  
 " Quis rivi fluctus, si copia fluminis absit?<sup>6</sup>  
 " Quis grani fructus, si torpens languet<sup>7</sup> arista.  
 " Si nostram pacem discordia dissuit<sup>8</sup>, immo  
 " Rumpit, nostra perit virtus; nam stare negatur  
 " Occasum patiens, in se divisa potestas.  
 " Cum nobis donet consensus robur adultum,  
 " Dissensus noster vires exhauriet istas.  
 " Effectus medicina suos divisa recusat.  
 " Quem sibi distribuunt rivi minus amnis inundat,  
 " Vel divisa minus candescit flamma camini.  
 " Acrior insultus vitiorum, pugnaque major  
 " Nobis incumbit,<sup>9</sup> si nos diviserit error.  
 " Postquam cæmenti rumpit discordia<sup>10</sup> muros,  
 " Hostili pugnae muros exponit inermes.  
 " Acrius insultat sævitque profundius ensis,

<sup>1</sup> *i. existentia sui.* Gloss in B.

<sup>2</sup> *liget una,* B. M.

<sup>3</sup> *velle,* B.

<sup>4</sup> *quis juris amor,* B.

<sup>5</sup> *oberret,* B.

<sup>6</sup> *vel, aret,* A. in margin. *si  
compta fluminis aret,* B.

<sup>7</sup> *tangit,* B. *torrens languet,* M.

<sup>8</sup> *dissolvit, dissuit,* B.

<sup>9</sup> *incumbet,* B. M.

<sup>10</sup> *concordia,* B.

“ Consertæ<sup>1</sup> partes ubi nulla repagula donant,  
 “ Nec series harum conserta recalcitrat ensi.  
 “ Acrius in volucrem<sup>2</sup> Jovialis fulminat ales,  
 “ Cum plebem volucrum venientem disgregat error.<sup>3</sup>  
 “ Uberius torrens effunditur, obice nullo  
 “ Defendente viam, fluvioque negante meatum.  
 “ Ergo concordēs votum curramus in unum,  
 “ Quod natura petit, ratio commendat, honestas  
 “ Approbat, immo cupit, pietas deposcit et optat.  
 “ Nec phronesis sola, distans, contraria,<sup>4</sup> discors,  
 “ Nos omnes pacis conformi lege jugatas  
 “ Dividit in partes, ut amoris vincla relaxet ;  
 “ Sed potius constans, congaudens, consona, concors  
 “ In nostram veniet<sup>5</sup> mentem, ne victa labore  
 “ Cedere credatur citra præludia luctæ ;  
 “ Vel tumido flatu perflare superbia mentem,  
 “ Vel sibi livor edax animi mordere recessus.  
 “ An quæ sola solet bona poscere, sola recidet  
 “ Hoc commune bonum ? nostrum decus ? utile votum ?  
 “ Nos omnes quæ sola libens et sponte movere  
 “ In tantum deberet opus, tantumque favorem,  
 “ In flammata<sup>6</sup> minus torperet nostra voluntas,  
 “ Nec tantum vellet animus conscendere<sup>7</sup> noster.”

CAP. VI.<sup>8</sup>

His verbis accensa magis Prudentia mentem  
 Sistit, et incerto figit vestigia mentis.  
 Tempestas animi moritur, fluctusque recedunt,  
 Velle suum commune facit cum velle sororum.  
 Cogitat, exquirat, studet, invenit, eligit ; ergo

<sup>1</sup> Altered in the margin of A. to  
*consectas.*

<sup>2</sup> *in volucres*, B.

<sup>3</sup> *venientis disgregat horror*, B. M.

<sup>4</sup> *dictans contraria*, B.

<sup>5</sup> *veniat*, B.

<sup>6</sup> *Si flammata*, B. M.

<sup>7</sup> *concedere*, B.

<sup>8</sup> *Hic assentit Prudentia votis sororum.* Rubric in A.

Quæ via, quis callis, quæ semita, rectius ipsam<sup>1</sup>  
 Deferet<sup>2</sup> ad superos, arcanaque regna Tonantis?  
 Utque minus possit gressus vexare viantis<sup>3</sup>  
 Limitis asperitas, pes scandala nesciat, immo  
 Ut citius possit animus<sup>4</sup> complere quod instat,  
 In quo percurrat cœlum, mare, sidera, currum  
 Imperat excudi sapientia, nec pede lento  
 Affectum sequitur effectus,<sup>5</sup> sed simul instant.  
 Nascitur effectus, cum nascitur ipsa voluntas,  
 Sic matri prolique simul conceditur ortus.  
 Cautæ, prudentes, pulchræ, similesque puellæ  
 Septem, quæ vultum sub septem vultibus unum  
 Reddunt, quas facies, genus, ætas, forma, potestas  
 Una tenet, tenet una fides, tenet una voluntas,  
 Assistunt Phronesi, Phronesis decreta sequuntur,  
 Ejus in obsequio semper fervere paratæ.  
 Tot dotes in eas effundunt dona sophiæ,  
 Quod sese totam Prudentia fundat<sup>6</sup> in illas,  
 Se partitur eis, sibi thesaurizat in illis.  
 Sic divisa tamen manet integra, sparsaque tandem  
 Colligitur, diffusa redit cum fœnore multo.  
 Delegans vultus in eam mentisque latebras,  
 In vultu velut in speculo chorus iste sororum  
 Conspicit, attendit, discit, notat, atque docetur  
 Quicquid charta tenet, quicquid mens concipit;<sup>7</sup> audet  
 Lingua loqui, totamque bibit sine fine sophiam.  
 Quid<sup>8</sup> manus artificis, pictoris gratia, fabri  
 Dexteræ, sculptoris sollers industria, poscit,  
 Ut Xeuxis<sup>9</sup> pingit chorus hic, ut Milo figurat,  
 Ut Fabius loquitur, ut Tullius ipse perorat,  
 Ut Samius<sup>10</sup> sentit, sapit ut Plato, quærit ut Hermes,  
 Dividit ut Socrates, ut Zeno colligit, instat

<sup>1</sup> *illam*, B.<sup>2</sup> *Deferat*, B.<sup>3</sup> *vel, meantis*, A. in margin.<sup>4</sup> *possit minus*, B. *munus*, M.<sup>5</sup> *affectus*, B. M.<sup>6</sup> *fundit*, B. M.<sup>7</sup> *conspicit*, B.<sup>8</sup> *Quod manus*, B. M.<sup>9</sup> *Zeustis*, A. *Zensis*, B.<sup>10</sup> *Pythagoras*. Gloss in B.

Ut Briso,<sup>1</sup> studet ut Crisis, speculatur ut Argus,  
 Temporis excursus ut Cæsar cogit, ut Athlas  
 Sidera perquirat, ut Zetus pondera librat,  
 Tanquam Crysippus numerat, metitur ut alter  
 Euclides, canit ut Phœbus, citharizat ut Orpheus,  
 Circinat ut Perdix, ut Dædalus erigit arces,  
 Fabricat ut Cyclops, ut Lemnius<sup>2</sup> arma monetat,  
 Instruit ut Seneca, blanditur ut Appius, urget  
 Ut Cato, succendit ut Curio, velat ut alter<sup>3</sup>  
 Persius, ut Crassus simulans, ut Julius alter  
 Dissimulans, ut Soldius<sup>4</sup> implicat, explicat idem  
 Ut Naso, vernat ut Statius, ut Maro dictat.<sup>5</sup>  
 Concipit, exponit, imitatur,<sup>6</sup> gestat, adimplet,  
 Mercurii sensus, nostri Demosthenis iras,  
 Ovidii flumen, Lucani fulmen, abyssum  
 Virgillii, morsus Satyræ, Solonis<sup>7</sup> asylum.

## CAP. VII.

Ergo Minerva videns<sup>8</sup> tanto splendore sophiæ,  
 Tot donis, tantisque datis, splendere sorores,  
 Ordinat, injungit, jubet, imperat, orat, ut instans  
 Quælibet illarum<sup>9</sup> comitum, comitante Sophia,  
 Corpore, mente, fide, studeat, desudet, anhelet,  
 Instet, et<sup>10</sup> efficiat, ut currus currat ad esse,  
 Quo terræ spatium, mare, nubila, sidera, cœlum,  
 Transiet,<sup>11</sup> et trini superato cardine cœli,  
 Scrutetur secreta noys, sensusque profundos  
 Hauriat, et summi perquiret<sup>12</sup> velle magistri.  
 Vix satis expressit votum, cum vota jubentis  
 Certatim complere student, seseque sorores

<sup>1</sup> *Ut Drisso, B. Ut Brisso, M.*

<sup>2</sup> *i. Vulcanus. Gloss in A.*

<sup>3</sup> *volat et alter, B.*

<sup>4</sup> *Solidus, A. B.*

<sup>5</sup> *distat, B.*

<sup>6</sup> *mutatur, B.*

<sup>7</sup> *Salomonis, A.*

<sup>8</sup> *Sapientia ammonet sorores ad currum faciendum. Rubric in A.*

<sup>9</sup> *istarum, B. M.*

<sup>10</sup> *Instat, et, B.*

<sup>11</sup> *Transeat, B. M.*

<sup>12</sup> *perquirat, M.*

Accingunt operi, non mens discordat ab actu,  
 Non a mente manus, sed eam delegat in actum  
 Affectus mentis; manus ergo prædicat extra  
 Quod mens intus habet; sic mentis lingua fidelis  
 Fit manus, et proprio mentem depingit in actu.

Harum prima<sup>1</sup> studet, ut temo præambulus axis,  
 Et quasi venturi quædam præfatio curris,<sup>2</sup>  
 Prodeat, ut tanti sit pars primæva laboris.  
 Illa vigil, studiosa, libens, attentata, laborans,  
 Indulgens operi, mentem deducit in actum,  
 Non habitu vilis, non vultu sordida, gestu  
 Degener, incompta verbis, vel barbara factis;  
 Sed tamen in vultu præscribit signa laboris  
 Pallor; sed modicus, qui non præscribit ab ore<sup>3</sup>  
 Purpureos ignes, niveique coloris<sup>4</sup> honorem,  
 Cum flos virgineus non defloretur in illa,  
 Nec proprium frangat<sup>5</sup> Veneris fractura<sup>6</sup> pudorem.  
 Sunt tamen in multo lactis torrente natantes  
 Mammæ, subducti mentitæ damna pudoris.  
 Dum suspirat adhuc lactantis ad ubera matris,  
 Infantem cibatur iste cibus, liquidoque fovetur  
 Quem solidum<sup>7</sup> non pascit adhuc, dum pocula lactis  
 Lactea delibat ætas, potuque sub uno  
 Et cibus et potus in solo lacte resudat.  
 Asperat illa manum scutica,<sup>8</sup> qua punit abusus  
 Quos de more suo puerilis combibit<sup>9</sup> ætas.  
 Verberibus sic asperat ubera, verbera mollit  
 Uberibus; facto pater est et mater eodem,  
 Verbere compensat<sup>10</sup> patrem, gerit ubere matrem.  
 Officio scalpri<sup>11</sup> servit manus altera, dentes  
 Liberat a scabie, dum buxum dentis in ipsum

<sup>1</sup> *Grammatica in primis fabricat*  
*temones.* Rubric in A.

<sup>2</sup> *currus,* B. M.

<sup>3</sup> *in ore,* M.

<sup>4</sup> *caloris,* M.

<sup>5</sup> *frangit,* M.

<sup>6</sup> *vultus fractura,* B.

<sup>7</sup> *Quem solidus,* B.

<sup>8</sup> *sairgée.* Gloss in A.

<sup>9</sup> *combuit,* B.

<sup>10</sup> *pacificat.* Gloss in A.

<sup>11</sup> *i. calculi.* Gloss in A.

Vertit ebur, rursusque suo candore venustat.  
 Vel si dens aliquis aliorum de grege solus  
 Deviet, excessum sub justa lance recidit.<sup>1</sup>  
 Infantes docet illa loqui, linguasque ligatas  
 Solvit, et in propriam deducit verba monetam.

Candida Niliaco vestis contexta<sup>2</sup> papyro  
 Vestit eam, formæ non detrahit illa, nec illi  
 Forma nocet, cultus formæ connubia grata<sup>3</sup>  
 Nectunt, et sese proprio venerantur honore.  
 Vestibus his inscripta manent, descripta resultant  
 Artis grammaticæ virtus, natura, potestas,  
 Ordo, materies, pars, finis, nomen, et auctor,  
 Officium, species, genus, instrumenta, facultas.  
 Illic imperium datur arti, regula regnat,  
 Exilium patitur vitium, veniamque mereri  
 Nescit, grammaticæ patiens sine fine repulsam,  
 Defendens sese propria ratione, figura,  
 Excubat ante fores artis, veniamque precatur.  
 Ars admittit eam, veniam largita precanti,  
 Nec fovet in gremio, sed tantum sustinet illam.  
 Hic docet ars, monstrat ratio, doctrina fatetur  
 Littera cur simplex, cur indivisa vocetur,  
 Cur sibi mendicet elementi littera nomen,  
 Vel tropice soleat elementum littera dici.  
 Quæ pingant elementa notæ, quæ nomina signant,<sup>4</sup>  
 Quis claudat numerus, quis congruat ordo, potestas  
 Quæ sit, et has species certo sub canone claudit.  
 Cur tenui<sup>5</sup> dejecta sono poscentia vocem  
 Cætera mutescant, verum vocalis aperte  
 Clamitat, et reliquis vocis spiracula donet.  
 Qua ratione, quibus causis .h. littera non sit,  
 Cum<sup>6</sup> sibi prætendat<sup>7</sup> scripturam, nomen, et usum.

<sup>1</sup> recidit, B.

<sup>2</sup> contenta, B.

<sup>3</sup> grata, M.

<sup>4</sup> Corrected from *signent*, in A.  
*signent*, B. M.

<sup>5</sup> *Quid tenui*, B.

<sup>6</sup> *Cur sibi*, A.

<sup>7</sup> *prætendit*, B.

Si<sup>1</sup> cifri<sup>2</sup> loca possideat, solaque figura<sup>3</sup>  
 Jus sibi defendens elementi<sup>4</sup> præferat umbram.  
 Qualiter in metro secum rixata liquescat  
 Vocalis, vocisque suæ<sup>5</sup> deperdat honorem.  
 Qualiter in metro nativas littera vires  
 Perdat,<sup>6</sup> et ad tempus languet præscripta potestas.  
 Qualiter in metro vires et jura duarum  
 Vendicet<sup>7</sup> una sibi, redimendo damna sororum.  
 Quomodo diversas species vox induat<sup>8</sup> una,  
 Quam gravis accentus infra demittit, acutus  
 Erigit, in gyrum fert circumflexus eandem.  
 Quidve sibi proprium defendit littera, quidve  
 Syllaba, quid proprii juris sibi dictio servat,  
 Quid proprie proprium nomen sibi vendicat,<sup>9</sup> aut quid  
 Appropriat verbum sibi,<sup>10</sup> quid pronomen adoptat,  
 Quid reliquæ partes proprio sibi jure<sup>11</sup> reservant.  
 Quid nomen proprie designat, quid peregrine  
 Insinuat, quid verba notant, pronomina signant,  
 Cum<sup>12</sup> subjecta notent, cur sic pronomina formæ  
 Dedignentur opem, quo<sup>13</sup> demonstratio sola  
 Subveniat, formæque vicem compenset in illis.  
 Qua ratione regat pars partem, quave regatur.  
 Cur nomen substans aliis, vel, cætera pingens,  
 Materiæ gerat officium, formamque<sup>14</sup> figuret,  
 Verbi cur redimat<sup>15</sup> in se vel transeat actus.  
 Fœdus amicitiae verbis cur<sup>16</sup> nomina servant,  
 Et verbo junctum solvat sua debita nomen,  
 Quæ nisi conveniant,<sup>17</sup> oratio muta tacebit,  
 Nec plenos<sup>18</sup> sensus vox decurtata loquetur.

<sup>1</sup> *Sed*, M.<sup>2</sup> *chifri*, B.<sup>3</sup> *solamque figuram*, B.<sup>4</sup> *elementa*, B.<sup>5</sup> *vocisque suum*, B. M.<sup>6</sup> *Perdit*, B. M.<sup>7</sup> *Vendicat*, B. *Vindicat*, M.<sup>8</sup> Corrected from *induit* in A.*induit*, B. M.<sup>9</sup> *vindicat*, M.<sup>10</sup> *sibi verbum*, B.<sup>11</sup> *proprio servire*, B.<sup>12</sup> *Cur subjecta notent*, B.<sup>13</sup> *quod*, B. M.<sup>14</sup> *formamve*, B. M.<sup>15</sup> *redeat*, B. M.<sup>16</sup> *cur verbis*, B. M.<sup>17</sup> *conveniat*, M.<sup>18</sup> *Vel plenos*, A.

Cur, partem capiens ab utroque, rependat utrique  
 Dictio quod<sup>1</sup> debetur ei, sic reddit<sup>2</sup> utrumque  
 Quod neutrum,<sup>3</sup> mediumque tenens mediatur utrinque.  
 Cur reliquæ partes istas voventur,<sup>4</sup> et istis  
 Sese submittant, nec eis servire recusant.<sup>5</sup>  
 Hæc artis series seriatim picta propinat  
 Delicias oculis, et menti fercula donat.  
 Nam pictor prædoctus eam depinxerat,<sup>6</sup> immo  
 Plus pictore potens picturaque clamitat illum.

## CAP. VIII.

Aggrediens proprium virgo præfata<sup>7</sup> laborem,  
 Non oneris concussa metu, non fracta labore,  
 Ad proprium desudat opus, multumque rebellis  
 Materies tandem sequitur superata volentem.  
 Nam prædicta<sup>8</sup> jacent ad tempus, et otia servant,  
 Instrumenta quibus pueriles excolit annos,  
 Et mentita<sup>9</sup> fabrum fabrilibus utitur armis,  
 Materiæ fluxum superat, cogitque negantem  
 Materiem<sup>10</sup> servire sibi, lignique rigorem  
 Edomat, et lignum temonis<sup>11</sup> imagine vestit.  
 Hic ortu sculptura novo, vitæque recenti  
 Grammaticæ locat artifices, et cudere cogit;<sup>12</sup>  
 Illic Donatus<sup>13</sup> rector,<sup>14</sup> patronus, et hæres,  
 Grammaticæ præcepta docens, vitiumque recidens,  
 Doctrina, verbis, studio, ratione, figura,  
 Ampliat, extollit, ditat,<sup>15</sup> defendit,<sup>16</sup> honestat

<sup>1</sup> *quæ*, A.<sup>2</sup> *reddat*, B.<sup>3</sup> *Quod venturum*, B.<sup>4</sup> *istas venerentur*, B. M.<sup>5</sup> *recusent*, B. M.<sup>6</sup> *descripserat*, B. M. —<sup>7</sup> *Grammatica perficit temones.*  
 Rubric in A. i. *Grammatica.*  
 Gloss in A.<sup>8</sup> *Non prædicta*, B.<sup>9</sup> *At mentita*, B.<sup>10</sup> *Materiam*, B. M.<sup>11</sup> *Temones fabricantur.* Rubric  
 in A.<sup>12</sup> *et vivere cogit*, B.<sup>13</sup> *Donatus ibi docet.* Rubric in  
 A.<sup>14</sup> *rhetor*, M.<sup>15</sup> *dictat*, B.<sup>16</sup> *fæcundat*, A., in the text, cor-  
 rected to *defendit* in the margin.  
*defendat*, A.



Grammaticam, nomenque sibi speciale meretur,  
 Ut non grammaticus dicatur; at emphasis<sup>1</sup> ipsam  
 Grammaticam vocat hunc,<sup>2</sup> signans sub nomine numen.  
 Noster Aristarchus donaria fundit in artem  
 Grammaticam, cujus thesauros ampliat, auget  
 Divitias, viresque suas mensurat in illa.  
 Partes grammaticæ dissutas cogit in unum  
 Dindimus, et propriis describit singula formis.

Grammaticæ tractus pertractat apostata<sup>3</sup> noster,  
 Pigrius in dictis torporis<sup>4</sup> somnia passus,  
 In scriptis errans propriis, aut ebrius esse,  
 Aut magis insanus, aut dormire putatur.  
 Claudicat ille fide, ne fama claudicet ejus  
 Tractatus, venditque fidem, ne præmia libri  
 Depereant, erratque fides, ne ramor oberret.<sup>5</sup>  
 Solos artifices quos fama beavit adulta<sup>6</sup>  
 Laude, nec a fama discessit gloria facti;  
 Hæc sculptura tenet, minime dignata fateri  
 Grammaticos humiles, qui solo cortice gaudent;  
 Quos non admittit intus pinguedo medullæ,  
 Sed foris exposcunt fragmenta,<sup>7</sup> putamine solo  
 Contenti, nuclei nequeunt libare saporem.<sup>8</sup>

---

<sup>1</sup> *illa figura.* Gloss in A.

<sup>2</sup> *vocat hac,* B.

<sup>3</sup> *i. Priscianus.* Gloss in A.

<sup>4</sup> *erroris,* B.

<sup>5</sup> *aberret,* B. M.

<sup>6</sup> *i. perfecta.* Gloss in A.

<sup>7</sup> *stramenta,* B.

<sup>8</sup> *gustare saporem,* M.

---

## ANTICLAUDIANI

## DISTINCTIO TERTIA.

CAP. I.<sup>1</sup>*Incipit tertia distinctio.*

Latius inquirens,<sup>2</sup> sollers, studiosa, laborans,  
 Virgo secunda studet, intrat penetrabilia mentis,  
 Sollicitatque manum, mentem manus excitat,<sup>3</sup> urget  
 Ingenium, sensus proprios invitat, ut axis  
 Effigiet speciem, multoque secundet honore;<sup>4</sup>  
 Ut nec materiæ, nec formæ, laude secundus  
 Cum temone suo<sup>5</sup> contendens disputet axis,  
 Firmus<sup>6</sup> præcellens specie concludat eidem,  
 Et decor et species afflasset virginis artus,  
 Sicut præsignis<sup>7</sup> membrorum disserit<sup>8</sup> ordo,  
 Ni facies quadam macie respersa jaceret,  
 Vallat eam macies, macie vallata profunde<sup>9</sup>  
 Subsudet, et nudis cutis ossibus arida nubit.  
 Hæc habitu, gestu, macie, pallore, figurat  
 Insomnes animi motus, vigilemque Minervam  
 Prædicat, et secum vigiles vigilasse lucernas.

<sup>1</sup> *Dialectica studet fabricare axem.*  
 Rubric in A.

<sup>2</sup> *intendens*, B. M.

<sup>3</sup> Written originally [*excutat*, in A., but corrected to *excitat* by a contemporary hand.

<sup>4</sup> *sederet honore*, B,

<sup>5</sup> *i. temoni.* Gloss in A.

<sup>6</sup> *Imo præcellens*, M.

<sup>7</sup> *præscriptus*, B.

<sup>8</sup> *monstrat.* Gloss in A.

<sup>9</sup> *profunda*, B.

Quodam litigio contendens crinis in ima <sup>1</sup>  
 Deviat, et secum pugnans rixatur inepte.  
 Nec <sup>2</sup> pecten castigat eam, <sup>3</sup> non forcipis urget  
 Morsus, tonsuræ non mordet apocopa finem.  
 Dum stellis oculi certant, ardere putantur;  
 Succumbunt aquilæ visus, et lyncis adorant  
 Intuitus oculos tales, seseque fatentur  
 Devictos, et eis sese conferre verentur.  
 Dextra manus florum <sup>4</sup> donatur honore, sinistram  
 Scorpius accendens <sup>5</sup> caudæ mucrone minatur.  
 Mel sapit ista manus, fellis gerit illa saporem;  
 Hæc spondet risum, fletu concluditur illa;  
 Hæc capit, illa fugat; hæc afficit, inficit illa;  
 Hæc ferit, hæc mulcet; hæc ungit, pungitur illa.  
 Non sordis squalore jacens, non luce superba  
 Vestis erat, medium retinens utrimque reducta. <sup>6</sup>  
 Illic arte nova pictor novus, histrio veri,  
 Monstrat elenchorum pugnas, <sup>7</sup> logicæque duellum;  
 Qualiter ancipiti <sup>8</sup> gladii mucrone coruscans  
 Vis logicæ veri facie tunicata recidit  
 Falsa, negans falsum veri latitare sub umbra.  
 Cur pseudologicus, artis fur, artis adulter,  
 Falsus et hypocrita, furtivus prædo, sophista,  
 Mentitur logicæ vultum, fretusque quibusdam  
 Prodigiiis, temptat pro vero vendere falsum.  
 Quid <sup>9</sup> locus in logica dicatur, quidve localis  
 Congruitas, quid causa loci, quid maxima, quid sit  
 Vis argumenti, manans a fonte locali.  
 Cur argumentum firmet locus, armet elenchum,  
 Maxima quæ vires proprias largitur elencho.  
 Quomodo materia <sup>10</sup> vel forma peccat elenchus,

<sup>1</sup> *una*, B.<sup>2</sup> *Non*, B. M.<sup>3</sup> *eum*, B. M.<sup>4</sup> *floris*, B. M.<sup>5</sup> *incendens*, corrected to *accen-*  
*dens* in A. *incidens*, B. M.<sup>6</sup> *reducta*, A.<sup>7</sup> *pugnans*, B.<sup>8</sup> *ancipitis*, B.<sup>9</sup> *Quis*, A.<sup>10</sup> *materie*, B.

Et sola facie larvam præterdit elenchi.  
 Cur ex præmissis conclusio nata loquendo  
 Quæ præmissa velint vultu signetur eorum.  
 Cur liget extremos medius mediator eorum  
 Terminus, et firmo confibulet omnia nexu.  
 Cur decurtati specie nascantur<sup>1</sup> elenchi,  
 Quando vel aphæresis vel syncopa curtat elenchum.  
 Qualiter usurpans vires et robur elenchi,  
 Singula percurrit inductio, colligit omne,  
 Sed tamen inferior sese submittit elencho.  
 Qualiter exemplum de se parit, immo recisa  
 Parte sui curtata parens sibi pignora gignit.  
 Qualiter est mutata<sup>2</sup> locis ars ipsa localis ;  
 Nec<sup>3</sup> tamen est conclusa loco, cum non loca quærat,  
 Immo locum, captatque<sup>4</sup> locos ignara locorum.  
 Quomodo diffinit, partitur, colligit, unit  
 Singula quæ gremio complectitur illa capaci.  
 Quomodo res pingens descriptio claudit easdem,  
 Nec sinit in varios descriptio<sup>5</sup> currere vultus.  
 Quid genus in species divisum separat,<sup>6</sup> aut quid  
 Dividit in partes totum, rursusque<sup>7</sup> renodat  
 Quæ sunt sparsa prius, divisaque cogit in unum.  
 Qualiter ars logicæ tanquam via, janua, clavis,  
 Ostendit, reserat, aperit secreta sophiæ.  
 Qualiter arma gerit, et in omni militat arte,  
 Ascribitque sibi causas et damna sororum.  
 Qualiter hæc reliquas defendit, ditat egentes,  
 Roborat infirmas, elingues instruit, ornat  
 Incomptas, torpentes excitat, armat inermes.  
 Qualiter hæc purgat vitium, fæcemque repellit,  
 Si quid inest fæcis, vitium ne deroget arti.  
 Qualiter incudem servat, ne falsa monetet<sup>8</sup>

<sup>1</sup> *species nascatur*, B. M.

<sup>2</sup> *munita*, B. M.

<sup>3</sup> *Non*, B.

<sup>4</sup> *capiatque*, B. M.

<sup>5</sup> *descriptum*, B. M.

<sup>6</sup> *separet*, B.

<sup>7</sup> *rursumque*, B. M.

<sup>8</sup> *moveret*, B.

Argumenta sibi furtiva fraude sophista.  
 Hæc expressa tenet inscriptio vestis, ut artem,  
 Et proprios pugiles, et luctam poscere credas.  
 Hunc habitum, gestum, formam, speciemque puella  
 Prætextata gerit, sed florem dextra resignat<sup>1</sup>  
 Ad præsens, aliisque vacat, serpensque sinistra<sup>2</sup>  
 Exit, et ad majus urget manus utraque votum.  
 Virginis ergo manus ne torpor inebriet, assunt  
 Instrumenta fabri, manibus quæ Lemnius ipsa<sup>3</sup>  
 Commodat, et propriis illi deservit in armis.  
 Ergo se totam concedens virgo labori  
 Duritiem ferri temptat mollire, rigorem  
 Flectere, torporem delere, fugare stuporem,  
 Ut ferri delicta domans exemplet in axem.  
 Materiem<sup>4</sup> ferri vultu meliore figurans  
 Nunc ignis demollit eam, nunc malleus ipsam  
 Flectit, et ad cultum ferri suspirat uterque.  
 Sic ferrum ferro contendit ut excolat illud,  
 Ut socium venerans sese veneretur in illo.  
 Post multum sudoris opus, post prælia luctæ,  
 Insultum ferri vincit labor improbus, aufert  
 Nequitiam, motumque ligat, rixamque retundit,  
 Materiam<sup>5</sup> ferit in formam, vestitque figura;  
 Et quæ jam fuerat discors, rudis, hispide, torpens,  
 Temperiem, formam, cultum, nomenque<sup>6</sup> resumit  
 Materies, axisque gerit formata figuram.<sup>7</sup>  
 Picturæ series cum forma<sup>8</sup> prædicat illic  
 Auctores logicæ, quos donat fama perenni  
 Vita, nec sepelit illos quos terra sepultos  
 Velat, sed recolens defunctos suscitât orbi.  
 Illic Porphyrius directo tramite pontem  
 Dirigit, et monstrat callem quo lector abyssum

<sup>1</sup> *i. deponit.* Gloss in A.

<sup>2</sup> *sinistram*, B. M.

<sup>3</sup> Corrected to *ipsa* in A. *ipse*, M.

<sup>4</sup> *Materiam*, M.

<sup>5</sup> *Materiem*, M.

<sup>6</sup> *motumque*, corrected to *nomen-*  
*que*, A. *motumque*, B. M.

<sup>7</sup> *Axis fabricatur hic.* Rubric in  
 A.

<sup>8</sup> *cum fama*, B. M.

Intrat Aristotilis, penetrans penetralia libri.  
 Illic Porphyrius arcana resolvit, ut alter  
 Ædipodes nostri solvens ænigmata Sphingos.  
 Verborum turbator adest, et turbine multos  
 Turbat Aristotiles noster, gaudetque latere.  
 Sic logicam tractat ut non<sup>1</sup> tractasse videtur;  
 Non quod oberret<sup>2</sup> in hoc, sed quod velamine verbi  
 Omnia sic velat, quod vix labor ista<sup>3</sup> revelet.  
 Qui tamen idcirco vestit sua dicta latebris,  
 Ne sua prosternat secreta suumque relinquens  
 Arcanum vulgo tandem vilescere cogat.  
 Nam sua secreti majestas vilet, et omni  
 Privatur splendore sui, si publica fiat.  
 Nam res vulgatæ semper fastidia gignunt;  
 Ex re vulgata contemptus nausea surgit.<sup>4</sup>  
 Zeno, pugil logicus, logices athleta,<sup>5</sup> sophiæ  
 Rex et ductor adest, logicæ sibi prælia quærens,  
 Illius nudat latebras imosque recessus.  
 In lucem tenebrosa refert, nova ducit in usum,  
 Excusatque tropos, in normam schema reducit.  
 Exerit ambiguum Severinus, quo duce linquens  
 Natalem linguam, nostri peregrinat in usum  
 Sermonis logicæ virtus, ditatque<sup>6</sup> Latinum.

CAP. II.<sup>7</sup>

Non cultu<sup>8</sup> facieque minor, non arte secunda,  
 Tertia virgo suo non fraudat munere currum.  
 Evocat exterius mentem, studioque vocatam  
 Destinât, atque manus animo ducente gubernat,  
 Supremasque manus apponit, opusque sororum

<sup>1</sup> *quod non*, B.  
<sup>2</sup> *aberret*, B. M. *aberret*, corrected to *oberret*, A.  
<sup>3</sup> *illa*, B.  
<sup>4</sup> *frangit vel surgit*, A.  
<sup>5</sup> Corrected to *prudens athleta* in

a later hand in A. *logicus athleta*, B.  
<sup>6</sup> *dicatque*, M.  
<sup>7</sup> *Rhetorica deaurat temones et axem et depingit*. Rubric in A.  
<sup>8</sup> *vultu*, corrected to *cultu*, A.

Perficit, atque semel factum perfectius ornat.  
 Excolit illa gradu supremo, quæ positivo<sup>1</sup>  
 Facta gradu fuerant, sed non augmenta superni  
 Finis contigerant,<sup>2</sup> gradibus contenta secundis.<sup>3</sup>  
 Nec mirum, si facta prius perfectius ornans  
 Perficit, et factum cultu meliore venustat,  
 Cui magis arridet species, et gratia formæ,  
 Quæ comites<sup>4</sup> multa pictoris prævenit<sup>5</sup> arte,  
 Totam pictoris artem sub pectore claudens.  
 Exemplans auri speciem, miraque politus  
 Arte jacet crinis, investit colla capillus,  
 In vultuque natat color igneus, ignis in ore  
 Purpureum<sup>6</sup> roseo vultum splendore colorat.  
 Sed parti vultus candor peregrinus inhæret,  
 Nativoque suum certat<sup>7</sup> miscere colorem.  
 Nunc vario fluctu lacrimarum vultus inundat,  
 Nunc vultum varii risus aurora serenat,  
 Abstergens fletus lacrimas, nunc virgo severos  
 Vultus prætendit<sup>8</sup> cum majestate rigoris.  
 Nunc oculos sursum lumen delegat, in imum  
 Nunc cadit hujus apex, nunc totum lucis acumen  
 In latus obliquans anfractus<sup>9</sup> quærit et umbram.  
 In dextra gerit illa tubam, cornuque sinistram  
 Donat, et in cornu signat præludia belli.<sup>10</sup>  
 Claudit eam vestis quæ, picturata colore  
 Multiplici, ridet varios induta colores.  
 Hic pictoris ope splendet picturata coloris  
 Rhetorici, sic picturam pictura colorat.  
 Hic velut in libro legitur, quis finis, et auctor,  
 Forma vel officium, quæ causa, quis ordo, quod artis  
 Rhetoricæ proprium, quæ virtus, qualiter instans  
 Nunc tonat illa minis, nunc verbi luce coruscat,

<sup>1</sup> *posituro*, B.<sup>2</sup> *contingunt*, B.<sup>3</sup> *i. prosperis*. Gloss in A.<sup>4</sup> *Quod comites*, B.<sup>5</sup> *i. superat*. Gloss in A.<sup>6</sup> *Purpureus*, B. M.<sup>7</sup> *temptat miscere*, B.<sup>8</sup> *Prætendit vultus*, B.<sup>9</sup> *i. exitus*. Gloss in A.<sup>10</sup> *belli præludia signat*, B.

Nunc pluit illa preces, nunc laudibus imbuit aurem.  
 Quid causæ genus efficiat, quo tendat,<sup>1</sup> et ad quem  
 Deveniens finem deliberet utile, justum  
 Judicet, affirmet rectum, demonstrat<sup>2</sup> honestum.  
 Quæ partes artis, quis earum texitur ordo,  
 Qualiter in primis ars invenit, ipsaque tandem  
 Ordinatur, eloquitur, memorat, pronuntiat, ut sic  
 Ordine legitimo sibimet respondeat ordo.  
 Quas vel quot partes oratio rhetoris in se  
 Contineat, vel qua serie texantur in illa.  
 Quomodo principium mentem movet,<sup>3</sup> erigit aurem,  
 Excitat auditum, cor judicis apparatus illi,  
 Quo magis attentus, docilis magis, atque benignus  
 Redditur auditor, et mentem dedicat auri.  
 Quomodo sub brevibus verbis narratio verum  
 Explicat, aut latitans veri sub imagine falsum.  
 Qualiter in summa partitio colligit omne  
 Quod sequitur, dispersa legens, diffusa coarctans.  
 Qualiter in partem faciens assertio nostram  
 Argumenta notat,<sup>4</sup> probat, exprimit, astruit, infert.  
 Qualiter oppositam<sup>5</sup> ferit infirmatio<sup>6</sup> partem,  
 Destruit, infirmat, dissolvit, dissipat, urget.  
 Quomodo concludens conclusio singula fine  
 Legitimo claudit, sistens sermonis habenas.  
 Quæ factum,<sup>7</sup> factive genus, nomenve,<sup>8</sup> requirat  
 Quæstio, diversis rationum nixa<sup>9</sup> columnis;  
 Quæ bis de facto<sup>10</sup> certet, quæ questio juris,  
 Quæ vel quot species,<sup>11</sup> quæ simplex, quæve relata,  
 Quæve relativæ partes; cur astruat illa  
 Criminis objectus,<sup>12</sup> hæc transferat, illa repellat,  
 Comparet hæc, non æqua<sup>13</sup> librans incommoda lance.

<sup>1</sup> *quo tendit*, B.

<sup>2</sup> *demonstret*, B. M.

<sup>3</sup> *monet*, B.

<sup>4</sup> *vocat*, B.

<sup>5</sup> *appositam*, B. M.

<sup>6</sup> *infimatio*, M.

<sup>7</sup> *Quod factum*, B.

<sup>8</sup> *factive genus, nomenque*, M.

<sup>9</sup> *mixta*, B.

<sup>10</sup> *Qualis de facto*, B.

<sup>11</sup> *Quæ res, quot species*, B.

<sup>12</sup> *criminis objectum*, B. M.

<sup>13</sup> *hæc, æqua*, B. M.



Qualiter assumat contentio robur utrinque,  
 Cum lex rixatur sociæ contraria legi,  
 Vel contra scriptum discors sententia pugnet,<sup>1</sup>  
 Vel parit in scripto dubium sententia duplex,  
 Vel quando nomen describi poscit,<sup>2</sup> ut ipsum  
 Nominis ambiguum descriptio certa resignet;  
 Vel cum jure loci, personæ, temporis,<sup>3</sup> ipsa  
 Quæstio transfertur,<sup>4</sup> alios motura tumultus;  
 Vel si contendat contentio nescia certæ  
 Legis, et a simili rationis robora sumat;  
 Quomodo personis accomoda roboris arma  
 Dant argumentis, sed falso robore nutant  
 Nomen, natura, virtus,<sup>5</sup> fortunaque, vultus  
 Prætendens dubios, habitus, affectio,<sup>6</sup> fallax  
 Consilium, studia,<sup>7</sup> casus, oratio, factum;  
 Eventum<sup>8</sup> quæ contineant, quid gestio<sup>9</sup> facti  
 Contineat, facto quæ sint conjuncta,<sup>10</sup> vel ipsum  
 Ut res deposcit solito de more sequantur.  
 Quis modus in facto, vel quæ complexio facti,  
 Quis locus, aut tempus, occasio, causa, facultas.  
 Hanc artis gerit effigiem pars unica vestis,  
 Sed tamen artificum loquitur pars altera formas.  
 Illic rhetoricam sibi soli Marcus<sup>11</sup> adoptat,  
 Immo probat quare<sup>12</sup> Ciceronis filia dici  
 Ars merito poterit, quam gignit Tullius, a quo  
 Ars ortum<sup>13</sup> ducens, censeri Tullia posset.<sup>14</sup>

<sup>1</sup> *pugnat*, B. M.<sup>2</sup> *possit*, B. M.<sup>3</sup> *loci, spatium, per temporis*, B.<sup>4</sup> *se transfert*, M.<sup>5</sup> *victus*, corrected to *virtus*, A.  
*victus*, B.<sup>6</sup> *assertio*, corrected to *affectio*, A.<sup>7</sup> *studium*, B.<sup>8</sup> *confectio*, corrected to *eventum*,  
A.<sup>9</sup> *quæstio*, corrected to *gestio*, A.<sup>10</sup> *adjuncta*, B. M.<sup>11</sup> *Tullius*. Gloss in A.<sup>12</sup> *parit, quare*, B. M.<sup>13</sup> *totum*, corrected to *ortum* in A.<sup>14</sup> *possit*, B.

## CAP. III.

Illic multiplici præsignit carmina flore,  
 Sermonisque notas enodius effricat omnes.  
 Quintilianus adest, quadam sub imagine veri  
 Causarum velans umbras, litesque novellas  
 Fingit, et in litem cogit sine lite<sup>1</sup> venire.  
 Symmachus in verbis parcus, sed mente profundus,  
 Prodigus<sup>2</sup> in sensu, verbis angustus, abundans  
 Mente, sed ore minor, fructu non fronde beatus,  
 Sensus divitias verbi brevitare coarctat.  
 Illic Sidonii trabeatus sermo refulgens  
 Sidere multiplici splendet, gemmisque colorum  
 Lucet, et in dictis depictus pavo resultat.  
 Nunc tenuem gracili meditatur<sup>3</sup> arundine musam,  
 Nec tamen exsanguis ratio<sup>4</sup> jejunia luget;  
 Nunc mediam, nec in ima ruens, nec in aera surgens,<sup>5</sup>  
 Nunc tonat altiloquis<sup>6</sup> describens seria verbis,  
 Nunc tamen<sup>7</sup> inflatu<sup>8</sup> tumidus crepat illa boatu.  
 Hoc cultu festiva<sup>9</sup> suam non detrahit artem  
 Virgo, sed in cultus ejus factura redundat.  
 Gemmis stellatam speciem temonis inignit,<sup>10</sup>  
 Argento sparsim temonem vestit, et ipsum<sup>11</sup>  
 Ligni materiae, quæ pollet honore minori,  
 Externus succurit honor, redimitque minorem.  
 Ligni primævos ortus, omnesque querelas  
 Splendor adoptivus sepelit, lignique vetustas  
 Exulat, et primos sic obliviscitur ortus.  
 Ergo temonem gemmarum sidus inaurat,  
 Immo diem verum reddit lux ista, diesque

<sup>1</sup> *sine fine*, corrected to *sine lite*,  
A.

<sup>2</sup> *Prodicus*, B.

<sup>3</sup> *modulatur*, B.

<sup>4</sup> *sermo*, B. M.

<sup>5</sup> *turgens*, B. M.

<sup>6</sup> *altiloquus*, B.

<sup>7</sup> *Nec tamen*, B.

<sup>8</sup> *inflato*, B. M.

<sup>9</sup> *festina*, B.

<sup>10</sup> *inignit*, corrected to *inungit*, A.

<sup>11</sup> *ipsi*, B. M.

Materialis hebet;<sup>1</sup> nam lux nativa diei  
 Lumen adoptivi<sup>2</sup> tantum<sup>3</sup> miratur adorans.  
 A simili variis inscribit floribus axem  
 Virgo, flore novo cogens juvenescere ferrum.  
 Et quamvis ferrum soleat torpere rigore  
 Frigoris, et brumæ soleat redolere pruinam,  
 Hoc<sup>4</sup> hiemem nescit, frigus natale relinquens,  
 Usurpansque<sup>5</sup> sibi risus et gaudia veris,  
 Et faciem prati prætendit imagine florum.  
 Dum sic temonem gemmis, et floribus axem,  
 Exhilarat virgo, cumulum largita decoris,  
 Pingentis calamo cadit tuba, dat loca celti<sup>6</sup>  
 Cornu, sicque duo sumunt sibi jura duorum.

CAP. IV.<sup>7</sup>

Quarta soror sequitur, quartæ rota prima sororis  
 Est opus, huic operas operosæ dedicat illa;  
 Et quamvis hæc quarta foret, tamen esse secundam  
 Se negat in facto, contendens prima vocari.  
 Ergo decora, decens, gracilis, subtilis, acuta  
 Pollet, et in vultu monstratur copia mentis.  
 Nam vultus noster liber est, et littera<sup>8</sup> cordis  
 Nuntius, interpret verax, animique figura.  
 Solliciti vultus, animum<sup>9</sup> prudentis, honesti  
 Cultus, attentæ speciem, formamque modesti  
 Hoc gerit, et sexum transcendit mente virili.  
 Non ejus roseos color incolit<sup>10</sup> advena vultus,  
 Sed color indigena regnat, nec purpura vultus  
 Secum furtivi patitur fermenta coloris.  
 Demittit caput in terram, nec lubrica sensus

<sup>1</sup> *Materia debet*, M.<sup>2</sup> *Adoptivum*, B. M.<sup>3</sup> *ligni miratur*, M.<sup>4</sup> *Hic hiemem*, A.<sup>5</sup> *Usurpatque*, B. M.<sup>6</sup> *calamos, cedit tuba, dat loca cælo*, B. *tuba, cedit et ipsum*, M.<sup>7</sup> *Arismetica fabricat prima rotam marmoream*. Rubric in A.<sup>8</sup> *liber et littera*, B.<sup>9</sup> *animi*, M.<sup>10</sup> *roseos hic incolit*, M.

Venatur, menti cedens agit otia visus.  
 Mensam Pythagoræ,<sup>1</sup> quæ menti pabula donat,  
 Delicias animi sapiens, non corporis escas  
 Sustinet una manus, pugnas manus altera<sup>2</sup> monstrat.  
 Agmina disponit numerorum, prælia fingit,  
 Indicat insultos varios, numerosque rebelles,  
 Tandem subtili concludit bella triumpho.  
 Ex bysso contexta, suo vestita decore,  
 Vestis sidereos investit virginis artus.  
 Materies subtilis erat, subtilius ipsam  
 Materiem<sup>3</sup> præcellit opus, sic prævenit usus  
 Naturæ vires, naturaque vincitur arte.  
 Hic scriptura<sup>4</sup> loquens scripto, clamansque figuris,  
 Muta tamen, totam numerandi prædicat artem;  
 Quæ numeri virtus, quæ lex, quis nexus, et ordo,  
 Nodus, amor, ratio, fœdus, concordia, limes.  
 Quomodo concordii numerus ligat omnia nexu,  
 Singula componit, mundum regit, ordinat orbem,  
 Astra movens, elementa ligans, animasque maritans<sup>5</sup>  
 Corporibus, terras cœlis, cœleste caducis.  
 Quomodo nascenti mundo, rebusque creandis,  
 Principium, finis, exemplar, forma, sigillum,  
 Hic<sup>6</sup> erat, ad cuius formam deitatis<sup>7</sup> idea  
 Impressit rebus formas, mundoque figuram.  
 Quomodo principium numeri, fons, mater, origo,  
 Est monas,<sup>8</sup> et numeri de se parit unica turbam.  
 Quomodo virgo parit, gignens manet integra, simplex  
 Sese multiplicat, de sese gignit, et in se  
 Incorrupta manet, partus imitata parentis.  
 Quis numerus numerans<sup>9</sup> censetur, quis numeratus,  
 Quis repetit, quis distribuit, quis colligit, aufert,  
 Addit, et a primo radices extrahit ortu.

<sup>1</sup> *Pictagoræ*, A. *Pitagoræ*, B.

<sup>2</sup> *et pugnas altera*, B.

<sup>3</sup> *Materiam*, B. M.

<sup>4</sup> *pictura*, B. M.

<sup>5</sup> *maritat*, B.

<sup>6</sup> *i. numerus*. Gloss in A.

<sup>7</sup> *ditantis*, A.

<sup>8</sup> *i. unitas*. Gloss in A.

<sup>9</sup> *numerans numerus*, B.

Quo juris merito, vel qua ratione, vocetur  
 Femina par numerus, impar mas, virgo Minerva ;  
 Cur animam, cœlum, rationem, gaudia, vitam,  
 Impare sub numero prudentum<sup>1</sup> dogma<sup>2</sup> figuret ;  
 Cur corpus, terram, sensum, lacrimabile, mortem,  
 Par numerus signet, pejoraque fata<sup>3</sup> loquatur ;  
 Quis numerus punctum, quis linea, quisve figura  
 Plana, vel æquorum laterum, quis sphaera vocatur,<sup>4</sup>  
 Quis quadrus, vel quis solidus, quis pyramis, aut quis  
 Cyclicus<sup>5</sup> est, a se qui circumflectitur in se.  
 Quis numerus propriis completur<sup>6</sup> partibus,<sup>7</sup> aut quis  
 Vel partes superat, vel ab his superatus abundat.  
 Quæ numerum numero concordia nectit, et unde  
 Provenit, ut mediis vicibus<sup>8</sup> extrema ligentur.  
 Cur duo<sup>9</sup> quadrati medio nectantur in uno,  
 Vel solidos nectat mediis junctura duobus.  
 Hoc igitur cultu virgo præculta, laboris  
 Pondera non fugiens, ne pondere pondus honoris  
 Effugiat, dum vitat onus ne vitet honorem,  
 Robur virgineum cumulo virtutis et arte  
 Transgrediens superat, vir sensu, femina sexu ;  
 Sic vir, sic mulier, animo non illa, sed ille est.  
 Nec motu subito<sup>10</sup> quod concipit exprimit actu ;  
 Nec quod mens gignit subitos deducit in actus.  
 Nam nisi conceptum<sup>11</sup> pariat mens ipsa, priusquam  
 Formam suscipiat conceptus mentis in alvo,  
 Vel firmum capiat mentis matrice sigillum,  
 Nutritumque diu rationis fomite vivat,  
 Fœtus abortivus subitum decurret ad ortum,<sup>12</sup>  
 Nec vita dignus proprio morietur in ortu,

<sup>1</sup> *prudenter*, B.<sup>2</sup> *i. documentum*. Gloss in A.<sup>3</sup> *facta*, B.<sup>4</sup> *vocetur*, B.<sup>5</sup> *Sirclicus*, A.<sup>6</sup> *complectitur*, B.<sup>7</sup> *ductibus*, M.<sup>8</sup> *vicibus mediis*, B. M.<sup>9</sup> *Cur quo*, M.<sup>10</sup> *Nec motus subito*, B.<sup>11</sup> *Nam si conceptum*, B. *Ne sic conceptum*, M.<sup>12</sup> *subitos decurret ad ortus*, B. *in ortum*, M.

Vel vivens saltem lugebit crimina formæ.  
 Ergo legitimo ne partus mentis ab ortu  
 Deviet, et nullam ducat<sup>1</sup> de matre querelam,  
 Mens gignit, nutrit ratio, quod parturit actus,  
 Fabricat in thalamo mentis mentale,<sup>2</sup> priusquam  
 Materiale foras opus evocet, ergo labore  
 Mentis, et artificis animi, studiique favore  
 Erigitur rota mentalis,<sup>3</sup> post materiali  
 Effigie describit eam; sic mente priorem  
 Concipit ut pariat, actu parit illa secundam.  
 Instrumenta prius manibus præfecta relinquens,  
 Ingreditur latomi studium, domat arte rigorem  
 Marmoris, et primum partes complanat ad unguem.  
 Scrupulus in planum descendit, surgit in æquum  
 Vallis, et in curvum demittitur angulus, orbis  
 Planitiem claudit, planumque reducit in orbem.  
 Sed tumor in medio surgens supereminet, immo  
 Sic in supremum tendens non deserit imum.  
 Partibus in curvum ferro mediante redactis  
 Exhaustit partes virgo, marmorque fenestris  
 Distinguens, totum spatii intersecat orbem.  
 Collocat in medio centrum, mediumque coronat  
 Multiplici radio, quod<sup>4</sup> latus<sup>5</sup> circinat orbis.  
 Hic pictura docet auctores, qui numerandi  
 Invenere vias, artem docuere latentem,<sup>6</sup>  
 Produxere foras, famam<sup>7</sup> coluere jacentem.  
 Illic Nicomachus<sup>8</sup> prædicta ludit in arte,  
 Ut qui per numeros rerum secreta movere,<sup>9</sup>  
 Et quasi per numeros rerum secreta prophetat.  
 Illic astra<sup>10</sup> tenet, et eadem miles in arte  
 Gilbertus saltu fallaci transilit artem.

<sup>1</sup> *dicat*, M.

<sup>2</sup> *Hoc est mentale ad mentem, quod materialis ad materiam.* Gloss in B.

<sup>3</sup> *mentalis rota*, B.

<sup>4</sup> *i. centrum.* Gloss in A.

<sup>5</sup> *quem latus*, B. M.

<sup>6</sup> *jacentem*, M., which omits the following line.

<sup>7</sup> *Produxere foras formam*, B.

<sup>8</sup> *Nichanomus*, B.

<sup>9</sup> This line is given from B.

<sup>10</sup> *castra tenet*, B. M.

Pythagoras menti propriæ<sup>1</sup> convivia donans,  
 Non<sup>2</sup> carni, satians animos, non corpora<sup>3</sup> pascens,  
 Certis ascribit numerorum legibus ortus,  
 Esse, vices, causas, motus, et vincula rerum.  
 Indulget numeris tanto Chrysippus amore,  
 Ejus ut in verbis<sup>4</sup> numerus factisque resultet  
 Semper, et in somnis illum numerare putares.

## CAP. V.

Quinta soror,<sup>5</sup> quartæ similis, gerit ore priorem.  
 Pingit eam cultu, factoque recurrit in illam,  
 Nec vacat a simili studio, sequiturque sororem.  
 In studiis exemplat eam, faciemque<sup>6</sup> sororis  
 Respiciens, ejus facto sua facta sigillat;  
 Et quam jamdudum fecit natura sororem,  
 Fit soror in facto, cumulans jus omne sororum.<sup>7</sup>  
 Namque docet ratio, jus postulat, exigit ordo,  
 Ut fateatur opus id quod natura fatetur.  
 Pro speculo vultum gerit hæc, præclara tuenti.  
 Nam quicumque videt vultum,<sup>8</sup> se visus in illo  
 Cernit, et in speculo vultus epulatur<sup>9</sup> ocellus.<sup>10</sup>  
 Dum citharam manus una gerit, manus altera chordas  
 Sollicitat, dulcemque soni parit illa saporem,  
 Auri dans<sup>11</sup> epulas, oculisque proœmia<sup>12</sup> somni.  
 Quo cantu lapides mollescere, currere silvas,  
 Flumina stare, feras mitescere, cedere lites,  
 Jussit Threicius vates, fractoque rigore  
 Compulit<sup>13</sup> Eumenides lacrimis, Ditemque coegit  
 Esse pium, Furiasque suum nescire furorem.  
 Quo cantu Tyrios montes in mœnia vertit

<sup>1</sup> *propriæ menti*, B. M.<sup>2</sup> *Nec carni*, A.<sup>3</sup> *nec corpora*, B.<sup>4</sup> *ut in verbo*, B. M.<sup>5</sup> *Musica secundam rotam fabricat æream*. Rubric in A.<sup>6</sup> *factumque*, B. M.<sup>7</sup> *sororis*, B. M.<sup>8</sup> Corrected to *sinit vultum* in a later hand in A.<sup>9</sup> Corrected to *speculatur* in a later hand in A.<sup>10</sup> *ocello*, A.<sup>11</sup> *Auri decus*, B.<sup>12</sup> *i. sopores*. Gloss in A.<sup>13</sup> *Compluit*, B.

Amphion, sic saxa domans, quod nulla securis  
 Edomuit rigidas cautes, quas sola domare  
 Vox citharæ meruit,<sup>1</sup> tenuitque silentia ferrum.  
 Insigni vestita toga se pacis alumnam  
 Esse puella docet, nec quærere fulgura belli.  
 Illic picturæ ridens lascivia<sup>2</sup> ludit  
 Schemate sub vario, monstrans quid Musica possit,<sup>3</sup>  
 Quæ sint vincla quibus compagnet omnia nodus,<sup>4</sup>  
 Quæ species artis, quæ Musica colligit<sup>5</sup> horas,  
 Distinguit menses, locat anni tempora, cogit  
 Excursus, elementa ligat, jungitque planetas,  
 Astra movet, variatque vices, quæ musica nectit  
 Corporis humani partes, mundumque minorem  
 Ordinât, et speciem<sup>6</sup> mundi melioris honorat;  
 Ut sic pygmæus fraterculus ipse<sup>7</sup> gigantis,  
 Majorisque minor mereatur imagine pingi.<sup>8</sup>  
 Quæ partes animæ sociat, quæ foederat illam  
 Carni, confirmatque<sup>9</sup> fidem, quæ musica voces  
 Dividit, et numeris<sup>10</sup> variat discrimina vocum.  
 Quæ ratio, cur omne melos, dulcesque sonorum  
 Cantus, non gignit vox una, sed unio<sup>11</sup> vocum;  
 Dissimilis similisque sonus, diversus et idem,  
 Unicus et simplex, duplex, difformis, et alter.  
 Quomodo mutato se mutat musica cantu,  
 Cum lacrimis risus, cum ludis seria texens;  
 Nunc inharmonice<sup>12</sup> resonat, nunc tristia fingens  
 Ditonico cantu luget, nunc chromate<sup>13</sup> ludit.  
 Quæ vox ad vocem sit dupla, vel in diapason<sup>14</sup>  
 Quis resonet cantus, vel quis sesquialter<sup>15</sup> ad illum

<sup>1</sup> *Vox meruit citharæ*, B.

<sup>2</sup> *lacinia*, A.

<sup>3</sup> *posset*, A.

<sup>4</sup> *nodis*, B. M.

<sup>5</sup> *colligat*, B.

<sup>6</sup> *specie*, B. M.

<sup>7</sup> *esse*, A. M.

<sup>8</sup> These two lines are found in B.  
and M.

<sup>9</sup> *Euphrosyne, firmatque*, M.

<sup>10</sup> *numerus*, M.

<sup>11</sup> *sed unica*, B.

<sup>12</sup> *enarmanice*, A. *enarmoniace*, B.

<sup>13</sup> *cromote*, A. *cromate*, B.

<sup>14</sup> *vel ad diapason*, B.

<sup>15</sup> *sexquialter*, A.



Sit sonus, aut illi concors<sup>1</sup> sonet in diapente.  
 Quæ vocum junctura parit diatesseron, in qua  
 Cum tribus una sonans vox litigat, immo jocatur.  
 Qua ratione toni pars altera semper abundet,  
 Transgrediens partem reliquam, nec possit in æquas  
 Distribui partes tonus integer, immo parumper  
 Excedat pars una toni, superetque minorem,  
 Et proprio chromate vincat pars altera<sup>2</sup> lima,  
 Nec tamen<sup>3</sup> æquali sectas libramine partes,  
 In duo divisum diasimata chroma recuset.<sup>4</sup>  
 Hoc igitur splendens habitu cultuque decoris,  
 Virgo nitens, usum citharæ deponit ad horam,  
 Dum subit officium fabri, lapidemque<sup>5</sup> caloris  
 Imperio convertit in æs, ex ære secundam  
 Fabricat illa rotam, quæ formæ laude priorem  
 Demonstrans, primæ se prædicat esse sororem.  
 Et quamvis diversa foret<sup>6</sup> quæ dividit illas  
 Materies, has forma tamen facit esse gemellas.  
 Illic artifices quos Musica gaudet habere  
 Consortes, vel quos proprii dignatur honore  
 Nominis amplecti, scripturæ fama perennat.  
 Mellitæ<sup>7</sup> vocis Milesius exerit usum,  
 Et veluti quædam cantus exennia<sup>8</sup> donat  
 Auribus, et tali mentes effeminat arte.  
 Alter ab opposito cantus fastidia lenti,  
 Obtusæ vocis rixam, cantusque rebelles,  
 Qui magis impugnant aures quam voce salutant,<sup>9</sup>  
 Invenit, et nostras offendit cantibus aures.  
 Navigat in medio partemque relinquit utramque  
 Gregorius noster, refugitque pericula vocum,  
 Cantus Sirenum fugiens, vitansque Charybdim,

<sup>1</sup> *consors*, B.<sup>2</sup> *Et proprio vincat pars altera chromate*, B. M.<sup>3</sup> *Nec non*, A.<sup>4</sup> *recusat*, B.<sup>5</sup> *lapidesque*, B.<sup>6</sup> *adversa foret*, B.<sup>7</sup> *Melitæ*, M.<sup>8</sup> *encænia*, M.<sup>9</sup> *salutent*, M.

Musica lætatur Michalo<sup>1</sup> doctore, suosque  
Corrigit errores, tali dictante<sup>2</sup> magistro.

CAP. VI.<sup>3</sup>

Instat sexta soror operi, se funditus urget  
Ad studium, studio reliquis studiosius hærens.  
Certatim gestus, habitus decor, hujus honorem  
Accumulant, ejus pariter pro laude<sup>4</sup> loquentes.  
Encleticum<sup>5</sup> gerit illa caput, nec corporis ullam  
Jacturam patitur, sed lumen legat in imum,  
Ut quibus insideat mens, enclesis<sup>6</sup> ipsa loquatur.  
Exponit mentem facies, animumque fatetur ;  
Virgam virgo gerit, qua totum circinat<sup>7</sup> orbem,  
Qua terræ spatium metitur, qua mare claudit  
Limitibus certis, qua circinat ardua cœli.  
Et quamvis ejus vestis respersa minuti<sup>8</sup>  
Pulveris imbre foret, non denigratur honestas  
Materiæ, formæque decor, sed grammate multo  
Picturata viret,<sup>9</sup> multoque superbit honore.  
Hic artem totam picturæ lingua recenset,  
Quæ mensurandi doctrinam fundit, et usum  
Edocet, immensum claudit, spatiosa refrenat,  
Parvaque<sup>10</sup> consequitur, metitur magna, profundum  
Scrutatur, valles habitat, conscendit in altum.  
Hic legitur quid sit punctum, quid linea<sup>11</sup> curva,  
Recta, vel æqualis, quæ circumflexa<sup>12</sup> vocetur,  
Quæve superficies plano contenta, profundum  
Ignorans, altoque carens, decurrit in æquum.

<sup>1</sup> *Michamo*, B.<sup>2</sup> *confirmante*. Gloss in A.<sup>3</sup> *Geometria tertiam rotam fabricat plumbeam*. Rubric in A.<sup>4</sup> *Accumulant, partes ejus pro laude*, B.<sup>5</sup> *declinationem*. Gloss in A.<sup>6</sup> *i. declinatio*. Gloss in A.<sup>7</sup> *circuit*, B. M.<sup>8</sup> *minutum*, B.<sup>9</sup> *Picturata videt*, B. *nitet*, M.<sup>10</sup> *Pravaque*, B.<sup>11</sup> *quæ linea*, B. *punctus, quæ linea*, M.<sup>12</sup> *vel circumflexa*, B. M.

Quid sit tetragonus, quæ<sup>1</sup> forma triangula, quid sit  
 Mensura triplici clausum, quid sterion, aut quid  
 Circumducta suo describit<sup>2</sup> linea centro.  
 Cur centrum sedet in medio, curque angulus<sup>3</sup> omnis  
 Aut obtusus hebet, aut sursum tendit<sup>4</sup> acutus,  
 Ne minor obtuso sit rectus,<sup>5</sup> major acuto.  
 Cur juxta leges artis normamque datorum  
 Supra gamma<sup>6</sup> datum procedens tramiti recto,  
 Æquorum laterum trigonus describitur, in quo  
 Sese prosternens partem data linea donat.  
 Qualiter a puncto ducatur linea compar  
 Propositæ, reddensque datam; cur linea major  
 De se producat abscisso fine minorem.  
 Cur hujus tirones<sup>7</sup> artis<sup>8</sup> eleufuga terret,  
 Atque prius cogit illos exire profundum  
 Quam subeant, labique prius quam<sup>9</sup> in arte laborent.  
 Qua rationis ope sibi forma triangula formam  
 Repperit æqualem, cur linea partibus æquis  
 Scinditur, aut simili distinguitur angulus arte,  
 Inque duos unum divisio dividit una.

## CAP. VII.

Hac igitur veste virgo nitet, immo virago  
 Glossat in hac mentem, virgæ dans otia, fabrum  
 Induit, et sparsam mentem componit in unum.  
 Mente, manu, studiis, invadit, corrigit ipsam  
 Materiam<sup>10</sup> plumbi, quam crebro<sup>11</sup> malleus urget.  
 Imprimit ad placitum formam, vetus exit, et intus<sup>12</sup>

<sup>1</sup> *quid*, B. M.<sup>2</sup> *describat*, M.<sup>3</sup> *cur angulus*, B. M.<sup>4</sup> *tendat*, B.<sup>5</sup> *Obtuso ne minor sit rectus*, B.*Obtusoque minor sit rectus*, M.<sup>6</sup> *gamma*, M.<sup>7</sup> *i. novos milites*. Gloss in A.<sup>8</sup> *Hujus tirones cur artis*, M.<sup>9</sup> *Quam littus subeant, labique*  
*quam*, M.<sup>10</sup> *Materiem*, B.<sup>11</sup> *creber*, B.<sup>12</sup> *intrans*, B. M.

Forma recens plumbi veteres excusat abusus.  
 Nascitur ex plumbo rota tertia, nata priores  
 Reddit, et in vultu formam capit illa priorum.  
 Illic artifices pictoris littera clamat,  
 Qui rerum tractus, mensuras, pondera, fines,  
 Limite sub certo claudentes<sup>1</sup> aera, cœlum,  
 Astra, fretum, terras, simili ratione tuentur.  
 Hic geometra Thales<sup>2</sup> sine motu præterit orbem  
 Aerii tractus, sine pennis transvolat æquor,  
 Oceani spatium sine remige transit, in astra  
 Absque gradu graditur, sine tactu<sup>3</sup> tangit Olympum.  
 In serie<sup>4</sup> præcepta ligans artemque retexens  
 Euclides, partes artis locat ordine justo ;  
 Quas veluti quodam rationis fune ligatas  
 Nectit, ut ex una reliquas exire putares.

---

<sup>1</sup> *claudantes*, B.

<sup>2</sup> *vagum*, M.

<sup>3</sup> *tractu*, M.

<sup>4</sup> *seriem*, B. M.

---

## ANTICLAUDIANI

## DISTINCTIO QUARTA.

## CAP. I.

Ultima subsequitur virgo,<sup>1</sup> quæ prima decore,  
 Cultu prima, gerit primam sub pectore mentem,  
 Non morbo, non tristitia, non mente magistra  
 Degenerat, caput in terram; sed vultus in astris  
 Hæret, et arcanum cœli causasque fugaces  
 Venatur visus, mentisque præambulus, illi  
 Nuntiat, et crebro mentem docet assecla tantis.<sup>2</sup>  
 Ori fulgor adest, qui tanto fulgure nostrum  
 Verberat intuitum, dum visus fulgur adultum<sup>3</sup>  
 Devitans, oculi tunicas<sup>4</sup> exire veretur.  
 Implet sphaera manum: sphaeræ tamen umbra videri  
 Hæc melius posset, quæ solam suscipit umbram,  
 Nec proprium sphaeræ retinens consurgit in altum,<sup>5</sup>  
 Sed jacet in plano nullo promotâ tumore.  
 Vestis inardescit gemmis, auroque superbit,  
 Et splendore suo stellas æquare videtur.  
 Hic viget, hic loquitur, hic instruit, hic docet, immo  
 Dat præcepta suis picturæ dote facultas,  
 Quæ docet astrorum leges, loca, tempora, motus,

<sup>1</sup> *Astrologia quartam rotam fabricat auream.* Rubric in A.

<sup>2</sup> *mentis,* B. M.

<sup>3</sup> *visum fulgor adultus,* B.

<sup>4</sup> *tenebras,* A., corrected to *tunicas* in the margin by another hand.

<sup>5</sup> This line is omitted in M.

Signa, potestates, discursus,<sup>1</sup> nomina, causas.  
 Hic legitur quæ<sup>2</sup> sit cœlestis sphæra, quis<sup>3</sup> axis  
 In partes sphæram distinguat, quis polus axem  
 Terminet, aut sursum tendens aut mersus in imo.  
 Cur mundi sit forma teres,<sup>4</sup> mundusque ligetur  
 Quinque parallelis cinctus, zonisve quibusdam  
 Sectus, in extremis rigeat, medio tenus æstu  
 Torreat, atque duas laterales temperet, harum  
 Excessu<sup>5</sup> duplici castigans frigore flammam.  
 Cur decurtatus concludat utrumque colurum<sup>6</sup>  
 Circulus, et neuter<sup>7</sup> ad puncta priora redire<sup>8</sup>  
 Possit, sed nomen abscissio<sup>9</sup> donet<sup>10</sup> utrique.  
 Cur obliqua means declivi limite, ducta  
 Linea signiferi<sup>11</sup> duodeno sidere cœlum  
 Pingat, et hospitium<sup>12</sup> peregrino grata planetæ  
 Donet, et ipsius proprium communicet illi.  
 Qua ratione meant stellæ, qua lege planeta  
 Directum metitur iter, qua lege retrorsum  
 Aufugit, aut certa fixus statione moratur.  
 Qua ratione meant obliquo signa meatu,  
 Cur signum proprios directius exit in ortus  
 Opposito sumens<sup>13</sup> nascendi tempora, tempus  
 Perdit<sup>14</sup> in occasu quod plus expendit in ortu.  
 Quis lunæ motus, quæ solis sphæra, quis orbis  
 Mercurii, Veneris quæ semita, quæ via Martis,  
 Quæ mora Saturnum retinet, quo limite currit  
 Stella Jovis, motusque vagos quis circulus æquat.  
 Quis sursum tendens egressa cuspide terram  
 Exit, et in terra nescit defigere centrum.

<sup>1</sup> *decursus*, A.<sup>2</sup> *quid sit*, A.<sup>3</sup> *quid*, A.<sup>4</sup> *rotunda*. Gloss in A.<sup>5</sup> *Excursu*, B.<sup>6</sup> *polorum*, B. *i. utramque lineam*.  
Gloss in A.<sup>7</sup> *ut neuter*, B.<sup>8</sup> *redire priora*, B.<sup>9</sup> *absciso*, B.<sup>10</sup> *donat*, A.<sup>11</sup> *i. galaxias*. Gloss in B.<sup>12</sup> *ospitium*, B.<sup>13</sup> *firmans*, A. *furans*, B.<sup>14</sup> *Prodit*, A.

Ergo puella gerens tanti sollemnia cultus,  
 Non animum sepelit, non pigra<sup>1</sup> per otia sese  
 Distrahit, aut animi vires effeminat, immo  
 Exercet studiis totam cum corpore mentem.  
 Exit sphaera manum, quoniam manus ipsa vocatur  
 Ad nova, quae cudens fabri sibi vendicat artem.  
 Dum manus excudit<sup>2</sup> aurum, massamque<sup>3</sup> figurat,  
 Nascitur ex auro rota quarta, decoris honore<sup>4</sup>  
 Haec comites vincens primas facit esse secundas.  
 Illi scripturae facies applaudit, et illos  
 Colligit in scripto, qui ducti remige mentis  
 In superas abiire<sup>5</sup> domos, secretaque caeli  
 Scrutati<sup>6</sup> meruere sibi deitatis honorem.  
 Illic astra, polos, caelum, septemque planetas  
 Consulit Albumasar,<sup>7</sup> terrisque reportat eorum  
 Consilium, terras armans, firmansque caduca  
 Contra caelestes iras superumque furorem.  
 Astraque sustentat, dum sustentatur ab astris  
 Athlantis virtus, caeli sine pondere pondus  
 Gestat, fert caelum dum fertur, dumque ferendo  
 Sideribus cedit, cedenti sidera cedunt.  
 Has igitur currus partes<sup>8</sup> ut norma requirit,  
 Ordo petit, poscit ratio, Prudentia dictat,  
 Cudit et excudit, facit, immo perficit, ornat,  
 Exornatque simul lima meliore sororum  
 Praetaxata cohors, nullumque reliquit<sup>9</sup> in illis  
 Enormis formae<sup>10</sup> vultum, maculaeve querelam ;  
 Apponensque manum supremam, fine beato  
 Concludens operam, sparsas Concordia partes  
 Ordine, lege, loco, confœderat, unit, adaequat.  
 Ergo junctura, clavis, gumphisque<sup>11</sup> ligatae

<sup>1</sup> *nec pigra*, M.<sup>2</sup> *excludit*, B.<sup>3</sup> *mensamque*, B.<sup>4</sup> *honorem*, B.<sup>5</sup> *abire*, B.<sup>6</sup> *Scrutari*, A.<sup>7</sup> *vir ille*. Gloss in A. *Abimazar*, B.<sup>8</sup> *partes currus*, A.<sup>9</sup> *relinquit*, B. M.<sup>10</sup> *facie*, A.<sup>11</sup> *nexuque*, M. *glutinoque*, B.

Effigiunt currum partes,<sup>1</sup> qui luce decoris  
Præradians facie propria demonstrat in ipso  
Divinam sudasse<sup>2</sup> manum, superumque Minervam.<sup>3</sup>

## CAP. II.

Tunc Ratio, monitu Naturæ docta docentis,  
Quinque sibi præsentat equos, quos fœderat illa  
Fœdere complacito, concordi pace, fideli  
Connexu, cogitque jugo servire, jugales  
Indomitos, primis quos enutrivit ab annis  
Gratia naturæ, quæ sic instruxit equinos  
Mores, his animi quædam vestigia donans,  
Ut quamvis bruti, tamen hi venerantur<sup>4</sup> alumnam.  
Insuper in quantum patitur natura jugalis,  
Horum quisque suæ naturæ munera jactat.  
Nil cultus, formæque nihil peregrinat ab illis,  
Quod plene possit speciem cumulare jugalis.<sup>5</sup>

Primus equus cultu, forma, cursuque sodales  
Prævenit, et reliquos proprio submittit honori;  
Cultus, forma, color, species, audacia, cursus  
Ditat eum, nec in his<sup>6</sup> patitur sibi damna, quod illum  
Respersus candore color subrufus inaurat.  
Non meat, immo volat, nec enim discrimine passus  
Inscribit terram, nec gramen curvat eundo;  
Sed celeri cursu terram delibat euntis  
Passus, et in terra vestigia nulla relinquit;  
Sed levis aura suos stupet invenisse meatus,<sup>7</sup>  
Miraturque suum<sup>8</sup> Boreas torpescere cursum.  
Aura cadit, lentescit avis, volucrisque<sup>9</sup> sagittæ  
Cursus hebet lente,<sup>10</sup> lentescunt omnia cursu.

<sup>1</sup> *Partes effigiant currum*, M.

<sup>2</sup> *sudasque*, B.

<sup>3</sup> *i. sapientiam*. Gloss in A.

<sup>4</sup> *venerentur*, B. M.

<sup>5</sup> *equi*. Gloss in A.

<sup>6</sup> *in hoc*, B. M.

<sup>7</sup> *volatus*, B. M.

<sup>8</sup> *sui*, B. M.

<sup>9</sup> *volucresque*, B.

<sup>10</sup> *Cursus hebescit, equi*, A. *abescit equi*, B.



Anticipat monitum calcaris, sponte meatum  
 Aggreditur, faciliq̄ue tamen frenatur habena.  
 Præterea dotes nativas aggerit<sup>1</sup> ipsa  
 Nobilitas generis, Pyroum<sup>2</sup> namque parentem  
 Jactat, et in speculo prolis pater ipse resultat.  
 Hunc<sup>3</sup> dedit in munus Jovialis gratia matri  
 Naturæ, cujus grates dantisque favorem  
 Accumulat doni meritum, quo munere majus  
 Nil potuit tantus tantæ conferre parenti.

His<sup>4</sup> igitur, velut ipsius natura requirit,  
 Nobilitatur equi species, infraque secundus  
 Pollet equus, minor in specie, cultuque minori  
 Cultus et inferior, cursuque remissior illo.  
 Et quamvis<sup>5</sup> minor a primo, formaque secundus,  
 Est tamen in reliquis major, primusque decoris  
 Munere, sed reliquos superans superatur ab uno,  
 Et si non æquo passu contendere primo  
 Possit equo, non aura tamen fugitiva secundum  
 Prævenit, immo pari cursu contendit eidem.  
 Se varians nullo præscribitur ille colore,  
 Sed vultum proprii mentitur sæpe coloris.  
 Intonat ille fremens, hinnitibus aera crebris  
 Verberat, et tenuem sine vulnere vulnerat auram.  
 A collo suspensa sonos<sup>6</sup> crepitacula<sup>7</sup> dulces  
 Reddunt, et multo perfundunt aera cantu.  
 In<sup>8</sup> vultu gerit ille patrem, dum reddit Eoum  
 Gestibus, huncque suum forma probat esse parentem.  
 Muneribus prælarga suis hoc munere vino  
 Naturæ cumulavit opes, meruitque favorem  
 Numinis, et proprium dono descripsit amorem.

<sup>1</sup> *aggregat*, A. B. *aggerat*, M.

<sup>2</sup> *Pirrorum*, A. ; *Pirorum*, B.

<sup>3</sup> *Hanc*, B.

<sup>4</sup> *Secundus equus*, *i. auditus*. Rubric in A.

<sup>5</sup> *foret* (*i. e. quamvis foret*).

Gloss in A.

<sup>6</sup> *sonas*, B.

<sup>7</sup> *epitacula*, B.

<sup>8</sup> *Nam*, B.

## CAP. III.

Tertius<sup>1</sup> a tanta speciei luce parumper  
 Obliquatur equus; nec enim sibi dona priorum  
 Vendicat, immo minus retinens suspirat ad illos.  
 Et quamvis hujus species tenebrescat eorum  
 Respectu, tamen ad reliquos collata nitorem  
 Exerit,<sup>2</sup> et proprio non est fraudata decore;  
 Et quamvis agili cursu vincatur ab illis  
 De quibus exivit sermo, tamen ipse triumphans  
 In reliquis victor gaudet, reliquosque volatu  
 Vincit, et in proprio motu concludit eosdem.<sup>3</sup>  
 Subtilis respersit<sup>4</sup> eum mixtura coloris,  
 Sed fugiens oculos visum color ille recusat.  
 Conserti<sup>5</sup> floris series quasi veste decenti  
 Induit hunc, et ei proprios inspirat odores.  
 Flos violæ perfundit eum, rosa debriat<sup>6</sup> auras<sup>7</sup>  
 Affines, narisque thymi<sup>8</sup> satiatur odore.  
 Nescia nativi coitus equa, flamine solo  
 Edidit hunc, ignara maris, contenta mariti  
 Aeris afflatu, Zephyro gravidata marito.  
 Hoc dono Zephyrus Naturæ matris amorem  
 Mercatus, proprium vectigal<sup>9</sup> solvit eidem.  
 Degenerat, polletque minus, lentescit abunde  
 Quartus equus,<sup>10</sup> formaque jacet, cursuque tepescit  
 Prædictis famulans, illos quasi pronus adorat,  
 Ancillatur<sup>11</sup> eis, nec se negat esse clientem  
 Horum, sed tanquam dominis ut verna<sup>12</sup> ministrat.  
 Non tamen omnino naturam sentit avaram,

<sup>1</sup> *Tertius equus, i. olfactus.* Rubric in A.

<sup>2</sup> *Monstrat.* Gloss in A.

<sup>3</sup> *eisdem,* A. B.

<sup>4</sup> *respersit,* A.

<sup>5</sup> *Conferti,* A.

<sup>6</sup> *ebriat,* A.

<sup>7</sup> *auras,* B.

<sup>8</sup> *rimi,* A. *timi,* B.

<sup>9</sup> *i. tributum.* Gloss in A.

<sup>10</sup> *Quartus equus, gustus.* Rubric in A.

<sup>11</sup> *i. servit.* Gloss in A.

<sup>12</sup> *i. serviens.* Gloss in A.

Immo et dote<sup>1</sup> sua qua se tueatur<sup>2</sup> abundat,  
 In nullo patiens eclipsin muneris hujus,  
 Quo de more solet Natura beare jugalem.  
 Non violæ marcent, quamvis rosa floris honore  
 Splendeat, aut cultus componat lilia candor.  
 Non omnis delirus erit, cui sensus Ulixis  
 Deficit, aut mutus quem nescit musa Maronis.  
 Non nitor argenti livet, si<sup>3</sup> fulgurat aurum ;  
 Non minus arma rapit<sup>4</sup> Hector,<sup>5</sup> si plenior<sup>6</sup> Ajax  
 Fulminat ; a simili non omnis gloria quarto  
 Absentatur equo, quamvis gradus ille negetur  
 Emphaticæ<sup>7</sup> laudis, in qua Natura priores  
 Sistit equos, non iste tamen dejectus ab omni  
 Munere Naturæ queritur, sed gaudet in illa  
 Fortuna, qua dives eam<sup>8</sup> Natura beavit.  
 Glaucus ei color arridet, respergit eundem  
 Imber, et irriguo ros compluit imbre jugalem.<sup>9</sup>  
 Hoc speciale sibi retinet, propriumque reservat,  
 Quod celer ad potum non obliviscitur escam.  
 Potibus indulget, pro cunctis solus ad esum  
 Currit, et in potu defectus supplet equorum.  
 Hunc genuit Tritonis equus ; jurisque paterni  
 Hæredem statuens, sese describit<sup>10</sup> in illo.  
 Naturæ Triton dans intersigna favoris,  
 Contulit<sup>11</sup> hoc munus, donans cum munere mentem.

Vix speciem defendet equi, formamque tenebit  
 Quintus equus,<sup>12</sup> si quis temptet conferre priores  
 Isti, nam deponet equum, larvaque jugalis  
 Vestitus sapiet asinum, dejectus eadem  
 Segnitie, plene mores exutus equinos.

<sup>1</sup> *Immo dote sua*, B.

<sup>2</sup> *i. possit tueri*. Gloss in A.

<sup>3</sup> *sed*, A.

<sup>4</sup> Corrected to *capit* in A.

<sup>5</sup> *Ajax, si plenus Hector*, B.

<sup>6</sup> *plenius*, A.

<sup>7</sup> *i. expressæ*. Gloss in A.

<sup>8</sup> *eum*, B.

<sup>9</sup> *i. equum*. Gloss in A.

<sup>10</sup> *descripsit*, B. M.

<sup>11</sup> *Contulis*, B.

<sup>12</sup> *Quintus equus, i. tactus*. Rubric  
 in A.

Si tamen ad reliquos collatio<sup>1</sup> nulla redundet  
 Hujus equi, sed eum proprio scrutemur in esse,<sup>2</sup>  
 Non erit a propriis exclusus dotibus ejus  
 Cultus, et in nullo formæ patietur abusum.  
 Quintus equus quartum redolet, partimque figurat;  
 Sed tamen in modico quintus demittitur,<sup>3</sup> in quo  
 Parcius arrisit prædicto forma jugali,<sup>4</sup>  
 Qui minus in terram sese demittit<sup>5</sup> eundo.  
 Nec<sup>6</sup> satis ad plenum caput erigit, immo caduco  
 Declinans vultu visus descendit in imum.  
 Vestit eum color obscurus, quem possidet ipsa  
 Nigredo, nullum secum passura colorem.  
 Nec<sup>7</sup> plebeia<sup>8</sup> jacet<sup>9</sup> generis fortuna, sed Æthon  
 Hunc genuit, qui solis equos se gaudet habere  
 Fratres, et fratrum sese defendit honore.  
 Ops,<sup>10</sup> superum genitrix, in signum fœderis isto  
 Naturam donavit equo, quo nodus amoris  
 Firmior effectus illarum vota ligavit.

## CAP. IV.

Prædictos Ratio, propria Ratione magistra,  
 Sub juga cogit equos, temoni fœderat, urget  
 Effrenes, ligat indomitos, frenatque vagantes.  
 Primum sternit equum, stratum conscendit, habenis  
 Corrigit<sup>11</sup> excursus,<sup>12</sup> cum virga<sup>13</sup> visitat, instat  
 Verbere, voce, minis, illum vix illa quietum  
 Reddit,<sup>14</sup> sed tandem superatus vincitur;<sup>15</sup> illi

<sup>1</sup> *i. imperato.* Gloss in A. *col-  
latos*, B.

<sup>2</sup> *scrutetur in ipso*, B.

<sup>3</sup> *dimittitur*, B.

<sup>4</sup> *i. equo.* Gloss in A.

<sup>5</sup> *dimittit*, B.

<sup>6</sup> *Sed*, B.

<sup>7</sup> *Non*, A.

<sup>8</sup> *vilis.* Gloss in A.

<sup>9</sup> *jacens*, B.

<sup>10</sup> *Obs proprium nomen est.* Gloss  
in A.

<sup>11</sup> *Corrigit*, B. M.

<sup>12</sup> *excursum*, A.

<sup>13</sup> *in virga*, B. M.

<sup>14</sup> *Reddidit*, B.

<sup>15</sup> *superatur, vincitur*, B.

Paret,<sup>1</sup> et ad nutum rationis fessus anhelat.  
 Sic primum componit equos auriga Sophiæ,  
 Ne si quadrigam Phronesis conscendat, eisdem<sup>2</sup>  
 Indomitis,<sup>3</sup> spatiuntur<sup>4</sup> equi, normamque relinquunt,<sup>5</sup>  
 Devia sectentur, laxent juga, vincula solvant;  
 Cuncta fluant, nutet<sup>6</sup> currus, compago vacillet,  
 Singula solvantur, laxetur nexus, habenæ  
 Depereant, et tota<sup>7</sup> labet substantia currus.  
 Postquam compositus ordo per singula currens  
 Singula composuit,<sup>8</sup> Phronesis conscendere<sup>9</sup> currum  
 Disponens talem sese componit in usum.  
 Assidet, applaudit, congaudet, complacet illi  
 Curia tota simul, multoque favore recessum  
 Virginis exhilarat, reditus felicius omen  
 Orat, et eventus reditu meliore serenos.  
 Oscula multiplicat repetens, et in ore sigillum<sup>10</sup>  
 Imprimit expresso, complexu brachia nectens,  
 Colla ligans, animoque simul cum voce salutans  
 Illam, congeminans iterat repetitque salutem.  
 Tunc monitu Rationis adest Prudentia, currum  
 Conscendit, currusque decor cumulatus abundat  
 Plenius, et roseo flammatur sidere vultus.  
 Instat equis Ratio, virga dictante, jugales  
 Aggrediuntur iter,<sup>11</sup> currus subtollitur,<sup>12</sup> exit  
 Terras, et tenuem currens evadit<sup>13</sup> in auram.  
 Aeris ingrediens tractus Prudentia caute<sup>14</sup>  
 Singula disquirat animo, quæ<sup>15</sup> vendicat aer  
 Ipse sibi, scrutatur eum, penetratque fugacem.  
 Inquirat quæ materies, quæ nubis origo;

<sup>1</sup> *Parcet*, B.<sup>2</sup> *eadem*, M.<sup>3</sup> *Indomiti*, M.<sup>4</sup> *spacientur*, B. M.<sup>5</sup> *relinquant*, B.<sup>6</sup> *nutet*, B.<sup>7</sup> *cuncta*, A.<sup>8</sup> *componit*, A.<sup>9</sup> *transcendere*, A.<sup>10</sup> *et more sigillans*, B.<sup>11</sup> *Aggrediuntur equi*, A.<sup>12</sup> *sustollitur*, B.<sup>13</sup> *exivit*, A.<sup>14</sup> *tanto*, A.<sup>15</sup> *qui*, A.

Quomodo terra madens proprio sudore resudat  
 In nubes, cœloque suos componit amictus.  
 Cur Phœbus sitiens æstuque calorih anhelus  
 Haurit ab Oceano potus, sua pocula vertit  
 In nubes, crasso suspendit in aere nimbi  
 Nubilia vasa, scyphos imbris, pluviaëque lagenas.<sup>1</sup>  
 Qualiter ignis hebet moriens in nube, paritque  
 Fulmina,<sup>2</sup> dum moritur; sic morte nocivior instat  
 Quam vita, vivusque nequit quod mortuus infert.  
 Unde trahunt ortum venti, quæ semina rerum  
 Inspirent<sup>3</sup> motum ventis, causasque<sup>4</sup> movendi.  
 Cur Auster pluvias pluviaë pincerna propinat<sup>5</sup>  
 Terris, et plene largitur pocula mundo.  
 Qualiter austrinos Boreæ sitis ebibit imbres,  
 Emundatque vias pluviis quasi scopa viarum.  
 Qualiter agricola Zephyrus sine vomere terras  
 Excolit, et florum segetes extollit in hortis.  
 Cur volucris celeri<sup>6</sup> pennarum remige tuta,<sup>7</sup>  
 Plumas in remos, alas in carbasa fingens,<sup>8</sup>  
 Transmeat aerium<sup>9</sup> pelagus quasi navis imago,  
 Et sine naufragio talem pertransit abyssum,  
 Tuta, nec in tali pelago timet illa Charybdim.

## CAP. V.

Aeris occultos aditus, secreta, latebras  
 Altius inquirat Phronesis, sensuque profundo  
 Vestigans, videt intuitu meliore vagantes  
 Aerios cives,<sup>10</sup> quibus aer carcer, abyssus,<sup>11</sup>  
 Pœna, dolor risus, mors vivere, culpa triumphus;

<sup>1</sup> *Vasa, ciphos imbris varii plu-  
viique lagenas, A. B.*

<sup>2</sup> *Flumina, B. M.*

<sup>3</sup> *Incutiunt, B.*

<sup>4</sup> *causamque, A. ventis quæ causa,  
B.*

<sup>5</sup> *propinet, A. B.*

<sup>6</sup> *cæteri, A. M.*

<sup>7</sup> *trita, B.*

<sup>8</sup> *vergens, A.*

<sup>9</sup> *æthereum, A.*

<sup>10</sup> *i. dæmones. Gloss in A.*

<sup>11</sup> *abusus, A.*

Quorum mens humili livoris læsa veneno  
 In genus humanum virus transfundit, ut ipsum  
 Consimili sanie<sup>1</sup> morboque laboret eodem.  
 Hi sunt qui semper in nos armantur, inermes  
 Dejiciunt,<sup>2</sup> vincunt armatos, rarius ipsi  
 Cedunt, sed victi nequeunt iterare duellum.  
 Qui velut aërio vestiti corpore, nostram  
 Mentiti<sup>3</sup> speciem, multo phantasmate brutos  
 Deludunt<sup>4</sup> homines, falsi verique sophistæ.  
 In tenebris lucem simulant, in lite<sup>5</sup> quietem,  
 Abscondunt sub pace dolos, in felle figurant  
 Dulcia, sub specie recti vitiata propinant.  
 Hos Deus esse deos fecit, quos lumine vero  
 Vera dies perfudit, quos<sup>6</sup> ab origine prima  
 Vestivit<sup>7</sup> deitatis honor, qui luce relicta  
 In tenebras abiire suas; qui fonte relicto  
 Inferni petiere lacus; qui veste decoris  
 Exuti, vestem gemitus saccumque doloris  
 Injecere sibi; qui, majestate superna  
 Dejecti, sine fine sibi meruere ruinam.  
 O gravis eventus, casus miser, unica pestis!  
 Jam servit qui liber erat, mendicat abundans  
 Qui fuit, exilium patitur qui primus in aula  
 Regnabat, patitur pœnas a rege secundus.  
 Hoc casu fit gemma lutum, fit purpura saccus,  
 Lux tenebræ, species confusio, gloria casus,  
 Risus tristities, requies labor, alga hyacinthus.<sup>8</sup>  
 Cœlestis sic stella cadit, sic Lucifer ortus  
 Nescius occasu premitur, sic civis Olympi  
 Exulat ejectus, nec temperat exulis omen.  
 Spes reditus, spes omnis abest, ceditque timori.  
 O fastus vitanda lues, fugienda Charybdis,

<sup>1</sup> *putredine*. Gloss in A.

<sup>2</sup> *Demunt, et*, A.

<sup>3</sup> *Mentiri*, B.

<sup>4</sup> *Decipiunt*, B.

<sup>5</sup> *in luce*, A.

<sup>6</sup> *dies fudit, vel quos ab*, A.

<sup>7</sup> *Destituit*, B.

<sup>8</sup> *jacinctus*, A. B.

Culpa gravis, morbus communis, publica pestis,  
 Janua peccati, vitiorum mater, origo  
 Nequitiae, semen odii, venatio pugnæ!  
 Quæ cadit ascendens, elata perit, peritura  
 Erigitur, promotâ ruit, ruitura tumescit.  
 Quæ se<sup>1</sup> ferre nequit, supra se lata, ruinam  
 Infra<sup>2</sup> se patitur, nec sese sustinet, immo  
 Mole sua premitur, proprio sub pondere lapsa.  
 Extra se cogit hominem se quærere, dum se  
 Exit homo,<sup>3</sup> factusque sibi contrarius, a se  
 Discrepat, oblitusque sui se nescit, et ultra  
 Transgrediens, evadit adhuc, plus esse laborans  
 Quam sit, nec propria contentus origine, sese  
 Esse cupit major, et se superare laborat,  
 Quod petit amittens, perdens quod postulat, optans  
 Quod sibi mentitur, falsum venatur<sup>4</sup> honorem.  
 Hæc pestis rectum vitiat, deturpat honestum,  
 Fermentat mores, justum fugat, utile perdit.  
 Hæc saliunca<sup>5</sup> rosas, hæc nubes nubilat astra  
 Virtutum, cujus tenebris patiuntur eclipsim.  
 Luce hac cœlestis<sup>6</sup> regni proscriptus ab aula  
 Delictum luit exilio, pœnaque reatum  
 Angelus, a propria demissus sede, tumore  
 Fractus, dejectus fastu, livore solutus.

## CAP. VI.

Aeris excurso<sup>7</sup> spatio, quo nubila cœli  
 Nocte sua texunt tenebras,<sup>8</sup> quo pendula nubes<sup>9</sup>  
 In se cogit aquas, quo grandinis ingruit imber,  
 Quo certant venti, quo fulminis ira tumescit,

<sup>1</sup> *In*, A.<sup>2</sup> *Intra*, A.<sup>3</sup> *Excedit*, A.<sup>4</sup> *veneratur*, B.<sup>5</sup> *salvinea*, B.<sup>6</sup> *Hac lue cœlestis*, A.<sup>7</sup> *excursus*, B.<sup>8</sup> *nebulas*, A.<sup>9</sup> *nubem*, B.



Æthera transgreditur Phronesis, quo gratia pacis  
Summa viget, quo grata quies, quo gratior aura  
Cuncta fovet, quo cuncta silent, quo purior æther  
Ridet, et expellit fletum, quo nubilus aer  
Ingemit et totus archano lumine floret.

Æthereæ lucis superatis tractibus<sup>1</sup> illa<sup>2</sup>  
Altius ingreditur spatium, quo splendor et ignis  
Jura tenent, lux grata micat, sed conjuga luci<sup>3</sup>  
Lucis blanditias retrahit vis ipsa caloribus.<sup>4</sup>  
Hæc<sup>5</sup> rerum novitas, rerum decus, unica rerum  
Forma, decor mundi, visum demulcet euntis  
Virginis, et cantus species nova debriat<sup>6</sup> aurem.<sup>7</sup>  
Sed parco tamen auditu sonituque minore  
Concipit illa sonum, certa tamen imbibit aure.  
Qualiter hic sonitus<sup>8</sup> citharæ cœlestis obesis  
Vocibus expirat, ubi lunæ sphæra remisso  
Suspirat cantu, rauce sonat, immo sonando  
Pene silet, languetque sonans, nervique jacentis<sup>9</sup>  
Inferius<sup>10</sup> gerit illa vicem, chordamque minorem  
Reddit, et in cithara sedem vix illa meretur.  
Hic videt explicito visu Prudentia lunæ  
Detrimenta, vices, cursus, momenta, labores ;  
Quomodo junctus ei Phœbus depauperat illam  
Luce, vel econtra Phœbo furatur honorem  
Luminis, et populos fallaci nocte<sup>11</sup> timere  
Cogit, et effigiem noctis sine nocte figurat.  
Humores cur luna parit, cur æquora lunæ  
Detrimenta luunt, vel eadem divite gaudent.  
Quid notet in luna lunæ nota, quidve notando  
Signet, nec tenuem possit delere lituram  
Splendoris cumulus, dum fonti luminis instat

<sup>1</sup> *tractatibus*, M.

<sup>2</sup> *illi*, A.

<sup>3</sup> *cæli*, A.

<sup>4</sup> *coloris*, A.

<sup>5</sup> *Hic*, M.

<sup>6</sup> *inebriat*, M.

<sup>7</sup> *aures*, B.

<sup>8</sup> *iste sonus*, B.

<sup>9</sup> *tacentis*, A.

<sup>10</sup> Corrected to *infirmi* in the margin of A.

<sup>11</sup> *voce*, B.

Parva lues, nec ei dignatur cedere, cum quo  
 Litigat, et radio lucis magna<sup>1</sup> umbra diescit.<sup>2</sup>  
 Altius evadens<sup>3</sup> virgo, conscendit in arcem  
 Sol ubi jura tenet, ubi solis cereus ardet,  
 Scaturit et lucis<sup>4</sup> fons vivus, vena caloris  
 Manat, splendorisque novi thesaurus abundat.  
 Illic virgo videt<sup>5</sup> quæ sit via, semita, cursus<sup>6</sup>  
 Solis, et unde sui sumat fomenta vigoris  
 Æthereæ lucis genitor,<sup>7</sup> fons, pastor, origo.  
 Qualiter in stellis regnans, arctansque<sup>8</sup> plane tas  
 Imperio servire suo, nunc stare meantes  
 Cogit, nunc tumidos sectari devia sola  
 Majestate jubet, nunc libertate meandi  
 Concessa motus, reddit sua jura planetis.  
 Qualiter alternans vultus, ætatis in ortu  
 Fit<sup>9</sup> puer, inque die medio juvenescit adultus,  
 Mentiturque virum tandem, totusque senescit  
 Vespere; sic varias species ætatis<sup>10</sup> ad horam  
 Sol profert,<sup>11</sup> unusque dies complectitur ævum.  
 Jam lunæ sonitum fastidit virginis auris  
 Quam dulcis, meliorque sonus seducit, inescans  
 Aurem, nec cantus memorem sinit esse prioris.  
 Hunc cantum Syrena parit, quæ solis adhæret  
 Motibus, et citharam vocis<sup>12</sup> dulcore fatetur.  
 Vox omnis miratur eam, veneratur adorans,  
 Totiusque sonus citharæ suspirat ad illam.  
 Egrediens solis regnum<sup>13</sup> maturat in altum  
 Gressus virgo suos, sed gressum præpedit ipse<sup>14</sup>  
 Limitis anfractus anceps, multæque viarum  
 Ambages, tandem superato calle laboris

<sup>1</sup> *magis*, A. B.

<sup>2</sup> *diescit*, B.

<sup>3</sup> *egrediens*, A. *evadit*, B.

<sup>4</sup> *Et lucis scaturit*, A. B.

<sup>5</sup> *studet*, A.

<sup>6</sup> *currus*, B.

<sup>7</sup> *genitor lucis*, A.

<sup>8</sup> *arcensque*, A. *artansque*, B.

<sup>9</sup> *Sit*, B.

<sup>10</sup> *ecertis*, B.

<sup>11</sup> *præfert*, A. B.

<sup>12</sup> *lucis*, A.

<sup>13</sup> *regno*, B.

<sup>14</sup> *præpedit ipse*, A. *ipsa*, M.

Pondere, cautelæ studio, regione potitur,  
 Qua Venus<sup>1</sup> et Stilbon<sup>2</sup> complexis nexibus hærent.  
 Illic præcursor solis præcoque diei  
 Lucifer exultat, terris solatia lucis  
 Præsignans, ortuque suo præludit ad ortum  
 Solis, et auroram proprio prædicit in ortu.  
 Gressibus his Stilbon<sup>3</sup> comes indivisus adhæret,  
 Tanquam verna sui comitans vestigia solis,  
 Obnubensque comas radiis solaribus, ignes  
 Temperat, et solis obnubilat astra galero.  
 Sphæraque<sup>4</sup> Luciferi motu levis,<sup>5</sup> ocior aura,  
 Motu parturiens sonitum, lascivit acuta  
 Voce, nec in cithara Veneris plebeia putatur  
 Musa, sed auditus assensum jure meretur.  
 Voce pari, similique modo, cantuque propinquo<sup>6</sup>  
 Mercurii Syrena canit, Venerisque camœnam  
 Reddit, et ex æquo sonitu citharizat amico.<sup>7</sup>

## CAP. VII.

Progreditur Phronesis, flammata palatia Martis  
 Ingrediens, stupet insultus, irasque caloris,  
 Quem<sup>8</sup> parit ille locus, qui totus in igne vaporans  
 Nil novit<sup>9</sup> nisi fervores ignisque procellas.  
 Non ibi luget hiems, non veris gratia ridet,  
 Non tumet autumnus, sed tantum fulminat æstas.  
 Imperat hic Mars igne calens, fœcundus in ira,  
 Bella serens,<sup>10</sup> sitiens lites, nostrique sititor  
 Sanguinis, excutiens pacem, fœdusque rescindens.<sup>11</sup>  
 Qui regni violare fidem, mutare potentes  
 Gaudet, flammantis<sup>12</sup> vestitus crine cometæ;  
 Qui parat arma viris, cogit sperare<sup>13</sup> furentes,

<sup>1</sup> *novus*, A.<sup>2</sup> *duæ stellæ*. Gloss in A.<sup>3</sup> *Stilicon*, A. *stella*. Gloss in A.<sup>4</sup> *Sparsaque*, A.<sup>5</sup> *Jovis*, B.<sup>6</sup> *propinquos*, A.<sup>7</sup> *amico*, altered to *eundo*, A.<sup>8</sup> *Quam*, A.<sup>9</sup> *Nil venit*, B.<sup>10</sup> *sciens*, A.<sup>11</sup> *redicens*, M.<sup>12</sup> *flammato*, A.<sup>13</sup> *superare*, B.

Seminat insultus, parit iras, laxat amores.  
 Quid gerat interius facies docet ipsa, rubore  
 Prædicat interni rabiem pestemque furoris.  
 Tabe sua vitiat comitem,<sup>1</sup> sociumque planetam  
 Vel sævum sævire magis, vel forte benignum  
 Nequitia docet esse trucem, læditque veneno.  
 Cujus sphæra ruens,<sup>2</sup> torrentis more, tonando  
 Clamat, et altiloquos resonat clamore boatus.  
 Altius exclamat reliquis Syrena tonantis  
 Martis, sed cantus dulcedo remittitur ipsa  
 Tempestate soni languens, minuitque favorem  
 Asperitas, vocisque rigor, fert damna favori.

Et jam Lemniacos vomitus ignisque vapores  
 Virgineus labor evadit, nec flamma vianthem  
 Contigit, aut ejus ausa<sup>3</sup> est contingere crinem.  
 Tunc Jovis innocuos ignes, lucisque serenæ  
 Lætitiâ, risusque poli pertemptat eundo.  
 Hæc<sup>4</sup> regio stellæ Jovialis lampade tota  
 Splendet, et æterno<sup>5</sup> lætatur vere<sup>6</sup> beata.  
 Hic sidus Joviale micat, mundoque salutem  
 Nuntiat, et Martis iram Martisque furorem  
 Sistit, et occurrit tranquilla pace furenti.  
 Cui si stella mali<sup>7</sup> prænuntia, prævia casus  
 Jungitur, ille tamen inimicum sidus amicat,  
 Alternansque<sup>8</sup> vices in risus tristia, planctum  
 In plausus, fletusque graves in gaudia<sup>9</sup> mutat.  
 Vel si forte Jovi societur stella salutis  
 Numia,<sup>10</sup> stella Jovis vultu meliore salutem  
 Auget, et eventus melioris duplicat omen,  
 Fœdus amans, pacisque sator, nutritor amoris,  
 Extirpans iras,<sup>11</sup> proscribens bella, furores

<sup>1</sup> *comitem vitiat*, B.

<sup>2</sup> *tumens*, A.

<sup>3</sup> *ejus causa*, B.

<sup>4</sup> *Hic*, A. B.

<sup>5</sup> *æterna*, A.

<sup>6</sup> *luce*, A.

<sup>7</sup> *maris*, A.

<sup>8</sup> *Alternasque*, A.

<sup>9</sup> *In plausus vertit, fletus in gaudia*, B.

<sup>10</sup> *Nuntia*, A. B.

<sup>11</sup> *rixas*, A.

Compescens, delens lites, Martemque refrenans.  
 Qui motu generans sonitum, non verberat auram  
 Obtuso cantu, sed dulcibus allicit aurem <sup>1</sup>  
 Cantibus, et dulcem philomelam <sup>2</sup> reddit amœnans  
 Musa Jovis, tantoque soni lætatur alumno  
 Musica, qui <sup>3</sup> propriæ thesauros aggerat artis.

## CAP. VIII.

Ulterius progressa suos Prudentia gressus  
 Dirigit ad superos, superans Jovis atria cursu,  
 Saturnique domos, tractu majore jacentes  
 Intrat, et algores <sup>4</sup> hiemis brumæque pruinas  
 Horret, et ignavum frigus miratur in æstu.  
 Illic fervet hiems, æstas algescit, et æstus  
 Friget, delirat splendor, dum flamma tepescit.  
 Hic tenebræ lucent, hic lux tenebrescit, et illic  
 Nox cum luce viget, et lux cum nocte diescit.  
 Illic Saturnus spatium percurrit avaro  
 Motu, progressuque gravi, longaque dieta.  
 Hic algore suo prædatur gaudia veris,  
 Furaturque decus pratis, et sidera florum,  
 Algescitque calens, frigens fervescit, inudat <sup>5</sup>  
 Aridus, obscurus lucet, juvenisque senescit.  
 Nec tamen a cantu sonus ejus degener errat ;  
 Sed comitum voces vox prævenit hujus adulto  
 Concentu, quem non cantus obtusio reddit  
 Insidium, cui dat vocis dulcedo saporem.  
 Hic dolor et gemitus, lacrimæ, discordia, terror,  
 Tristities, pallor, planctus, injuria regnant.

<sup>1</sup> *aures*, B. This line is not found  
 in M.

<sup>2</sup> *philomenam*, B.

<sup>3</sup> *quæ*, B.

<sup>4</sup> *algentes*, A.

<sup>5</sup> *inundat*, M.

## ANTICLAUDIANI

## DISTINCTIO QUINTA.

## CAP. I.

Lucis inoffensæ spatium, fontemque nitoris,  
 Obtuso cantu, sed dulcibus allicit aures.<sup>1</sup>  
 Quo radiant stellæ, quo certant fulgure multo<sup>2</sup>  
 Astra poli, propriumque<sup>3</sup> diem sine fine pererrant.<sup>4</sup>  
 Quo cœli faciem<sup>5</sup> depingunt sidera, virgo  
 Exhilarata subit, hausto pro parte laboris  
 Pondere, lætaturque poli perflata sereno.  
 In stellis ibi<sup>6</sup> præradiant,<sup>7</sup> cœloque fruuntur,  
 Quos vel fama bonos<sup>8</sup> facto, vel fabula verbo  
 Effinxit, retinentque sibi sine numine<sup>9</sup> nomen.  
 Hic novus Alcides cœlo submittitur, illic  
 Perseus ardentis gladio metit ora Medusæ;  
 Illic ense carens, ensem mentitus<sup>10</sup> Orion  
 Sub pugnæ facie<sup>11</sup> sine bello bella minatur.  
 Hæmoniusque senex arcu dictante sagittam  
 Excitat ad motum, nullo tamen illa volatu  
 Effugit, aut monitus arcus evadit eundo.  
 Hic proles<sup>12</sup> Ledæa micat, nec pignus amoris  
 Quem<sup>13</sup> prius in terris gessit, deponit in astris.

<sup>1</sup> This line is wanting in A. and B.

<sup>2</sup> *multe*, B.

<sup>3</sup> *primumque*, A.

<sup>4</sup> *perennant*, A. B.

<sup>5</sup> *faciem cœli*, A.

<sup>6</sup> *sibi*, A. *ubi*, B.

<sup>7</sup> *i. illi*. Gloss in A.

<sup>8</sup> *deos*, A. B.

<sup>9</sup> *sine nomine*, B.

<sup>10</sup> *mentitur*, A. B.

<sup>11</sup> *Sub facie pugnæ*, B.

<sup>12</sup> *i. Castor et Pollus*. Gloss in A.

<sup>13</sup> *Quam*, A.

Vertitur in sidus stellatus sidere famæ  
 Hic, cujus dono medicinæ stella caducis  
 Illuxit, contra morbos dans arma salutis.  
 Ablatos<sup>1</sup> redimit vultus, et damna pudoris  
 Parrhasis, in cœlum translata, repensat eidem  
 Jupiter ablatum florem, pro flore pudoris  
 Æterno largitus<sup>2</sup> ei florere nitore.<sup>3</sup>  
 Præterea stellis variis<sup>4</sup> inscribitur aula  
 Cœli, quas vario titulavit nomine quondam  
 Musa poetarum, veri sub imagine ludens.  
 Signorum duodena cohors præfulget in astris,  
 Excepto fulgore nitens, infraque relinquit<sup>5</sup>  
 Stellarum vulgus, reliquasque supervenit astro.<sup>6</sup>  
 Hic ardet Cancer, urit Leo, Virgo resultat,  
 Æquat Libra diem, crudescit Scorpius, alget  
 Chiron,<sup>7</sup> Capra riget, diffunditur Urna, madescunt  
 Pisces, exultat Aries, vexilla gerendo  
 Veris præradiat<sup>8</sup> Taurus, Geminique Lacones.<sup>9</sup>  
 Hanc cœli speciem Phronesis delibat ocellus,  
 Quam penetrare nequit visus, notamque requirit<sup>10</sup>  
 Materiem,<sup>11</sup> tantæque stupet miracula lucis.

## CAP. II.

Postquam cœlestes aditus, cœlique profundum,  
 Astrorumque vagos redditus<sup>12</sup> emensa<sup>13</sup> reliquit,<sup>14</sup>  
 Inque supercilio mundi stetit, anxia mente  
 Fluctuat, in varios motus deducitur, hæret  
 Mens, animusque fluit, dubitanti mente<sup>15</sup> voluntas  
 Ipsa, nec in certo defigitur anchora mentis.

<sup>1</sup> M. omits the words from *quam* to *Ablatos*, and makes one line, *Illuxit redimit vultus, et damna pudoris*.

<sup>2</sup> *largitur*, B.

<sup>3</sup> *pro flore nitorem*, A. *florere pudore*, B.

<sup>4</sup> *variis stellis*, B. M.

<sup>5</sup> *relinquens*, A.

<sup>6</sup> *supervenit astu*, A.

<sup>7</sup> *Echiron*, A.

<sup>8</sup> *præradiant*, B. *prædicat*, M.

<sup>9</sup> *Lacenes*, A.

<sup>10</sup> *reliquit*, B.

<sup>11</sup> *Materiam*, B.

<sup>12</sup> *reditus*, A.

<sup>13</sup> *emensa*, A.

<sup>14</sup> *Prudentia*. Gloss in A.

<sup>15</sup> *dubitatur cum mente*, B. M.

Namque timet, dubitatque, timens ambage locorum  
 Seduci, quos ulterius via porrigit anceps ;  
 Quæ<sup>1</sup> nullos hominum gressus, volucrumque volatus  
 Nescit, ab incursu rerum strepituque viantum  
 Funditus excipitur nullo vexata tumultu.  
 Hic hominis gressus nutans peccaret eundo,  
 Ebrius erraret pes ipse, pedisque lucerna  
 Otia<sup>2</sup> visus hebens ageret, pedibusque negaret  
 Ducatum, lumenque foret sub lumine cæcum.  
 Non quod regnet ibi noctis caligo, sed illam  
 Emphaticæ lucis splendor purgatus inignit.  
 Difficilis conscensus ad hanc,<sup>3</sup> facilisque recessus ;  
 Accessus paucis, casus patet omnibus, in quam  
 Vix aliquis transire valet, valet omnis ab illa  
 Declinare via, quæ paucis pervia, multis  
 Clauditur, arcta nimis virtuti, larga ruinæ.  
 Non huc<sup>4</sup> nobilitas generis, non gratia formæ,  
 Non gazæ dejectus amor, non gloria rerum,  
 Non mundanus apex, non virtus corporis, audax  
 Improbitas hominis, præceps audacia tendit ;  
 Sed solum virtus animi, constantia mentis,  
 Factaque nobilitas, non nata, sed insita menti,  
 Interior species, virtutum copia, morum  
 Regula, paupertas mundi, contemptus honoris.  
 Difficiles igitur aditus, facilemque ruinam,  
 Cum Phronesis videat, magno succenditur æstu  
 Sollicitæ mentis,<sup>5</sup> victique labore jugales,  
 Nec juga ferre velint, nec solvere jura magistro,  
 Ignarique viæ callem mirentur ineptum  
 Gressibus, et pedibus gradiendi<sup>6</sup> jura negantem ;  
 Non<sup>7</sup> Ratio sursum<sup>8</sup> deflectere possit habenas,  
 Quas retinent instanter equi, dominæque repugnant  
 Effrenes, ultraque negant servire jubenti.  
 Dum mentem Phronesis anceps sententia motus

<sup>1</sup> *Quod*, A.<sup>2</sup> *Oscia*, A.<sup>3</sup> *est ad hanc*, A.<sup>4</sup> *hæc*, A.<sup>5</sup> *Sollicitat mentem*, A.<sup>6</sup> *gradiandi*, A.<sup>7</sup> *Nec*, B. M.<sup>8</sup> *cursus*, A. *nec sursum*, B.



Distrahit<sup>1</sup> in varios, nec prætemptare locorum  
Abdita sola potest, nisi quis præmonstret eidem,  
Vel conducat eam gressum<sup>2</sup> moderatus euntis.

## CAP. III.

Ecce puella, poli residens in culmine, cœlum  
Despiciens, sursum delegans lumina, quoddam<sup>3</sup>  
Extramundanum toto conamine visus  
Vestigans, nil corporeum venata, sed ultra  
Transcendens incorporei<sup>4</sup> scrutata latentem  
Causam, principium rerum finemque requirens  
Visibus offertur Phronesis, visumque nitore  
Luminis offendens, mentem novitate relaxat.  
Nec mirum, quoniam tanto fulgore decoris  
Præminet,<sup>5</sup> ut stellas<sup>6</sup> præditet fulgure, lumen  
Lumine multiplicans, et lucem luce, nec ipsi  
Lumen adoptivum largiri cesset Olympo.  
Nil terrestre gerens facie, nil ore caducum  
Insinuans, mortale nihil, genitumque<sup>7</sup> puellæ  
Demonstrat facies, tantum cœleste, quod offert  
Forma puellaris: hanc<sup>8</sup> argumenta decoris  
Esse deam monstrant: instantia nulla refellunt,<sup>9</sup>  
Quod decor ipse probat, faciesque simillima cœlo.  
Inflamat diadema caput, quod lampade multa  
Gemmarum radians auro flammatur, et extra  
Scintillans lapidum duodeno sidere fulget.  
Librum dextra gerit, sceptrum regale sinistra  
Gestat, et ad librum plerumque<sup>10</sup> recurrit ocellus.  
Sed raro redit ad virgam, tandemque revertens  
Circuit ille<sup>11</sup> manum sollers, ne læva vacillet  
Succumbens oneri virgæ, sceptrumque resignet.

<sup>1</sup> *Detrahit*, A.<sup>2</sup> *gressus*, A.<sup>3</sup> *quiddam*, B. M.<sup>4</sup> *in corporeis*, A.<sup>5</sup> *Præminet*, A. M.<sup>6</sup> *stella*, B.<sup>7</sup> *geminumque*, A. *geniumque*, B.<sup>8</sup> *hinc*, A.<sup>9</sup> *refellit*, B. M.<sup>10</sup> *populumque*, A.<sup>11</sup> *i. ocellus*. Gloss in A.

Claudit eam vestis, auro perfusa, refulgens  
 Argento, plus veste decens, habituque decenti  
 Grator, et puro cœli fulgentior astro;  
 Quam divina manus et sollers dextra Minervæ  
 Texuit, ut formæ nobis exponit honestas.  
 Hic archana Dei, divinæ mentis abyssum,  
 Subtilis describit acus, formaque figurat  
 Informem, locat immensum, monstratque latentem.  
 Incircumscriptum describit, visibus offert  
 Invisum, quod lingua nequit, pictura fatetur.  
 Quomodo Naturæ subjectus sermo stupescit,  
 Dum temptat divina loqui, viresque loquendi  
 Perdit, et ad veteres cupit ille recurrere sensus;<sup>1</sup>  
 Mutescuntque soni, vix balbutire<sup>2</sup> valentes,  
 Deque novo sensu deponunt verba querelam.  
 Qualiter ipse Deus in se capit omnia rerum  
 Nomina, quæ non ipsa Dei natura recusat;  
 - Cuncta tamen mediante tropo,<sup>3</sup> dictante figura,  
 Sustinet, et voces puras sine rebus adoptat.  
 Ens justum<sup>4</sup> sine justitia, vivens sine vita;  
 Principium sine principio, finis sine fine,  
 Immensus sine mensura, sine robore fortis;  
 Absque vigore potens, sine motu cuncta gubernans;<sup>5</sup>  
 Absque loco loca cuncta replens, sine tempore durans;  
 Absque situ residens, habitus ignarus habendo  
 Cuncta simul,<sup>6</sup> sine voce loquens, sine pace quietus;  
 Absque novo splendore nitens, sine luce coruscans.  
 Nec solum justus vera ratione, sed ipsa  
 Justitia est, nec solum lucidus ipse, sed ipsa  
 Lux est, nocte carens, nec solum nomine solo  
 Dicitur immensus, verum mensura, caduca  
 Singula describens, et certis sinibus<sup>7</sup> aptans.  
 Nec fortis sola dicti ratione, sed ipsum  
 Robur subsistit æterno robore nitens.

<sup>1</sup> *veterem . . sensum*, B. M.

<sup>2</sup> *balbutiare*, A.

<sup>3</sup> *i. figura*. Gloss in A.

<sup>4</sup> *justus*, A. B.

<sup>5</sup> This line is wanting in M.

<sup>6</sup> *semel*, B.

<sup>7</sup> *finibus*, A. B.

Solus jure potens, qui summa potentia, solus  
 Cuncta potest, a quo procedit posse potentum,<sup>1</sup>  
 Nec solum loca cuncta replet, sed singula solus  
 Infra se claudit quasi meta, locusque locorum.  
 Hic<sup>2</sup> legitur,<sup>3</sup> tamen obscure, tenuique figura,  
 Qualiter una, manens, simplex, æterna, potestas,  
 Fons, splendor, species, via, virtus, finis, origo,  
 Ingenitus genitor, vivens Deus, unicus auctor,  
 Unus in usia,<sup>4</sup> personis trinus, in uno  
 Unicus esse manet, quæ<sup>5</sup> trina relatio trinum  
 Reddit, et in trino manet unus, trinus in uno.

Qua ratione Patris speculum, lux, splendor, imago,  
 Filius est, a Patre Deo, Deus unus et idem,  
 Principium de principio, de lumine lumen,  
 Sol de sole micans, splendor productus ab igne,  
 A simili similis, a vero verus, ab uno  
 Unus, ab æterno nascens æternus, ab æquo  
 Æqualis, bonus a summo, sublimis ab alto.  
 Qualiter ardor, amor, concordia, forma, duorum  
 Spiritus est, in quo propriæ Pater oscula proli  
 Donat, et in nato sese Pater invenit, in quo  
 Se videt, ipse parens, dum de se nascitur ipse  
 Alter, et ingenito splendet gignentis imago.

## CAP. IV.

Cultibus his afflata poli regina caduca  
 Deserit, atque Dei secretum consulit, hæret  
 Divinis, mentem terrenis excitat,<sup>6</sup> ipsam  
 Haurit mente noym,<sup>7</sup> divini fluminis haustu  
 Ebria, sed potius dicatur sobria, namque

<sup>1</sup> *potenter*, B.<sup>2</sup> *i. hoc loco, s. in vestibus fidei.*

Gloss in A.

<sup>3</sup> *Hic sequitur*, B.<sup>4</sup> *i. in sua substantia.* Gloss in A.Of course it is the Greek *ὁυσία*.<sup>5</sup> *quem*, B.<sup>6</sup> *exuit*, A. B.<sup>7</sup> *noym*, *i. divinam mentem.* Gloss in A.

Ebrietas nascens ex tali nectare, plena  
 Sobrietate viget, nec mentem cogit ab usu  
 Degenerare suo, verum generosius ipsam  
 Erigit, elimans<sup>1</sup> nostræ contagia sordis.  
 Hanc humili gressu, vultu submissa, modesta  
 Gestibus, assequitur Phronesis, primoque salutem  
 Delibans, tali pingit concepta<sup>2</sup> loquela.

“ O regina poli, cœli dea, filia summi  
 “ Artificis, nec enim facies divina caducam<sup>3</sup>  
 “ Te docet, aut<sup>4</sup> nostri generis deferre<sup>5</sup> lituram ;  
 “ Quam probat esse deam vultus, sceptrumque fatetur  
 “ Reginam, natamque Deo tua gloria monstrat,  
 “ Cui superum sedes, cœli via, limes Olympi,  
 “ Extramundanus orbis, regioque Tonantis  
 “ Tota patent,<sup>6</sup> soliumque Dei fatumque<sup>7</sup> quod ultra est,  
 “ Me moderare<sup>8</sup> vagam, stupidam rege, siste timentem,  
 “ Indoctamque doce, fluitantem corripe, tristem  
 “ Lætifica, gaudens peregrino<sup>9</sup> consule, cœptum  
 “ Perfice, nutantem<sup>10</sup> firma, succurre cadenti.  
 “ Nam vaga sum, tremebunda, stupens, indocta, laborans,  
 “ Deficiens, ignara loci, peregrina, fatiscens.  
 “ Quæ<sup>11</sup> nitens superare polos, sedesque supernas,  
 “ Invadens penetrare Dei, thalamumque Tonantis,  
 “ Consiliumque Jovis, nutans, vaga, sola, pererrans,  
 “ Aggredior, cœlique vias pertempto latentes.  
 “ Nec<sup>12</sup> tamen inconstans, præceps, improvida, casu  
 “ Præcipitante vias, istos invado labores.  
 “ Sed precibus cedens et tandem velle coacta ;  
 “ Naturæ monitu,<sup>13</sup> virtutum numine, nutu  
 “ Præcipue rationis, ad hos<sup>14</sup> ego mittor, ut ipsa

<sup>1</sup> *i. deponens.* Gloss in A. *exercens*, M.

<sup>2</sup> *mente.* Gloss in A.

<sup>3</sup> *esse.* Gloss in A.

<sup>4</sup> *docet.* Gloss in A.

<sup>5</sup> *deflare*, A.

<sup>6</sup> *patet*, A. B.

<sup>7</sup> *factamque*, B.

<sup>8</sup> *memorare*, A.

<sup>9</sup> *peregrinæ*, A. B.

<sup>10</sup> *nutantes*, B.

<sup>11</sup> *Quod*, A.

<sup>12</sup> *Non*, B.

<sup>13</sup> *nutu*, B.

<sup>14</sup> *ad hoc*, A. B.

" Naturæ summo præsentem <sup>1</sup> vota Tonanti.  
 " In multis errasse <sup>2</sup> manum Natura recordans,  
 " Erratum <sup>3</sup> revocare volens, culpasque priores  
 " Tergere, vel veteres <sup>4</sup> operis novitate beati  
 " Excusare notas, hominem formare, beatum  
 " Cudere, perfectum complere, creare modestum  
 " Temptat, quo possit veteres velare reatus,  
 " Erranti <sup>5</sup> mundo dans de tot millibus unum,  
 " Qui rectum sibi defendat, scrutetur honestum,  
 " Damnet avaritiam, diffundat munera, vitet  
 " Excessus, medium teneat, proscribat abusus.  
 " Nec sine <sup>6</sup> consiliis, nutu, moderamine, voto,  
 " Virtutum decernit opus, sed tota sororum  
 " Concio <sup>7</sup> conceptus assensu nutrit eosdem.<sup>8</sup>  
 " Sed quoniam tantum circa terrena potentis  
 " Naturæ viget officium, languetque potestas,  
 " In superis nil juris habens, animamque creare  
 " Nescia, quam sola fictoris dextra superni  
 " Format, et in nullo Naturæ jura requirit.  
 " Hac ratione diu nitens, multumque reluctans,  
 " Huc agor, et superos perquiro sola recessus,  
 " Quo possim deferre Deo quod concipit ipsa <sup>9</sup>  
 " Naturæ ratio, quod virtus optat,<sup>10</sup> ut ipsum  
 " Velle Dei vestrum <sup>11</sup> confortet velle, precesque <sup>12</sup>  
 " Audiatur, et nostris aspiret <sup>13</sup> gratia votis :  
 " Ut divina manus animam demittat ab alto,  
 " Quæ sit mente sagax,<sup>14</sup> virtute referta, pudore  
 " Prædita, præsignita <sup>15</sup> fide, pietate refulgens,  
 " Quæ carnis vestita toga, sic <sup>16</sup> visitet orbem,

<sup>1</sup> *præferrem*, A.<sup>2</sup> *errare*, B.<sup>3</sup> *Inque ratum*, A. *i. firmum*.

Gloss in A.

<sup>4</sup> *vel mentis*, A.<sup>5</sup> *Errandi*, B.<sup>6</sup> *Non sine*, A.<sup>7</sup> *Conscio*, A.<sup>8</sup> *eodem*, A.<sup>9</sup> *illa*, B.<sup>10</sup> *optet*, A. *oportet*, B.<sup>11</sup> *nostrum*, A. ? B.<sup>12</sup> *preceque*, A.<sup>13</sup> *aspirat*, B.<sup>14</sup> *ferax*, B.<sup>15</sup> *quæ signita*, A.<sup>16</sup> *vestita toga sit*, B.

“ Quod facinus redimat pietas, virtusque reatum,<sup>1</sup>  
 “ Incestumque pudor, fraudem jus, gloria casum,  
 “ Quæ superet<sup>2</sup> terrena domus, vis terrea, vestis  
 “ Corporeæ massæ, corpus mortale, potentis  
 “ Naturæ ditatur<sup>3</sup> opus, sic dote beandum<sup>4</sup>  
 “ Multiplici, nullo fraudatum munere formæ,  
 “ Ut jam corporeum non dedignetur habere  
 “ Spiritus hospitium,<sup>5</sup> nec tantus<sup>6</sup> defleat hospes  
 “ Hospitii tabem, sed carnis regnet in aula.  
 “ Ergo mihi describe viam, qua callis ad arcem  
 “ Supremi Jovis erigitur, ne devia passim  
 “ Errabunda ferar, ne nostrum devius error  
 “ Propositum perdat,<sup>7</sup> viduans mercede laborem.”

## CAP. V.

His verbis gavisæ poli regina,<sup>8</sup> benigno  
 Reddidit affatu,<sup>9</sup> quod se præberet eunti  
 Consortem, callisque ducem, gressusque magistram.  
 Sed soli Phronesi ducatum spondet, et ipsi  
 Consulit instanter, præcepti robur eidem  
 Consilio miscens, ut currum deserat, ipsos  
 In cælo deponat equos, comitemque relinquat  
 Inferius, quæ sit stabilis custodia tanti  
 Depositæ, currum sistens, frenansque<sup>10</sup> jugales ;  
 Ne si currus, equi, ratio nitantur in altum  
 Tendere, nec talem dignetur habere viantem  
 Semita cælestis, alios experta meatus,  
 Erret equus, nutet ratio, currusque vacillet.  
 Explentur præcepta deæ votisque favetur,  
 Stat ratio, sistuntur equi, quadriga quiescit.

<sup>1</sup> *redimat.* Gloss in A.<sup>2</sup> *superest,* A. B.<sup>3</sup> *dictatur,* A. B.<sup>4</sup> *beatum,* A.<sup>5</sup> *officium,* A.<sup>6</sup> *tamen,* B.<sup>7</sup> *reddat,* A.<sup>8</sup> *regina poli gavisæ,* A.<sup>9</sup> *affectu,* B.<sup>10</sup> *frenasque,* A.

Omnibus exclusis solum regina secundum  
 Consorti concedit equum, qui<sup>1</sup> parcius ipsum  
 Admirantur<sup>2</sup> iter, nec multum denegat ipsos.  
 Ascensu fractus<sup>3</sup> freni melioris habena  
 Fertur equo Phronesis, se fert regina, volatu  
 Fertur equus, dea certat equo, gressuque volantem  
 Prævenit, et comiti prætemptat prævia gressum.

Hactenus insonuit tenui mea Musa susurro,  
 Hactenus in fragili lusit mea pagina versu,  
 Phœbæa resonante chely;<sup>4</sup> sed parva resignans,<sup>5</sup>  
 Majorem nunc tendo lyram, totumque poetam  
 Deponens, usurpo<sup>6</sup> mihi nova verba prophetæ,  
 Cœlesti musæ terrenus cedit<sup>7</sup> Apollo,  
 Musa Jovi, verbisque poli parentia cedent<sup>8</sup>  
 Verba soli, tellusque locum concedet Olympo.  
 Carminis hujus ero calamus, non<sup>9</sup> scriba vel auctor,  
 Æs<sup>10</sup> resonans, reticens scriptoris charta, canentis  
 Fistula, sculptoris scalprum, vel musa loquentis,  
 Spina<sup>10</sup> rosam gestans, calamus nova mella propinans,  
 Nox<sup>10</sup> aliunde nitens, luteum vas, nectare manans.  
 Summe parens, æterne Deus, vivensque potestas,  
 Unica forma boni, recti via, limes honesti,<sup>11</sup>  
 Fons vitæ, sol justitiæ, pietatis asyllum,  
 Principium, finisque, modus, mensura, sigillum  
 Rerum, causa manens, ratio, noys alma, sophia  
 Vera, dies verus, lux nescia noctis, origo  
 Lucis, summa boni, perfectus, vita perennis<sup>12</sup>  
 Summa, decor mundi perfectus, vita perennis,  
 Nata regens, ventura serens, nascentia servans,  
 Omnia sub numero claudens, sub pondere sistens  
 Singula, sub stabili mensura cuncta coercens,

<sup>1</sup> *Præbet equum Phronesi, solito qui, A., omitted in B.*

<sup>2</sup> *Admiratur, A. B.*

<sup>3</sup> *Concessum fractus, A. Assensus, fretus, B.*

<sup>4</sup> *cheli, A. B.*

<sup>5</sup> *i. deponens. Gloss in A.*

<sup>6</sup> *i. manucapio. Gloss in A.*

<sup>7</sup> *cedat, B.*

<sup>8</sup> *cedunt, B.*

<sup>9</sup> *vel, M.*

<sup>10</sup> *ero. Gloss in A.*

<sup>11</sup> *limes Olympi, B.*

<sup>12</sup> *This line is found in B.*

Qui rerum species, et mundi sensilis umbram,  
 Ducis ab exemplo mundi mentalis, eundem  
 Exterius pingens terrestris imagine formæ;  
 Qui veterem massam de vultus sorde querentem  
 In vestis meliore toga, formæque sigillo  
 Signans, excludis<sup>1</sup> nexu mediante tumultum;  
 Efficiens causa, dum<sup>2</sup> rem producis ad esse;  
 Formalis, dum pingis eam; finalis, in esse  
 Dum rem conservans,<sup>3</sup> certo sub fine coarctas.<sup>4</sup>  
 Tu mihi præradia divina luce, meamque  
 Plenius irrorans divino nectare mentem,  
 Complue, terge notas animi, tenebrasque recidens  
 Discute, meque tuæ lucis splendore serena.  
 Tu repara calamum, purga rubigine linguam,  
 Da blæso<sup>5</sup> tua verba loqui, mutoque loquelam  
 Præbe, da fontem sitienti, dirige callem  
 Erranti, duc nauta ratem, portumque timenti  
 Dona, cœlesti perflans mea carbasa vento.

## CAP. VI.

Jam Phronesis, dictante dea, superaverat arces  
 Sidereas, callemque novum, nodosque viarum,  
 Mirans quæ tantæ quereretur pondera<sup>6</sup> molis,  
 Ni proprios visus rerum novitate foveret,  
 Et proprii partem ferret regina laboris,  
 Dum transit, miratur aquas, quas fœderet igni<sup>7</sup>  
 Indivisa loci series, nec flamma liquorem  
 Impedit, aut flamma<sup>8</sup> certat liquor ille repugnans;<sup>9</sup>  
 Sed potius sua deponunt certaminis arma.  
 Nec<sup>10</sup> jam nativos curant<sup>11</sup> memorare tumultus,  
 Quos ligat assensus discors, discordia concors,

<sup>1</sup> *excludis*, A.<sup>2</sup> *qui*, A.<sup>3</sup> *conservas*, B.<sup>4</sup> *coarctans*, A. B.<sup>5</sup> *blæso mihi*, A. *quæso*, M.<sup>6</sup> *pondere*, A.<sup>7</sup> *ignis*, B.<sup>8</sup> *flammæ*, A. ; omitted in B.<sup>9</sup> *certans liquor ipse repugnans*, B.<sup>10</sup> *Non jam*, A.<sup>11</sup> *quærunt*, A.



Pax inimica, fides phantastica, falsus amoris  
 Nexus, amicitia fallax, umbratile fœdus.  
 Figit in his visum mentemque Sophia, sagaci  
 Perquirens animo, quis pacem fecit adesse,  
 Pax ubi nulla manet; quis Martem jussit abesse,  
 Mars ubi jura tenet; quis fœdus nexuit illic,<sup>1</sup>  
 Fœdus ubi nullum; quis pacem miscuit iræ,  
 Litigio fœdus, liti conjunxit amorem;  
 Altius inquit Phronesis, ferventius instans,  
 An liquor ille<sup>2</sup> fluat, sibi quem vicina maritat  
 Flamma poli, flammæque truces contemperet iras;<sup>3</sup>  
 An nebulae faciem gestans, formamque vaporis  
 In speciem nubis, expansus in æthere<sup>4</sup> summo  
 Pendeat, et donet sitiendi pocula flammæ;  
 An glaciem gerat in specie, reddatque figuram  
 Chrystalli, perdatque suum liquor ipse liquorem.  
 Sed tamen a Phronesi viva ratione probatur,  
 Quod nullos illic possit torquere recursus  
 Humor, nec proprio valeat discurrere<sup>5</sup> fluctu,  
 Cum gremium nullus ibi præbeat alveus illi,  
 Nec matrix terrena sinus expandat eidem,  
 Nec centrum repetens nativo pondere tractus  
 Humor ad ima ruat, propriæ gravitatis amicus,  
 Descensum cum flamma neget, sursumque manere<sup>6</sup>  
 Cogat aquas, supraque liget quasi carcere clausas.  
 Nam qui<sup>7</sup> furtivo lapsu quasi nesciat ignis  
 A superis rorem descendere, somniat ille  
 Philosophus, ratione caret, falsumque prophetat,  
 Otia sectatur, nubes et inania captat,  
 In scirpo nodum ponens,<sup>8</sup> in lumine fumum,  
 In plano scrupulum fingens, in luce tenebras.

<sup>1</sup> *illoc*, A. B.<sup>2</sup> *iste*, A.<sup>3</sup> *an temperet iras*, A. *contempe-*  
*rat iras*, B.<sup>4</sup> *aere*, B.<sup>5</sup> *decurrere*, A.<sup>6</sup> *inanæ*, A.<sup>7</sup> *quod*, B.<sup>8</sup> *quarans*, A.

Hac<sup>1</sup> etiam ratione probat quod nullus ibidem  
 Exhalat vapor in nebulas, nec pendulus humor  
 Æthera velat aquis, ubi nullas evomit auras  
 Terra, nec ignis ibi suspendit in æthere<sup>2</sup> nubes.  
 Ex his concludit Phronesis quod cœlicus humor  
 Crystalli retinet speciem, glaciemque figurat.  
 Quæ glacies, ignara gelu, nec conscia brumæ,  
 Æstatem magis agnoscit, cœlique calores,  
 Ad vultus ignis minime dignata liquari.  
 Hoc solo magis illa stupet, meliusque movetur,  
 Qua nexus mediante fide, quo fœdere pacis  
 Frigida convenient calidis, fluitantia pigris.  
 Hic ubi nullus adest pacis mediator, et omne  
 Fœdus abest, extrema ligans, quod pace reperta<sup>3</sup>  
 Deleat hostiles rixas, pugnamque recidat.  
 Deficit inquirens, quærendo vincitur illa,  
 Quæsitu superata<sup>4</sup> suo, sed victa querelis  
 Defectus queritur proprios; sic ista querela  
 Quæstio fit, Phronesi suspiria sola<sup>5</sup> relinquens.  
 Nec mirum si cedit ad hæc Prudentia, quæ sic  
 Excedunt matris Naturæ jura, quod ejus  
 Exsuperant cursus, ad quæ mens deficit, hæret  
 Intellectus, hebet ratio, sapientia nutat.<sup>6</sup>  
 Tullius ipse silet, raucescit<sup>7</sup> lingua Maronis,  
 Languet Aristotiles,<sup>8</sup> Ptolomæi sensus aberrat.<sup>9</sup>

## CAP. VII.

Ulterius producit iter Prudentia, gressum<sup>10</sup>  
 Informans gressu comitis, tandemque labore  
 Magno, multiplici nisu, conamine multo,

<sup>1</sup> *Hoc*, B.<sup>2</sup> *in aere*, B.<sup>3</sup> *recepta*, B.<sup>4</sup> *sperata*, B.<sup>5</sup> *longa*, B.<sup>6</sup> This line is not found in A.<sup>7</sup> *rarescit*, A.<sup>8</sup> *Aristilens*, A. *Solonis*, B.<sup>9</sup> *oberrat*, A. *abhorret*, B.<sup>10</sup> *gressu*, A.

Ascendit loca lætitiæ, loca plena favoris,<sup>1</sup>  
 Cœlesti loca grata Deo, loca grata Tonanti.  
 Hic risus sine tristitia, sine nube serenum,  
 Deliciæ sine defectu, sine fine voluptas.  
 Pax expers odii, requies ignara laboris,  
 Lux semper rutilans, sol veri luminis, ortus  
 Nescius occasus, gratum sine vespere mane.  
 Hic splendor noctem, saties fastidia nescit ;  
 Gaudia plena vigent, nullo respersa dolore.  
 Non hic ambiguo graditur fortuna meatu,<sup>2</sup>  
 Non risum lacrimis, adversis prospera, læta  
 Tristibus infirmat,<sup>3</sup> non mel<sup>4</sup> corrumpit aceto,  
 Aspera commiscens blandis, tenebrosa serenis,  
 Connectens luci tenebras, funesta jocosis.  
 Sed requies tranquilla manet, quam fine carentem  
 Fortunæ casus in nubila vertere nescit.  
 Hic<sup>5</sup> sua præradiat cœlestis regia solis,  
 Quæ sordes hominum, mundi contagia spernit.  
 Extramundanus orbis, mundique beata  
 Portio, munda magis quam mundus, purior ipso  
 Puro,<sup>6</sup> lucidior claro, fulgentior auro,  
 Quæ blando splendore micat,<sup>7</sup> quæ fulgurat igne  
 Innocuo, fervore carens, fulgoris<sup>8</sup> abundans,  
 Blanditias splendoris habens, fervoris abhorrens  
 Nequitiam, splendore fovet,<sup>9</sup> nec verberat æstu.  
 Hic ignis minus igne calet, plus igne nitescit,<sup>10</sup>  
 Sicque manens unus, minor est et major eodem.  
 Sed quoniam totus scintillat in igne beato  
 Hic locus, et flammæ nutu blanditur amico,  
 Censetur polus empyreus, cui flamma benignis  
 Ignibus arridet, aulamque nitoribus ornat.

<sup>1</sup> *furoris*, A.<sup>2</sup> This and the preceding line are transposed in A.<sup>3</sup> *informat*, B.<sup>4</sup> *non mens*, A.<sup>5</sup> *Hæc*, B.<sup>6</sup> *Pudor*, M.<sup>7</sup> *nitet*, A.<sup>8</sup> *fulgore*, M.<sup>9</sup> *fovens*, B.<sup>10</sup> *nitescens*, B.

Hic habitant cives superi, proceresque Tonantis,  
 Angelici coetus, divinaque numina, mundi  
 Rectores, turmæ cœlestes, agmina cœli,  
 Excubiæ nostri, varius quos dividit ordo,  
 Munus, et officium, virtus diversa, potestas  
 Plurima, dissimilisque gradus, distantia facti.  
 Hic ardent seraphin, flammata calore<sup>1</sup> supernæ  
 Lucis, et æterni solis radiata nitore;  
 Divini fontis cherubin satiata liquore  
 Plus sapiunt, mentique Dei perfectius hærent.  
 Inque thronis librata Dei censura resultat,  
 In quibus ipse Deus residens examina librat.  
 Nomen ab officio dominantia numina sumunt;  
 Quæ sicut superis cedunt,<sup>2</sup> sic ceditur ipsis  
 A reliquis, pariterque jubent parentque<sup>3</sup> jubenti.  
 Princeps turma suos disponit in ordine cives,  
 Atque suis votis astringit vota suorum.<sup>4</sup>  
 Aeris istius rectores, immo<sup>5</sup> tyrannos,  
 Turba potestatum vincit cœlestibus armis.  
 Legibus occurrunt<sup>6</sup> Naturæ, juraque solvunt  
 Virtutes, formisque novis antiqua reformant.  
 Mystica denudat, aperit secreta, revelat  
 Abdita, quæve magis latitant archangelus orbi  
 Nuntiat, et cœli pandit<sup>7</sup> mysteria terris.  
 Major in obsequiis, sed ei<sup>8</sup> virtutibus impar,  
 Angelicæ plebis exercitus omnibus istis  
 Persolvit jus obsequii, mundoque minora  
 Prædicat, et varios nobis discurrit in usus.

Hic cives habitant supremi regis in urbe;  
 Civibus his servanda datur respublica cœli;  
 Inter quos hæc lex sancitur,<sup>9</sup> ut imperet unus,  
 Hic operetur agens, reliquis obtemperet ille.

<sup>1</sup> *colore*, B.

<sup>2</sup> *sicut redunt superis*, B.

<sup>3</sup> *pariuntque*, B.

<sup>4</sup> *sororum*, A.

<sup>5</sup> *in imo*, A.

<sup>6</sup> *occurrit*, A.

<sup>7</sup> *pangit*, B.

<sup>8</sup> *eo*, A.

<sup>9</sup> *sancitur*, B.

Quilibet in libro divinæ mentis agenda  
 Discit, ibique legit quæ sint<sup>1</sup> ventura, Deumque  
 Consulit, in speculo deitatis singula cernens,  
 Nec solus tantam sibi vendicat angelus urbem.

## CAP. VIII.

Hic habitat, quem vita pium,<sup>2</sup> virtusque beatum  
 Fecit, et in terris meruit sibi numen Olympi ;  
 Corpore terrenus, cœlestis mente, caducus  
 Carne, Deus vita, vivens divinitus, extra  
 Terrenum sapiens, intus divina repensans.  
 Quem non erexit fastus, non gloria rerum,  
 Non mundi dejecit amor, non lubrica fregit  
 Luxuries, non luxus opum, non ardor habendi  
 Succendit, non livor edax, non anxia fœdæ  
 Pestis avaritiæ, non laudis cæca cupido ;  
 Sed potius demisit eum patientia, mundi  
 Contemptus, rerum paupertas, arctaque victus  
 Regula, despectus carnis, dejectio<sup>3</sup> vitæ ;  
 Qui calcavit opes, animo victore, malignum  
 Devicit, carnemque sibi servire coegit.  
 Cœtibus angelicis tales ascribit honestas  
 Vitæ, virtutis meritum, mercesque laboris,  
 Quos vel virgineus candor, vel purpura vestit  
 Martyrii, vel doctoris sua laurea ditat ;  
 Vel quos aureolæ munus non excipit, omnes  
 Laurea<sup>4</sup> communi fretos mercede coronat.  
 Cum sint diversi merito, meritusque<sup>5</sup> resultet  
 Splendor inæqualis, lux dispar, gaudia cunctos  
 Æqua manent, risusque pares, ubi dissona merces.  
 Nec<sup>6</sup> mirum, si lætitiæ par gratia cunctos  
 Expectat, quibus una datur pro munere vita.

<sup>1</sup> *sunt*, A. B.<sup>2</sup> *deum*, A. B.<sup>3</sup> *directio*, M.<sup>4</sup> *Aurea*, A.<sup>5</sup> *meritique*, A. B.<sup>6</sup> *Non*, A.

In quibus ipse Deus est omnibus omnia, donum  
Et donans, dans uni <sup>1</sup> plurima, pluribus unum.

## CAP. IX.

Hic superos cives proprio præcellit honore  
Virgo, quæ proprium pariendi lege pudorem  
Non perdens, matris meruit cum virgine nomen.  
In qua concordant duo nomina, lite sepulta,  
Quæ secum pugnare solent, litesque movere,  
Nec jam discordant mater virgoque, sed ipsis  
Litibus exclusis se pacis ad oscula vertunt.  
Hic natura silet, logicæ vis exulat omnis,  
Rhetoricæ perit arbitrium, ratioque vacillat.  
Hæc est quæ miro divini muneris usu  
Nata <sup>2</sup> patrem, natumque parens concepit, honorem  
Virgineum retinens, <sup>3</sup> nec perdens jura parentis,  
In cujus ventris thalamo sibi summa paravit  
Hospitium deitas, tunicam sibi texuit ipse  
Filius artificis summi, nostræque salutis  
Induit ipse togam, nostro vestitus amictu.

Hæc est stella maris, vitæ via, porta salutis,  
Regula justitiæ, limes pietatis, origo  
Virtutis, veniæ mater, thalamusque pudoris;  
Hortus conclusus, fons consignatus, oliva  
Fructificans, cedrus redolens, paradus amœnans;  
Virgula pigmenti, vinaria cella, liquore  
Prædita cœlesti, nectar cœleste propinans;  
Nescia spineti florens rosa, nescia culpæ  
Gratia, fons expers limi, lux nubila pellens,  
Spes miseris, medicina reis, tutela beatiss;  
Proscriptis <sup>4</sup> reditus, erranti semita, cæcis  
Lumen, dejectis requies, pausatio fessis.

<sup>1</sup> *uni dans*, B.

<sup>2</sup> *Nacta*, A.

<sup>3</sup> *retinet*, B.

<sup>4</sup> *Proscriptus*, A. *Ascriptus*, B.

Hæc est quæ primos casus primæque parentis  
 Absternit maculas, vincens virtute reatum,  
 Diruta restituens, reddens ablata,<sup>1</sup> rependens  
 Perdita, restaurans amissa, fugata repensans,  
 Post vespertinos gemitus nova gaudia donans,  
 Post mortis tenebras vitæ novitate<sup>2</sup> relucens.  
 Cujus ad adventum<sup>3</sup> redit ætas aurea mundo,  
 Post facinus pietas, post culpam gratia, virtus  
 Post vitium, pax post odium, post triste jocosum.  
 Ut rosa spineti compensat flore rigorem,  
 Ut dulcore suo fructum radicis amaræ  
 Ramus adoptivus redimit; sic crimina matris  
 Ista luit, matremque facit sua nata renasci,  
 Ut sic munda ream, corruptam virgo, pudica  
 Effrontem, miseram felix, humilisque superbam  
 Abluat, et vitæ pariat<sup>4</sup> sua filia matrem.  
 Hujus ab imperio cœlestis curia pendet,  
 Hujus ad imperium devota mente parata,  
 Cum qua cœlestis regni moderatur habenas,  
 Qui pater et proles ejusdem, natus et auctor,  
 Cuncta regit, sine fine regens, quo rege triumphat  
 In cœlo miles, in terra militat exul.  
 Hic est qui carnis intrans ergastula nostræ  
 Se pœna vinxit, ut cunctos solveret; æger<sup>5</sup>  
 Factus, ut ægrotos sanaret, pauper ut ipsis  
 Pauperibus conferret opem, defunctus, ut ipsa  
 Vita donaret defunctos, exulis omen<sup>6</sup>  
 Passus, ut exilio miseros subduceret exul.  
 Sic livore perit<sup>7</sup> livor, sic vulnere vulnus,  
 Sic morbus damnat morbum, mors morte fugatur;  
 Sic moritur vivens, ut vivat mortuus; hæres  
 Exulat, ut servos hæredes reddat; egenus

<sup>1</sup> *ab alta*, A.<sup>2</sup> *novitate*, A.<sup>3</sup> *ad eventum*, A.<sup>4</sup> *reperet*, B.<sup>5</sup> *ægros*, A.<sup>6</sup> *omne*, A.<sup>7</sup> *petit*, B.

Fit dives, pauperque potens, ut ditet egenos.  
 Sic liber servit, ut servos liberet; imum  
 Summa petunt, ut sic ascendant infima summum.  
 Ut nox splendescat, splendor tenebrescit,<sup>1</sup> eclipsi  
 Sol verus languescit, ut astra reducat ad ortum;  
 Ægrotat medicus, ut sanet morbidus ægrum.  
 Se cœlum terræ conformat, cedrus hyssopo,  
 Ipse gigas nano, fumo lux, dives egeno,  
 Ægroto sanus, servo rex, purpura sacco.  
 Hic est qui nostram sortem miseratus, ab aula  
 Æterni Patris egrediens, fastidia nostræ  
 Sustinuit sortis, sine crimine criminis in se  
 Defigens pœnas,<sup>2</sup> et nostri damna reatus.

---

<sup>1</sup> *tenebrescat*, A.

| <sup>2</sup> *Assumpsit pœnas*, B.

---



## ANTICLAUDIANI

## DISTINCTIO SEXTA.

~~~~~

Postquam virgo Dei solium sedesque<sup>1</sup> supernas  
 Ingrediens voluit nova prælibare videndo,  
 Offendit splendor oculos, mentemque stupore  
 Percussit rerum novitas, defecit in illis  
 Visus, et interior mens caligavit ad illas.  
 Sic sopor invasit vigilem, sic somnus adulter  
 Oppressit Phronesis animum, somnoque soporans  
 Exstasis ipsa suo mentem servire<sup>2</sup> coegit,  
 Et jam præcipitem pateretur lapsa ruinam,  
 Ni comes occurrens<sup>3</sup> manibus complexa cadentem  
 Sisteret, et blando complexu virginis artus<sup>4</sup>  
 Confortans, tantos lapsus eluderet, ipsam<sup>5</sup>  
 Mitibus aggrediens<sup>6</sup> verbis, mentisque stuporem  
 Demulcens, menis plena tamen non redditur illi.  
 Sed postquam nulla valuit ratione<sup>7</sup> stuporis  
 Exstirpare<sup>8</sup> malum, totamque reducere mentem,  
 Ut Phronesi ferat auxilium, totumque soporem<sup>9</sup>  
 Excutiens, reddat mentem, cogatque reverti,

---

<sup>1</sup> *Post virgo soliumque Dei sedes-*  
*que, M.*

<sup>2</sup> *dormire, B.*

<sup>3</sup> *accurrens, B.*

<sup>4</sup> *artus, B.*

<sup>5</sup> *ipsa, A.*

<sup>6</sup> *egrediens, A.*

<sup>7</sup> *valuit nulla ratione, A.*

<sup>8</sup> *Exstirpare, B.*

<sup>9</sup> *stuporem, with vel soporem in  
 the margin, B.*

Sollicitat precibus propriam<sup>1</sup> regina sororem ;<sup>2</sup>  
 Quæ, superum solio residens, cœleste profundum  
 Scrutatur, solisque Dei<sup>3</sup> penetralibus hæret.  
 Cui Ratio nihil<sup>4</sup> affirmat, cui sufficit ipsa  
 Credulitas, et sola fides ratione remota.  
 Ipsam namque Fidem Ratio non prævenit, immo  
 Ipsa Fides hanc anticipat, Fideique docenti  
 Obsequitur tandem Ratio, sequiturque docentem  
 Articulos fidei, divinaque symbola chartis  
 Inserit, hoc scribens animo, quod arundine pingit  
 Purpureis elata notis<sup>5</sup> niveumque colorem  
 Intermixta rubet vestis, candore represso,  
 Qua mulier prædicta nitet, cultusque fatetur  
 Arbitrium mentis, mens ipsa videtur in illo.  
 Picturæ cedit vestis, quæ tota figuris  
 Scribitur, et formam præterdit scripta libelli.  
 Hic renovat veteres vivens pictura magistros,  
 Per quos nostra fides totum diffusa per orbem  
 Claruit, et laudum titulis præclara refulsit.

Hic Abraham, nostræ fidei pater, exiit actus  
 Patris, dum summo Patri parere libenti  
 Contendens animo, nato pater esse recusat,  
 In quo discordes Natura Fidesque duellum  
 Exercent, unamque trahunt in dissona mentem.  
 Nam Natura docet genitorem parcere nato.  
 Econtra stat firma Fides, quæ spernere natum  
 Imperat, ut summo faveat Natura parenti.  
 Quod non vult; cupit<sup>6</sup> ergo pater, nunc parcere  
 temptans,  
 Nunc offerre volens, tandem negat ipse<sup>7</sup> quod optat.  
 Ergo succumbit Fidei Natura, dolensque  
 Cedit victrici quod non vult velle coacta.

<sup>1</sup> *propriam precibus*, B.

<sup>2</sup> *soporem*, A.

<sup>3</sup> *solumque Dei*, B.

<sup>4</sup> *nil*, A.

<sup>5</sup> *calvata nodis*, A. *Purpureis  
 clavata votis*, B.

<sup>6</sup> *capit*, B.

<sup>7</sup> *negat esse*, B.

In robur fidei virtutum luce coruscat  
 Petrus, et ipsius virtus splendescit in umbra.  
 Armatus vitæ meritis, et dote sophiæ,  
 Blanditiis, ratione, minis,<sup>1</sup> virtutibus instat  
 Paulus, et introitum fidei gentilibus offert.  
 Nec solum<sup>2</sup> signis, verum ratione, rebelles  
 Vincit ; nec satis est concessa calle<sup>3</sup> meare,  
 Plus cupit, atque viam gaudet ratione parare.

Illic blanda, minas, ergastula, verbera, mortes  
 Expugnat, fidei clypeo<sup>4</sup> protectus, et armis  
 Justitiæ, superatque suos Laurentius ignes.  
 Par pugnæ meritis et iisdem miles in armis  
 Mundum devincens Vincentius, omnia victor  
 Calcat, et in vivos pugnans, in morte triumphat.  
 Hunc habitum quamvis scripturæ pingat honestas,  
 Nulla tamen vestem lascivia<sup>5</sup> deprimit ; immo  
 Talis erat, qualem matronæ postulat ætas.  
 Quæ senii metas attingit, plena dierum,  
 Canitie respersa caput, seniique pruina,  
 Nec<sup>6</sup> tamen illius faciem matura senectus  
 Exarat in sulcos, facies discordat ab ævo.  
 Quæ juvenile docet ævum, contraque loquuntur  
 Cani cum canis, sic vultus gratia certat.

## CAP. II.

Hæc mulier motu proprio precibusque sororis  
 Tacta, movet gressus illuc, ubi læsa sapore  
 Lethargi languet Phronesis, mortisque figuram  
 Exemplans, moritur vivens, et mortua vivit.  
 Sed postquam veniens signis dictantibus illam  
 Agnovit, vidit stupidam, stupuitque jacentem.

<sup>1</sup> *nimis*, A. B.  
<sup>2</sup> *Nec solus*, A.  
<sup>3</sup> *concusso calle*, B.

<sup>4</sup> *clypeo fidei*, A.  
<sup>5</sup> *lacinia*, A.  
<sup>6</sup> *Non*, A.

Hos casus miserata dolet, mentisque rigorem  
 Exiit, in gemitus erumpens, fracta parumper  
 Majestas animi mollescere cogitur, exit  
 Durities, et sola tenet miseratio mentem.  
 Hæc igitur magis accedit, propiusque jacentem  
 Visitat, et quærit languoris semina, temptat  
 Cuncta, locum, tempus, causas,<sup>1</sup> symptomata<sup>2</sup> morbi  
 Caute disquirens, cujus vestigia tandem  
 Invenit, et Phronesim, lethargi somnia passam,  
 Noscit, ut exterius languoris signa fatentur.  
 Inventa radice mali, morbique reperta  
 Materie, disquirat adhuc<sup>3</sup> quæ causa salutis  
 Languoris causas valeat secludere,<sup>4</sup> pestem  
 Perdere, subplantare luem, morbumque fugare.  
 Ergo minis, precibus, pulsu, clamore, soporem  
 Expugnare parat, sed talis somnus obaudit.  
 Nec mirum si somnus ad hæc contendit<sup>5</sup> abire.  
 Non erat iste sopor<sup>6</sup> somni, sed mortis imago,  
 Quæ vitæ tenebret<sup>7</sup> lucem, vitamque soporat  
 Plus somno, sed morte minus,<sup>8</sup> majorque sopore,  
 Morte minor, sed fida tamen præfatio mortis,  
 Cum talis nequeat medicina refellere morbum,  
 Nec tantum<sup>9</sup> valeat morbi superare vigorem;  
 Cœlesti confecta manu, condita sopore  
 Mellifluo, gustu mellita, suavis odore,  
 Secretas redolens species, terrena repellens  
 Condimenta, novum cœli thymiana propinans;  
 Exquisita datur languenti potio, totum  
 Quæ corpus peragit,<sup>10</sup> vitalia circuit, intrat  
 Venas, disquirat nervos, penetratque medullas.  
 Hujus ad adventum Phronesis sibi redditur, ad se  
 Dum redit, et totus mentis secluditur error.

<sup>1</sup> *causam*, A.<sup>2</sup> *psintomata*, A.<sup>3</sup> *ad hoc*, A.<sup>4</sup> *seducere*, B.<sup>5</sup> *contempnit*, A. B.<sup>6</sup> *iste quies*, B.<sup>7</sup> *tenebrat*, A. B.<sup>8</sup> *minor*, B.<sup>9</sup> *Ne tamen*, A.<sup>10</sup> *peragat*, B.

Hoc stupor ipse stupet medicinam posse, fugatus  
 Miratur talem medicinæ cedere morbum.  
 Sed quamvis oculus mentis resplendeat intra,  
 Languescit tamen exterior, nec ferre nitorem  
 Sustinet empyreum, nec tantum fulgur Olympi.  
 Ergo suam sollers matrona<sup>1</sup> recurrit ad artem,  
 Et præsigne, decens, rutilans, imitabile,<sup>2</sup> tersum,  
 Grandi diffusum spatio, scriptumque figuris,  
 Præsentat Phronesi speculum, quo cuncta resultant  
 Quæ locus empyreus in se capit, omnia lucens<sup>3</sup>  
 Quæ mundus cœlestis habet; sed dissona rerum  
 Paret in his facies, hic res, hic umbra videtur,  
 Hic spes, hic species, hic lux, ibi<sup>4</sup> lucis imago.  
 Retinet<sup>5</sup> hoc speculum mentem, visumque sophiæ  
 Sistit, ne major oculis lux obviet, illos  
 Offendens, visumque simul cum mente fatiget.  
 Hoc speculum mediator adest, ne copia lucis  
 Empyreæ radians visus depauperet usum.  
 Visus in hoc speculo respirat, lumen amicum  
 Invenit, et gaudet fulgens in lumine lumen.  
 Cernit in hoc speculo visu, speculante sophia,  
 Quicquid divinus in se complectitur orbis.  
 Dum nova quæque videt, miratur ad omnia, gaudet  
 Cunctis,<sup>6</sup> et novitas rerum nova gaudia gignit,  
 Ejus cum visu mens delectatur, et omnes  
 Exuit erroris<sup>7</sup> nebulas, et gaudia mentem  
 Perfundunt, perit omne sui symptoma doloris.  
 Si qua<sup>8</sup> minus plene cognoscit, plenius illam  
 Assistens matrona docet, suppletque minorem  
 Intuitum, panditque latens, aperitque reclusum.  
 Hic videt angelicæ plebis superique senatus,  
 Militiam, palmamque simul, dulcesque triumphos  
 Sanctorum, meritum dispar, fructusque laborum.

<sup>1</sup> *Natura*, B.<sup>2</sup> *mirabile*, B.<sup>3</sup> *lucent*, A. B.<sup>4</sup> *ubi*, M.<sup>5</sup> *Detinet*, A.<sup>6</sup> *In cunctis novitas*, A. B.<sup>7</sup> *Erroris pellit nebulas*, A.<sup>8</sup> *Sed qua*, A.

Virginis illius meritum miratur, adorat  
 Partum quæ peperit non marcescente pudoris  
 Flore, nec attrito fervente libidinis æstu.  
 Conceptus partusque modum, floremque pudoris  
 Intactum stupet admirans, non invenit unde  
 Sit mater, quæ nulla viri commercia novit.  
 Confugit ad logicæ leges; huic<sup>1</sup> ergo parentis  
 Jura negat, cui virginitas concedit honorem  
 Virginis, a simili vult supplantare pudorem  
 Virgineum matri, quæ disputat esse parentem  
 Partus, et ad matrem nativo jure refertur.  
 Ista tamen Ratio nutat,<sup>2</sup> cum virgine matrem  
 Invenit, et logicæ<sup>3</sup> videt argumenta jacere,  
 Amplius admirans magis hæsitat, amplius hærens<sup>4</sup>  
 Inquirit, quo jure poli, qua lege beata  
 Nata patrem, terrena Deum, casura manentem,  
 Flos cedrum, sidus solem, scintilla<sup>5</sup> caminum  
 Proferat, et mellis desudet petra liquorem.  
 Miraturque Deum nostram vestire figuram,  
 Et nostras habitare<sup>6</sup> casas, flammantis Olympi  
 Rectorem, floremque rosæ latitare sub alga,  
 Et gemmam<sup>7</sup> vestire lutum, violamque cicuta  
 Velari, vitamque mori, tenebrescere solem,  
 Qui gumpli, quæ juncturæ,<sup>8</sup> quis nexus, et unde  
 Connectant humana Deo, divina caduco  
 Consociant, hominique Deum quis fœderet<sup>9</sup> ordo.  
 Singula dum Phronesis miratur, et omnia temptat  
 Vestigare suæ rationis legibus illam.

<sup>1</sup> *hinc*, B.

<sup>2</sup> *nutat Ratio*, B.

<sup>3</sup> *logices*, A.

<sup>4</sup> *admirans Phronesis magis hæsi-*  
*tat hærens*, B.

<sup>5</sup> *scrutilla*, B.

<sup>6</sup> *visitare*, B.

<sup>7</sup> *gemma*, M.

<sup>8</sup> *vincituræ*, A. B.

<sup>9</sup> *Deum confœderat*, B.

## CAP. III.

Assistens matrona monet ne somniet illic  
 Humanas leges, mundanaque fœdera, cursus  
 Naturæ, nostrasque vices, ubi nulla potestas  
 Illius, sed cuncta silent decreta, pavescunt  
 Leges, jura stupent, ubi regnat sola voluntas  
 Artificis summi, quæ vult a canone nostro  
 Excipiens, ubi jura favent, et regula cedit  
 Artifici, canonque silet dictante magistro.  
 Non Ratio, sed sola Fides ibi quæritur,<sup>1</sup> illic  
 Transcendit causas cœlestis causa, minores  
 Exsuperat leges lex summa, et regula legum.  
 Ergo Fides ibi sufficiat,<sup>2</sup> disquirere cesset  
 Hic Ratio, sistatque Fides Rationis habenas.

## CAP. IV.

His monitis fert assensum Prudentia, cedit  
 Doctrinæ, sequiturque Fidem, totumque superno  
 Deputat auctori, quod<sup>3</sup> nostram vincere legem  
 Cernit, et excepti juris ratione moveri.  
 His edocta viam maturius arripit, ejus  
 Informat regina gradum, gressumque sigillat  
 Incessu proprio; sed ne locus abditus, anceps  
 Callis, distortus limes, via dissona gressus  
 Virginis impediât, comitem sibi destinât illam;  
 Quæ Phronesi mentem proscriptam reddidit, ejus  
 Restituens usum, cui cessit abusio morbi.  
 Quam via nulla latet, nullus locus abditus illi,  
 Non delirus obest limes, non semita fallit.  
 His comitata viæ Phronesis securius instat,  
 Ancipitesque vias transit, loca dissona, calles

<sup>1</sup> *hic quæritur*, B.<sup>2</sup> *Ergo ibi, sufficiatque fides dis-*  
*quirere*, A. *Ergo fides ubi*, B.<sup>3</sup> *quem*, B.

Ignotos ; nec jam posset superare locorum  
 Anfractus, sed nutanti soror utraque vires  
 Suppeditat, firmatque gradum, gressusque recidit  
 Pondus, et extenuans pœnam,<sup>2</sup> fastidia tollit.  
 Oblatum Phronesi visum defendit ab omni  
 Luminis occursu<sup>3</sup> speculum, ne debriet illum  
 Cœlestis splendor, oculosque reverberet<sup>4</sup> ignis.  
 Tandem fessa, tremens,<sup>5</sup> admirans virgo dietam  
 Explet, et æterni suprema palatia regis  
 Intrat, et expleti superata<sup>6</sup> mole laboris,  
 Lætatur ; sed cuncta stupet quæ nuntius offert  
 In speculo visus, ubi nil mortale, caducum,  
 Deficiens, terrestre micat ; solumque refulget  
 Æternum, cœleste, manens, immobile, certum.  
 Hic videt ingenitas species, speculatur ideas  
 Cœlestes, hominum formas, primordia rerum,  
 Causarum causas, rationum semina, leges  
 Parcarum, fati seriem, mentemque Tonantis ;  
 Cur Deus hos reprobat, illos prædestinat, istum  
 Præparat ad vitam, sua munera subtrahit<sup>7</sup> illi.  
 Cur alios humilis paupertas urget, egenos  
 Comprimit, et solis lacrimis satiatur egestas.  
 Cur aliis prædives opum pluit<sup>8</sup> alveus amnis  
 Divitias, divesque natat fœcundus<sup>9</sup> in auro.  
 Cur istos ditat sapientia, nubilat illos  
 Sensus inops, animus pauper, mendica voluntas.  
 Cur formæ species purgata serenat Adonim,  
 Davus abusivam speciem gerit, Hector in armis  
 Fulgurat, ingenii radio scintillat Ulyxes.  
 Cur Cicero<sup>10</sup> rhetor, cur Typhis<sup>11</sup> navita, pictor  
 Milo, pugil Pollux, rigidus Cato, Naso poeta.

<sup>1</sup> *gressuque recindit*, A. *gressus-*  
*que recindit*, B.

<sup>2</sup> *pœnas*, A.

<sup>3</sup> *incursu*, B.

<sup>4</sup> *retunderet*, A.

<sup>5</sup> *timens*, B.

<sup>6</sup> *explet iter, superata moli*, A.

<sup>7</sup> *subtrahat*, B.

<sup>8</sup> *fluat*, A.

<sup>9</sup> *fœcundus in illo*, B.

<sup>10</sup> *Cicio*, B.

<sup>11</sup> *Tipphis*, A. *Tipis*, B.



Non hæc sola favent Phronesis<sup>1</sup> conspectibus, ultra  
 Progrediens visus alia novitate videntem  
 Demulcet, redituque suo miranda reportat.  
 Hic videt irrigui fontis radiare nitorem,  
 Qui prædives aquis reliquo conspectior amne,  
 Sidera luce domat, præcellit mella sapore ;  
 Cujus deliciis cedit Paradisus, odore  
 Balsama vincuntur, nardus submittitur illi.  
 A quo procedens<sup>2</sup> rivus, non immemor horum  
 Quæ fons ille gerit, totum sibi fontis honorem  
 Assumit, fontique pari respondet honore ;  
 Nec<sup>3</sup> tamen irriguum minor afflat gratia fontem.  
 Ergo fons rivum, rivus cum fonte fluentem  
 Producit, retinens fontis rivique saporem.  
 Cum sint distincti fons, rivus, flumen, in unum  
 Conveniunt, eademque trium substantia, simplex  
 Esse, sapor similis, color unus, splendor in illis  
 Unicus, et vultus horum conformis, et idem,  
 Ad speciem fontis sol vincens lumine solem.  
 Hic radium fundit, quem sol mundanus adorat,  
 Cui cælum stellæque favent, et supplicat orbis.  
 Occasum nunquam patitur sol iste, nec ullam  
 Sustinet eclipsim, nec nubis nubila sentit,  
 A quo procedens radius splendoris adæquat  
 Luce patrem, loquiturque suo splendore parentem.  
 Idem sol, species eadem, lux una, coævus  
 Splendor, nequaquam proprio declivis ab ortu.  
 Sol alius, sed non aliud, sol unus, et unum  
 Cum gignente manens, lux luci consona, fulgor  
 Fulgori, splendorque sui non immemor ignis.  
 De se producit radius cum sole calorem,  
 Qui mulcens urit, urendo mulcet, et ardens<sup>4</sup>  
 Mitigat, incendens demulcet, temperat<sup>5</sup> urens.

---

<sup>1</sup> *Phronesi*, B.

<sup>2</sup> *procedit*, B.

<sup>3</sup> *Non*, A.

<sup>4</sup> *urendo mulcebris, ardens*, A.

<sup>5</sup> *temperet*, A.

Iste calor siccatur vitiorum flumina,<sup>1</sup> sordes  
 Purgat, et a vitio virtutis<sup>2</sup> decoquit aurum.  
 Iste calor perimit peccati frigora, flammam  
 Iræ, torporis<sup>3</sup> hiemes,<sup>4</sup> Venerisque calorem.  
 Sic calor expugnat<sup>5</sup> ignem, sic flamma repellit  
 Flammam, sic æstus æstum, splendorque caminum.  
 Pullulat in flores mens isto tacta calore,  
 Et terram mentis virtutum flore beato  
 Purpurat iste calor, dum ver cœleste reducit.

## CAP. V.

Hæc mirata diu Phronesis, multumque retractans  
 Singula quæ visus prægustat, freta sororum  
 Ducatu, summi Regis conscendit in arcem,  
 Qua residit Rex ille poli, qui cuncta coerces  
 Legibus imperii, qui numine numina cœli  
 Constringit, cujus nutu cœlestia nutant.  
 Hæc igitur vicina Deo vix sustinet ejus<sup>6</sup>  
 Immortale jubar, vix<sup>7</sup> majestatis inundans  
 Expectat lumen, sed eam defendit ab isto  
 Fulgure planities speculi, quam visibus offert  
 Illa suis,<sup>8</sup> lucem speculo mediante retardans.

Tunc virgo, genibus flexis et supplice vultu,  
 Submissæ vocis modulo gestuque timentis,  
 Supplicat æterno Regi, verbumque salutis  
 Prælibat, mixtaque tremunt<sup>9</sup> formidine verba.  
 Sed superum Genitor, reddens sua jura salutis,  
 Erigit hanc, et stare jubet, motusque timoris  
 Sistere, ne terror animum vocemque retardet.  
 Erigitur, mentemque regit, partimque retardet<sup>10</sup>

<sup>1</sup> *fulmina*, B.<sup>2</sup> *Peccati purgat, virtutis*, B.<sup>3</sup> *temporis*, M.<sup>4</sup> *torpores hiemis*, B.<sup>5</sup> *expurgat*, B.<sup>6</sup> *hujus*, M.<sup>7</sup> *ubi majestatis*, B.<sup>8</sup> *Illa sui*, B.<sup>9</sup> *tremunt*, B.<sup>10</sup> *retardat*, A. B.

Virgo metum, stat mens cum corpore, corporis æquat  
 Mens erecta situm; sic vox submissa resumit  
 Vires, erectam<sup>1</sup> mentem sua verba sequuntur.  
 Exit in has voces animus, verbisque<sup>2</sup> redundat:

## CAP. VI.

“ Si nostros gemitus et nostræ tædia sortis,  
 “ Mundanos casus, mundanaque fata, caducos  
 “ Ortus, instantes obitus, vitæque propinquos  
 “ Lapsus, et nostræ pensemus originis omen;  
 “ Quæ nostrum tantos fastus invadet,<sup>3</sup> ut ante  
 “ Conspectum faciem Dei præsumat habere  
 “ Colloquium? noctisque lues<sup>4</sup> cum luce loquatur?  
 “ Conveniat regem servus; pauperque potentem?  
 “ Factorique suo moveat factura querelam?  
 “ Sed quia te fontem pietatis novimus, a quo  
 “ Livoris stimulum bonitas innata relegat;  
 “ Cujus justitiæ pietas adjuncta, rigorem  
 “ Temperat, et multum discurrere non sinit illam;  
 “ Ad te confugimus proscriptæ, quas fugat orbis,  
 “ Persequitur mundus, homo respuit, improbat omnis  
 “ Vivens; sicque tuis, si fas est dicere, mundus  
 “ Legibus excipitur, dum nostri jura nefandis  
 “ Actibus expugnat, et sic tibi<sup>5</sup> bella minatur.<sup>6</sup>  
 “ Nam tua res agitur, paries dum<sup>7</sup> proximus ardet.  
 “ Hos casus Natura videt lapsusque cadentis  
 “ Mundi, virtutem vitio succumbere, fraudi  
 “ Fœdus, amicitiam liti, pacemque furori.  
 “ Hos gemit excessus, errores luget,<sup>8</sup> abusus  
 “ Deplorat, mundumque dolet sub nocte jacere.  
 “ In multis etiam damnat sua facta reatus,

<sup>1</sup> *erectum*, A. B.<sup>2</sup> *animis verbisque*, B.<sup>3</sup> *invadat*, A. M.<sup>4</sup> *lucis*, B.<sup>5</sup> *etiam tibi*, A. *dum tibi*, B.<sup>6</sup> *minantur*, A.<sup>7</sup> *cum*, A.<sup>8</sup> *viget*, B.

" Excusare volens facto meliore, novisque  
 " Artibus, atque nova medicina tergere morbum.  
 " Qualiter ergo malum superet, morbumque recidat,<sup>1</sup>  
 " Putrida membra secet,<sup>2</sup> ne pars sincera trahatur,  
 " Occurrat vitio, ne totum diruat orbem.  
 " Vix cognoscit adhuc,<sup>3</sup> sed tandem freta sororum  
 " Colloquio, meliore via procedit, in istud  
 " Consilium veniens, ut totis viribus unum  
 " Cudet<sup>4</sup> opus, per quod proprio succurrat honori.  
 " Quo veteres operum possit pensare ruinas,  
 " Vult hominem formare novum, qui sidere formæ  
 " Et morum forma reliquos transcendat, et, omnes  
 " Excessus resecans, regali limite gressum  
 " Producat,<sup>5</sup> mediumque tenens, extrema relinquit;  
 " Ut saltem mundo sidus præfulguret unum,  
 " Qui jacet errorum tenebrosa nocte sepultus:  
 " Ut sibi<sup>6</sup> respiret virtus, excuset in isto  
 " Errores Natura suos, et conferat uni  
 " Quod multis conferre nequit, meritumque favoris  
 " Et laudum titulos saltem lucretur in uno.<sup>7</sup>  
 " Quæ jacet in multis damnata, suumque decorem  
 " Amittit, dum sola sui jam restat imago.  
 " Sed nullo firmata manent concepta tenore,  
 " Ni tua conceptis applaudat gratia, cœptum  
 " Roboret, atque tuo confirmet numine<sup>8</sup> votum.  
 " Naturæ langueret opus, penitusque jaceret  
 " Incultum, veteris retinens fastidia massæ,  
 " Ni tua Naturæ firmaret dextera factum,  
 " Infirmamque manum regeret, conduceret hujus  
 " Scribentis calamum, lapsum suppleret euntis.  
 " Corporis effigiem sibi deputat, exigit a te  
 " Quod superest Natura bonum, munusque quod ipse

<sup>1</sup> *recidet*, A. B.

<sup>2</sup> *fetet*, B.

<sup>3</sup> *ad hoc*, A.

<sup>4</sup> *Cudat*, A. B.

<sup>5</sup> *Perducat*, A.

<sup>6</sup> *Ut sic*, B. M.

<sup>7</sup> *in illo*, B.

<sup>8</sup> *munere*, B.

" Solus habes, animamque petit, quæ sola superni  
 " Postulat artificis sensum, limamque requirit.  
 " Nostras namque manus terrestris fabrica<sup>1</sup> tantum  
 " Exposcit, sed eas animæ cœlestis origo  
 " Ignorat, solique suum tibi deputat ortum.  
 " Ergo tuo nutu, numen cœleste caduca  
 " Visitet, et corpus cœlestis spiritus intret,  
 " In terra positus, in cœlo mente beata  
 " Vivat, et in terris peregrinet corpore solo.  
 " Virtutum dives opibus,<sup>2</sup> fœcundus<sup>3</sup> amore  
 " Cœlesti, carnisque domet ratione tyrannum;  
 " Teque tuum fateatur opus, quis fecerit auctor  
 " Prædicet, artificemque suum factura loquatur.  
 " Sic ad nos divinus homo descendat, ut ipsis  
 " Virtutum titulis aliorum moribus instet.  
 " Te saltem moveant Naturæ damna, pudoris  
 " Exilium, jactura boni, dejectio morum,<sup>4</sup>  
 " Error honestatis, fidei proscriptio, legum  
 " Contemptus, nostræque preces; si pondera rerum  
 " Vel momenta sumus, noli confundere dudum  
 " Confusas; fuimus et nos quandoque beatæ.  
 " Si te nulla movent rerum discrimina, saltem  
 " Te gratis moveat tua gratia, suscipe vota  
 " Quæ damus, et precibus devotis pondera dona,<sup>5</sup>  
 " Si nos a patris<sup>6</sup> proscriptas sedibus, omni  
 " Destituis<sup>7</sup> voto, desertæ vincimur, omne  
 " Perdimus officium, nostrasque relinquimus artes."  
 His precibus donat assensus Arbiter aulæ  
 Cœlestis, mentemque foras vox provocat ista:

<sup>1</sup> *mortalis fabrica*, B.

<sup>2</sup> *opidum*, A.

<sup>3</sup> *secundus*, M.

<sup>4</sup> *mori*, A.

<sup>5</sup> *præsta*, B.

<sup>6</sup> *a patriis*, A. B.

<sup>7</sup> *Destituit*, B.

## CAP. VII.

“ Virgo, parens rerum, superum germana, mihique <sup>1</sup>  
 “ Filia, coelestis ortu,<sup>2</sup> tamen incola terræ,  
 “ In terris quæ sola sapis<sup>3</sup> divina, meæque  
 “ Exemplum deitatis habes, fastidia mundi  
 “ Quæ relevas, fletusque tuo<sup>4</sup> solamine tergis ;  
 “ Non tua degenerat a summa mente voluntas.  
 “ Nam patris ad votum suspirat nata, parentem  
 “ In voto sequitur, patri<sup>5</sup> non dissona proles.  
 “ Hoc mihi jampridem ratio dictavit, ut uno  
 “ Munere respicerem terras, mundumque bearem  
 “ Numine coelestis hominis, qui solus haberet  
 “ Tot virtutis opes, tot munera digna favore,  
 “ Tot dotes animæ, quo saltem mundus aberrans  
 “ Floreret, vitiis aliorum marcidus, immo  
 “ Jam defloratus, in flore resurgeret uno.  
 “ Si terræ vitium, scelus orbis, crimina mundi,  
 “ Ad meritum pensans vellem persolvere pœnas,<sup>6</sup>  
 “ Aut iterum terras velarem fluctibus, undis  
 “ Vestirem montes iterum, totumque periret  
 “ Diluvio genus humanum, nec fluctibus ullum  
 “ Exciperet vitæ meritum, nec viveret alter  
 “ Deucalion, alterque<sup>7</sup> Noe conduceret<sup>8</sup> arcam.  
 “ Sed potius mundus, qui crimine vivit in uno,  
 “ Ad vitæ meritum pœna moreretur in una ;  
 “ Aut terræ delicta novus consumeret ignis,  
 “ Involvens homines una sub clade, nec ullum  
 “ Exciperet tantæ generalis regula cladis ;  
 “ Aut scelerum pestes alia sub peste perirent.  
 “ Sed quia justitiæ vincit miseratio normam,  
 “ Judiciique rigor cedit pietate remissus ;

<sup>1</sup> *meique*, B.<sup>2</sup> *cursu tamen*, B.<sup>3</sup> *manes*, A.<sup>4</sup> *fletusque suos*, B.<sup>5</sup> *patris*, B.<sup>6</sup> This line is not found in M.<sup>7</sup> *alterve*, B.<sup>8</sup> *concluderet*, A.

" Non pœnas æquabo malis, nec <sup>1</sup> prœmia culpis,  
 " Non ferro purgabo luem, non vulnere morbum;  
 " Sed victus dulcore precum, vestrique misertus  
 " Exilii, meliora dabo medicamina mundo.  
 " Munere divino, donis cœlestibus auctus,  
 " Spiritus a cœlo <sup>2</sup> terris dimissus in orbe <sup>3</sup>  
 " Terreno peregrinus erit, carnisque receptus  
 " Hospitio, luteum tegmen novus hospes habebit.  
 " Hoc superest, ut vestra manus concedat honestum  
 " Huic animæ thalamum, <sup>4</sup> regi respondeat <sup>5</sup> aula,  
 " Ne novus hospitii contagia sentiat hospes;  
 " Ne nucleum lædat testæ putredo, saporem  
 " Corrupti vasis sibi res contempta maritet."

## CAP. VIII.

His hilarata magis, propriumque oblita laborem,  
 Virgo, nec ulterius pondus conquesta viarum,  
 Persolvit grates, et cœli numen adorat.  
 Ipse Deus rem prosequitur, producit in actum  
 Quod pepigit; vocat ergo Noym, quæ præparet <sup>6</sup> illi  
 Numinis exemplar, humanæ mentis ideam.  
 Ad cujus formam formetur spiritus, omni  
 Munere virtutum dives, qui nube caducæ  
 Carnis obumbratus, veletur corporis umbra.  
 Tunc Noys ad Regis præceptum singula rerum  
 Vestigans exempta, novam perquirat ideam.  
 Inter tot species speciem vix invenit illam  
 Quam petit; offertur tandem quæsita petenti.  
 In cujus speculo locat omnis gratia sedem,  
 Forma Joseph, sensus Judith, <sup>7</sup> patientia justî <sup>8</sup>  
 Job, zelus Phinees, Moysique modestia, Jacob

<sup>1</sup> non, M.<sup>2</sup> e cœlo, B.<sup>3</sup> in orbem, A.<sup>4</sup> Huic homini thalamum, A.<sup>5</sup> resplendeat, B.<sup>6</sup> præparat, A. præbeat, B.<sup>7</sup> Ytide, A. B.<sup>8</sup> patientiæ justî, A.

Simplicitas, Abrahæque fides, pietasque Tobiaë.  
 Hanc formam Noys ipsa Deo<sup>1</sup> præsentat, ut ejus  
 Formet ad exemplar animam; tunc ille sigillum  
 Sumit, ad ipsius formæ vestigia formam  
 Dans animæ, vultum qualem deposcit idea  
 Imprimit exemplo, totas usurpat imago  
 Exemplaris opes, loquiturque figura sigillum.  
 Adsunt factori Parcæ, cumulantque decorem  
 Facturæ, non invidiæ livore retractæ<sup>2</sup>  
 A donis animæ, sed multa dote salutant  
 Ortam, felici claudentes omine fatum.

His donis ditans facturam factor, eandem  
 Commendat Phronesi; movet<sup>3</sup> hanc, et præcipit addens  
 Præceptis monitisque minas, ne tanta remisse  
 Conservet commissa sibi, sed cautius illam  
 Conducat, meliore via<sup>4</sup> moderata meatum;  
 Ne vel Saturni glaciali frigore tacta<sup>4</sup>  
 Sentiat algorem nimium, vel Martis in æstu  
 Torreat, aut dulci pruritu læsa Diones  
 Languet, aut lunæ fluitet torrentibus acta.  
 Tunc Noys unguenti speciem, quæ funditus omnem  
 Aeris insultum sistat, morbique procellam,  
 Frigus avaritiæ, fœdæque libidinis æstum,  
 Invidiæque sedet<sup>5</sup> stimulum, contemperet iram,  
 Perfundens animam cœlesti rore perungit.  
 Ergo potens voti cœlo demittitur<sup>6</sup> alto  
 Virgo, gradum properat, illucque revertitur<sup>7</sup> unde  
 Venerat; in cœlum stellis radiantibus ardens  
 Pervenit, occurrit Ratio, votoque potitam  
 Laudat, et auctoris miratur dona superni.  
 Tunc comites, quarum ductu Prudentia cursum  
 Evasit, reddens grates, solvensque salutem,  
 Deserit, ad currum rursus, solitumque recurrens.

<sup>1</sup> *dea, vel dea, A.*

<sup>2</sup> *retractes, A. retentæ, B.*

<sup>3</sup> *monet, ? A. B.*

<sup>4</sup> *mota, A.*

<sup>5</sup> *Invidiæ sedet, B. M.*

<sup>6</sup> *dimittitur, A. B.*

<sup>7</sup> *vertitur, B.*



Aurigam, veteremque viam gavisam resumit.  
 Tunc loca pertransit Saturno proxima; caute  
 Decipit illa senem, gressum secludit,<sup>1</sup> et illa<sup>2</sup>  
 Se procul absentat fugiens, callemque remotum  
 Intrat, ut illius queat expugnare furorem.  
 Saturnique tamen sensisset spiritus iram,  
 Ni liquor unguenti contra<sup>3</sup> pugnasset, et illam<sup>4</sup>  
 Vincens<sup>5</sup> fervorem<sup>6</sup> superasset cœlicus imber.  
 Sic Veneris pestes, sic Martis decipit æstus,  
 Lunaremque globum; quæ tandem singula vincens,  
 Immensum consummat iter, votisque sororum  
 Exspectata diu Prudentia redditur; offert  
 Naturæ cœleste datum; miratur in illo  
 Artificis Natura manum, manusque beatum  
 Laudat, et in dono laudatur gratia dantis.

---

<sup>1</sup> *se eludit*, A.

<sup>2</sup> *illi*, B. M.

<sup>3</sup> *circa*, M.

<sup>4</sup> *illum*, B. M.

<sup>5</sup> *Vincens*, A.

<sup>6</sup> *favorem*, A.

---

## ANTICLAUDIANI

## DISTINCTIO SEPTIMA.

## CAP. I.

Occurrit Phronesi virtutum turba, suoque  
 Pendet in amplexu, collum ligat, oscula præbet  
 Felicem laudat reditum, cum grata labori  
 Reddatur merces, felici fine laborem  
 Concludens, nec jam risus et gaudia vendat  
 Spem timor offendens, cum res sperata timorem  
 Sorbeat, et longo succedant gaudia voto.  
 Ergo sollerti studio Natura requirit  
 Materiem summam,<sup>1</sup> de qua præsigne figuret  
 Hospitium, carnisque domum, quam spiritus intret  
 Cælestis, radietque suo domus hospite digna.  
 Excipit a terra quicquid purgatus<sup>2</sup> in se  
 Terra tenet, quicquid puri sibi vendicat<sup>3</sup> humor,  
 Quodve<sup>4</sup> magis purum purus sibi destinat<sup>5</sup> aer,  
 Vel defæcatum retinet sibi purior ignis.  
 Dividit<sup>6</sup> a toto, divisaque rursus in unum  
 Colligit in summam commiscens, dumque futurum  
 Sic prælibat opus, humani corporis aptat  
 Materiem, signans<sup>7</sup> operis vexilla futuri.

<sup>1</sup> *Materie summa*, A. *Materie summam*, B.

<sup>2</sup> *procatius*, A.

<sup>3</sup> *puri vendicat*, A.

<sup>4</sup> *Quidve*, M.

<sup>5</sup> *destinet*, A.

<sup>6</sup> *Dividat*, M.

<sup>7</sup> *servans*, B.

Ergo materiam cholerae vis ignea donat,  
 Quae quamvis soleat totam turbare quietem  
 Corporis, et bellum plusquam civile movere ;  
 Hic pacata jacet, nullos motura tumultus.  
 Materiam<sup>1</sup> purus traducit ab aere sanguis,  
 Nec jam luxuriat proprio torrente superbus ;  
 Sed pacem servat reliquis humoribus humor  
 Sanguineus, nullasque movet cum fratribus<sup>2</sup> iras.  
 Illis<sup>3</sup> inferior infra decurrit<sup>4</sup> aquosus  
 Humor, et in morbos jam declinare recusat ;  
 Quamvis germanae soleat putredinis esse  
 Proximus, et varias languorum<sup>5</sup> gignere<sup>6</sup> pestes.  
 Hic faex humorum faecem deponit, et omnes  
 Ingenitos mores melius morata recidit.  
 Ex his materiem ductam Natura monetat<sup>7</sup>  
 In speciem, vultus humani corporis aptans  
 Materiae,<sup>8</sup> cujus miratur terra decorem,  
 Parque suum stupet in terris decor ipse deorum.  
 Omnes divitias formae diffundit in illo  
 Naturae praelarga manus, post munera pauper  
 Pene fuit Natura parens, quae dona decoris  
 Formae thesauros vultu deponit in uno.  
 Spirat in hac forma Narcissus, et alter Adonis  
 Spirat in hac specie,<sup>9</sup> quae sit<sup>10</sup> Venus altera rursus  
 Cerneret,<sup>11</sup> in solitum decurreret<sup>12</sup> illa furorem.  
 Hoc simul in signum<sup>13</sup> speciei, donaque formae  
 Cedit, quod nulla corpus pinguedine surgit,  
 Sed magis in maciem tendit ; sic omnia juste  
 Possidet, in nullo decor ejus claudicat, immo  
 Nil majus conferre potest Natura, vel ultra.

<sup>1</sup> *Materiem*, B.<sup>2</sup> *in fratribus*, A.<sup>3</sup> *Illic*, B.<sup>4</sup> *discurrit*, A.<sup>5</sup> *morborum*, A. *languoris*, B. M.<sup>6</sup> *ginnere*, A.<sup>7</sup> *moneto-as*, A. in margin.<sup>8</sup> *Materiam*, B.<sup>9</sup> *facie*, A.<sup>10</sup> *quam si*, A. *quem si verus*, B.<sup>11</sup> *Cernet*, B.<sup>12</sup> *decurret*, A. *decurrent*, B.<sup>13</sup> *Hoc magis insignum*, A. B.

Nil imperfectum, quia perfectissimus auctor<sup>1</sup>  
 Nec majus voluit, quam quod satis omnibus esset,  
 Nec decuit fecisse minus, qui plus potuisset.  
 Hæc igitur species tantum prætendit honorem,<sup>2</sup>  
 Ut sese<sup>3</sup> possit<sup>4</sup> tute committere laudi  
 Invidiæ, laudemque suo mercatur ab hoste.

## CAP. II.

Postquam materiam<sup>5</sup> Naturæ dextra beavit  
 Vultibus humanis, animam concordia carni  
 Fœderat, et stabili connectit dissona nexu,  
 Junctura tenui, gumphis subtilibus aptat,  
 Composito simplex, hebeti subtile, ligatque  
 Fœdere complacito, carni divina maritat.  
 Sic nocti lucem connectit, et æthera terræ:  
 Sic diversa tenent pacem,<sup>6</sup> sic dissona litem<sup>7</sup>  
 Deponunt propriam, nec jam caro bella minatur,  
 Spiritui cedens, sed non sine murmure multo.  
 Nec jam corpoream vestem fastidit abhorrens  
 Spiritus, hospitio tali lætatus<sup>8</sup> et<sup>9</sup> umbra,  
 Ut melius concludat opus concordia, virgo  
 Quæ nobis numeri doctrinam spondet, et illa  
 Quæ monstrat vocum nexus, et vincla sonorum,<sup>10</sup>  
 Assistunt operi cœpto, firmantque<sup>11</sup> duorum  
 Connubium, numerisque ligant, et fœdere certo  
 Nectunt, ut carni nubat substantia cœli.  
 Ergo novus formatur homo, miratur in illo  
 Se tantum potuisse potens Naturæ,<sup>12</sup> stupensque<sup>13</sup>

<sup>1</sup> This and the two following lines  
 are given from B.

<sup>2</sup> *honoris*, B.

<sup>3</sup> *Quod sese*, A. B.

<sup>4</sup> *posset*, A.

<sup>5</sup> *materiem*, B.

<sup>6</sup> *litem*, A.

<sup>7</sup> *pacem*, A.

<sup>8</sup> *lætatur*, M.

<sup>9</sup> *at*, B.

<sup>10</sup> *sorum*, A.

<sup>11</sup> *firmamque*, B.

<sup>12</sup> *Natura*, A. B.

<sup>13</sup> *potensque*, A.

Vix opus esse suum credit quod fecerat ipsa.  
 Accumulat dotes prædictas<sup>1</sup> Copia, pleno  
 Perfundens cornu Naturæ munera, nullam  
 Mensuræ metam retinens in munere tanto;  
 Et cornu, quod nulla prius munuscula, nullum  
 Exhaustit munus, totum diffunditur, in quo  
 Se probat, et quantum possit metitur in illo.  
 Accedit Favor in dotem, ne tanta priorum  
 Munera perfectæ perdant<sup>2</sup> præconia laudis.  
 His favet ergo Favor, donans ut dona placere  
 Possint, et celeri<sup>3</sup> perflat<sup>4</sup> tot munera fama;  
 Quæ, quamvis soleat verum corrumpere falso,  
 Hic nescit nisi vera loqui, moresque vetustos  
 Exuit, et de se retinet sibi<sup>5</sup> nomina famæ.  
 Non ibi laus sine re, nec res sine laude, suamque  
 Curat<sup>6</sup> ab hypocrisi laudem res digna favore.

Munera<sup>7</sup> lætitiæ largitur grata juvenus,  
 Et quamvis hujus soleat<sup>8</sup> Lascivia semper  
 Esse comes, deponit eam, moresque severos  
 Induit, atque senis imitatur moribus ævum.  
 In senium transit morum gravitate juvenus.  
 Sic ætate viret<sup>9</sup> juvenis, quod mente senescit,  
 Ætatem superat sensus, primordia floris  
 Anticipat fructus, et rivum prævenit amnis.<sup>10</sup>  
 Ævo concludit animus, dum dispare ritu  
 Pugnant; hæc<sup>11</sup> juvenem loquitur, probat ille senectam.  
 Risus adest, non ille tamen quem sæpe maligna  
 Gignit abortivum derisio, livor ab intus  
 Parturit, aut extra falsi describit amoris  
 Forma, vel instabili cerebro lascivia pingit;  
 Sed multum gravitatis habens, vultumque modeste

<sup>1</sup> *præditas*, M.<sup>2</sup> *perdunt*, B.<sup>3</sup> *cælum*, A.<sup>4</sup> *perflent*, A.<sup>5</sup> *sibi retinet*, B.<sup>6</sup> *Currat*, B.<sup>7</sup> *Munere*, M.<sup>8</sup> *soleat hujus*, A. *solea hujus*, B.<sup>9</sup> *vivit*, B.<sup>10</sup> *amnis*, B.<sup>11</sup> *hic*, A. *hoc*, B.

Inscribens, nullo deformans ora cachinno.  
 Talis erat Risus, nullo corruptus ab usu,  
 Qualem causa, locus, tempus, persona requirit.  
 His Pudor accedit, longe fomenta<sup>1</sup> relegans  
 Luxuriæ, Veneris declinans dulce venenum,  
 Incestusque sitim<sup>2</sup> redeuntem grata Pudoris  
 Extinguit saties,<sup>3</sup> fluctusque libidinis a se  
 Depellit, vincitque fuga, non Marte, Dionem.  
 Hippolytus redit in vitam,<sup>4</sup> redit alter in orbem  
 Elias, veteremque Joseph novus alter adæquat.

## CAP. III.

Forma pudicitiaë, custosque modestia, dotes  
 Apponit proprias, et donis<sup>5</sup> cætera vincens  
 Dona, nec in dando mensuram deserit, immo  
 Singula describit,<sup>6</sup> certo<sup>7</sup> moderamine finis.  
 Totum componit hominem, contemperat actus,  
 Verbaque metitur,<sup>8</sup> libratque silentia, gestus  
 Ponderat, appendit habitus, sensusque refrenat.  
 Admonet instanter, ut nil agat unde pudendum,  
 Unde pudor frontem signet, mentemque reatus  
 Torqueat, aut famæ titulos infamia lædat.  
 Demonstrat quæ verba, quibus vel quando tacenda,  
 Quæve loqui deceat, ne vel dicenda tacendo  
 Strangulet, aut nimio largus sermone tacenda  
 Evomat, atque seram diffuso subtrahat ori.  
 Describit gestum capitis, faciemque venuste  
 Suscitât ad recti libram, ne fronte supina  
 Ad superos tendens videatur spernere nostros  
 Mortales, nostram dedignans visere terram;  
 Vel nimis in terram faciem<sup>9</sup> demissus, inertem

<sup>1</sup> *fermenta*, A. B.<sup>2</sup> *Incestamquæ sitim*, M.<sup>3</sup> *facies*, B.<sup>4</sup> *ad vitam*, A.<sup>5</sup> *donum*, B. M.<sup>6</sup> *describat*, M.<sup>7</sup> *certi*, M.<sup>8</sup> *mentitur*, M.<sup>9</sup> *in faciem terræ*, A.

Desertumque notet<sup>1</sup> animum ; moderatius ergo  
 Erigitur ; nec enim surgit vel decedit ultra  
 Mensuram, signans mentem constantia vultus.  
 Scurriles prohibet gestus, nimiumque severos  
 Abdicat incessus, ne vel lascivia scurram  
 Prædicet, aut fastus nimius rigor exprimat usum ;  
 Et ne degeneres scurrili more lacertos  
 Exerat, et turpi vexet sua brachia gestu ;  
 Aut fastum signans ulnas exemplet in arcum,  
 Admonet illa virum ; vel ne delibet eundo  
 Articulisque pedum terram, vix terrea tangens,  
 Ejus legitimo firmat<sup>2</sup> vestigia gressu.  
 Ne cultu nimio crinis lascivus adæquet  
 Femineos luxus, sexusque recidat honorem ;<sup>3</sup>  
 Aut nimis incomptus jaceat, squalore profundo  
 Degener, et juvenem proprii neglectus honoris  
 Philosophum nimis esse probat,<sup>4</sup> tenet inter utrumque  
 Illa modum, proprioque locat de more capillos.  
 Non habitum cultus nimii splendore serenat,  
 Nec squalore premit, mediocriter omnia pensat.  
 Non vitanda foris oculus venatur, et auris,  
 Mellifluæ vocis dulci seducta canore,  
 Seducit mentem, deceptaque naris odore<sup>5</sup>  
 Defluit in luxus, visum castigat et aurem,  
 Frenat odoratum ;<sup>6</sup> vel ne dulcore saporis  
 Desipiens gustus, mentem nimium sapiendo  
 Decipiat, sensum gustus contemperat,<sup>7</sup> usum  
 Tactus componit, ne devius erret, et intus  
 Mentem sollicitet,<sup>8</sup> Veneris præludia quærens  
 Exterius, nostræque ferens vexilla Diones.

<sup>1</sup> nocet, B.<sup>2</sup> formans, B. format, M.<sup>3</sup> honores, A.<sup>4</sup> probet, B.<sup>5</sup> pudore, A.<sup>6</sup> odoratum, A.<sup>7</sup> contemperet, A.<sup>8</sup> sollicitat, B.

## CAP. IV.

Non minor in donis Ratio succedit,<sup>1</sup> et omne  
 Diffundit<sup>2</sup> munus, nunc primo<sup>3</sup> prodiga donis,  
 Jam pridem quæ parca fuit, jam parcere dono  
 Desinit, ipsa tamen redeunt cum fœnore dona.  
 Illa monet juvenem monitu seniore, senisque  
 Largitur mores juveni; docet ergo, repente,  
 Ne quid agat, subitumve nihil præsumat, at omne  
 Factum præveniat animo, deliberet ante  
 Quam faciat, primumque<sup>4</sup> suos examinet actum.<sup>5</sup>  
 Dividat a falso verum, secernat honestum  
 A turpi, vitium fugiens, sectator honesti;  
 Promittat raro, det crebrius, immo petentem  
 Munere præveniat, ne sit res empta rogatu.  
 Si quid promittit,<sup>6</sup> promissum munus adæquet,  
 Vel superet,<sup>7</sup> ne re major<sup>8</sup> spes gaudia<sup>9</sup> vincat.  
 Promissum comitetur opus, ne tarda sequantur  
 Munera, ne doni merito dantisque favori  
 Detrahat, et donum minuatur dilatio dantis.  
 Non fluat in motus varios, sed<sup>10</sup> firmiter uni  
 Insistat mens fixa bono, ne singula temptans  
 Nil teneat, nec sic animus discurrat ubique,  
 Quod nusquam; ne planta recens translata frequenter  
 Areat, aut varii temptans medicaminis usum  
 Invaleat morbus; ne mens sic omnibus adsit,  
 Quod<sup>11</sup> nulli; sic cuncta probet, quod<sup>11</sup> singula perdat.  
 Nec petat impelli<sup>12</sup> populari laude, nec ipsam  
 Respuat oblatam, nisi sit velata colore  
 Hypocrisis, verbo quærens emungere lucrum.

<sup>1</sup> *successit*, B.<sup>2</sup> *Diffudit*, B.<sup>3</sup> *primum*, B.<sup>4</sup> *factumque*, A.<sup>5</sup> *actus*, B. M.<sup>6</sup> *promittat*, A.<sup>7</sup> *Aut superest*, B.<sup>8</sup> *ne major*, A.<sup>9</sup> *sua gaudia*, A.<sup>10</sup> *sic*, A.<sup>11</sup> *Ut . . . ut*, M.<sup>12</sup> *impleri*, B.



Nam nimis austerum redolet, qui despicit omnem  
 Famam, mollescitque nimis, qui singula famæ  
 Blandimenta petit, populari deditus auræ.  
 Non animo facili, non aure bibente<sup>1</sup> favorem,  
 Audiat hypocritas<sup>2</sup> laudes,<sup>3</sup> mendacia famæ,  
 Palponis phaleras,<sup>4</sup> quæ verba sophistica pingit,  
 Et dulci laudum sonitu citharizat in aure  
 Divitis, et vendit laudes<sup>5</sup> ad pondera doni.

## CAP. V.

Post Rationis opes, et tantum munus, Honestas  
 Thesaurum reserat proprium, juvenemque suarum  
 Custodem decernit opum, deponit in illo  
 Quicquid habet, jus omne sui<sup>6</sup> transfundit in illum.  
 Infames vitare monet, ne fama laboret,  
 Ne vicina bonos lædant contagia mores.  
 Ut vitium fugiat, Naturam diligat, illud  
 Quod facinus peperit damnans, quod prava voluntas  
 Edidit; amplectens quicquid Natura creavit.  
 Non homines, sed monstra cavens, et crimina vitans;  
 Sic instans vitio, quod rerum parcat honori;  
 In commune bonum,<sup>7</sup> ne lux abscondita parce  
 Luceat, et fructus det virtus<sup>8</sup> clausa minores:  
 Interius sibimet ut pauci vivat, et extra  
 Ut plures, intus sibi vivens, pluribus extra.  
 Ut mundo natum se credat, ut omnibus omnis  
 Pareat, et sapiens sese cognoscat in illo.<sup>9</sup>  
 Ne loca denigrent<sup>10</sup> famam, ne tempora reddant  
 Suspectum, vitæque modus, rerumque facultas.  
 Prædictis succedit Honor; prædicta colorans

<sup>1</sup> *bipenne*, B.<sup>2</sup> *hypocritam*, B.<sup>3</sup> *laudum*, B.<sup>4</sup> *fabulas*, A.<sup>5</sup> *laudes vendit*, A.<sup>6</sup> *ejus omne boni*, A.<sup>7</sup> *bonus*, B. M.<sup>8</sup> *virtus det*, A.<sup>9</sup> *illa*, A.<sup>10</sup> *denigrant*, B.

Luce sua, nullamque sinit sentire lituram<sup>1</sup>  
 Dedecoris, sed cuncta suo perlustrat honore  
 Muneris, et proprio cultu<sup>2</sup> Decus omnia vestit;  
 Non minus irradians aliarum facta sororum,  
 Quam rosa cognatos flores, quam Lucifer ignes  
 Sidereos, lapidumque jubar carbunculus auget.

Assistens Phronesis pluit omnia dicta<sup>3</sup> Sophiæ.  
 Non illas largitur opes, quæ sæpe potentum  
 Excæcant animos, et majestatis honorem  
 Inclinant, minuunt leges, et jura retardant;  
 Sed potius donat thesaurum mentis, et omnes  
 Divitias animi, quas qui semel accipit, ultra  
 Non eget, immo semel ditatus semper abundat.  
 Quarum rectus amor, possessio nobilis, usus  
 Utilis, utilior largitio, fructus abundans.  
 Hæc est gaza poli, cœli thesaurus, inundans  
 Gratia, quæ doctos ditat, quæ prodiga largos  
 Vult possessores, et dedignatur avaros.  
 Clausa perit, diffusa redit; nisi publica fiat,  
 Labitur, et multas vires acquirit eundo.  
 Non istas depascit opes rubigo, nec ignis  
 Devorat, aut furis<sup>4</sup> minuit subreptio, mergit<sup>5</sup>  
 Naufragium, tollit prædo, depauperat hostis.

Nec<sup>6</sup> solum Phronesis confert sua dicta,<sup>7</sup> sed ultra  
 Procedit, jubet ancillas exponere quicquid  
 Possunt, et quodam<sup>8</sup> certamine fundere dona.  
 Grammaticæ<sup>9</sup> doctrina prior præcepta Sophiæ  
 Complet, et in juvenem descendit tota, nec in se  
 Fit minor, immo magis crescens grandescit in illo.  
 Omne quod ipsius decernit<sup>10</sup> regula, canon  
 Præcipit, et dictat artis censura magistræ,<sup>11</sup>

<sup>1</sup> *ruinam*, B.

<sup>2</sup> *cultu proprio*, A.

<sup>3</sup> *dona*, A. B.

<sup>4</sup> *furum*, B.

<sup>5</sup> *vergit*, A.

<sup>6</sup> *Hæc*, A.

<sup>7</sup> *dona*, B. M.

<sup>8</sup> *quoddam*, A.

<sup>9</sup> *Grammaticior*, B.

<sup>10</sup> *defendit*, B.

<sup>11</sup> *magister*, B.

In dotem juvenis confert, ne verba monetet<sup>1</sup>  
 Citra grammaticam, ne verbo barbarus erret,  
 Barbaries quam nulla notat, sic ergo loquendi  
 Recte scribendique viam sectatur, et artem  
 Assequitur, damnat vitium, toleratque figuram;  
 Perfundensque virum Pegasei nectare fontis  
 Turba poetarum, docet illum verba ligare  
 Metris, et dulci carmen depingere rhythmō.

## CAP. VI.

Succedit Logicæ virtus arguta, nec alget  
 Munere Pygmæo;<sup>2</sup> verum contendit in illo  
 Spargere divitias, et dandi laxat habenam.<sup>3</sup>  
 Hæc docet argutum Martem rationis inire,  
 Adversæ parti concludere, frangere vires  
 Oppositas, partemque suam ratione tueri;  
 Vestigare fugam veri, falsumque fugare,  
 Schismaticos logicæ,<sup>4</sup> falsosque retundere fratres  
 Et pseudologicos, et denudare sophistas.  
 Adsunt rhetoricæ cultus, floresque colorum,  
 Verba quibus stellata nitent, et sermo decorem  
 Induit, et multa splendescit clausula luce.  
 Has sermonis opes, cultus et sidera verbi  
 Copia Rhetoricæ jactat,<sup>5</sup> juvenisque loquelam  
 Pingit, et in vario præsignit verba colore.  
 Succincte docet illa loqui, sensusque profundos  
 Sub sermone brevi concludere, claudere multa  
 Sub paucis, nec diffuso sermone vagari,  
 Ut breve sit verbum, dives sententia, sermo  
 Facundus, multi fœcundus pondere sensus.  
 Vel si forte fluat sermo sub flumine verbi,

<sup>1</sup> *monetat*, A., with *moneto-as* in  
 the margin. *moneret*, M.

<sup>2</sup> *pingmeo*, A.

<sup>3</sup> *habenas*, B.

<sup>4</sup> *logices*, B.

<sup>5</sup> *lactat*, A.

Fluminet uberior<sup>1</sup> sententia, copia fructus  
Excuset folii silvam, paleasque vagantes  
Ubertas granis<sup>2</sup> redimat, sensusque loquelam.

Donat opes ars illa suas<sup>3</sup> quæ semina rerum,  
Fœdera, complexus, causas, et vincula, certis  
Legibus inquit, numeros<sup>4</sup> vestigat, et omnes  
Discutit effectus, quibus omnia fixa tenentur  
Sub vicibus constricta suis, numerisque ligantur  
Cuncta simul, pacemque tenent, cessante tumultu.  
Ergo viro<sup>5</sup> sua denudat<sup>6</sup> secreta Minervæ,  
Hæredem facit esse suum, juvenique revelat  
Scibile quicquid habet, quicquid sua copia fundit,  
Quæ ratio numeris, quæ virtus, quæve potestas  
Insit, et in numeris quæ tanta potentia regnet,  
Ut numeri nodo stabilis liget omnia nexus.

Musica divitias aperit, sua munera multo  
Plena favore viro concedit, adoptat<sup>7</sup> eundem;  
Omne suum velut hæredi delegat eidem.  
Quæ vox displiceat voci, quæ consonet illi  
Monstrat, amicitias vocum, rixasque sonorum  
Edocet, et quæ vox turbet, quæ debriet aurem.

Explicitas in dona<sup>8</sup> manus ars illa relaxat,  
Quæ terræ spatium, tractus maris, aeris altos  
Discursus, cœli fines metitur, et omne  
Corpus sub certo describit fine, nec altum  
Impedit, immensum tardat, retrahitque<sup>9</sup> profundum.  
Illa virum docet in spatio concludere terram,  
Aera metiri, mare sistere, claudere cœlum  
Finibus, et teretem mundi describere formam.

Astrorum doctrina suum componit in illo  
Hospitium, quo nulla magis sibi complacet aula.  
Illa docet quis motus agit cœlestia, stellas

<sup>1</sup> *ulterior*, A.

<sup>2</sup> *Ubertas grani*, B.

<sup>3</sup> *suos*, B.

<sup>4</sup> *numerus*, A.

<sup>5</sup> *virum*, A.

<sup>6</sup> *denudant*, A.

<sup>7</sup> *adoptet*, A.

<sup>8</sup> *ad dona*, A.

<sup>9</sup> *retrahitve*, A. *turbatve*, B.

Excitat, aut cœli<sup>1</sup> quis spiritus incitat<sup>2</sup> orbem.  
 Hoc doni titulo mundi Sapia dicit,  
 Præsignitque virum; sed eum divinius afflans  
 Ars divina poli, veri schola, nescia falsi;  
 Ars quæ sola fide gaudet subnixa, nec arte  
 Nititur, humanæ fugiens rationis asyllum.  
 Gratus arrisit,<sup>3</sup> animam cum cœlicus ignis  
 In superis retineret adhuc, splendorque serenus  
 Adspiraret ei, nec nostras ætheris imi  
 Pressuras pateretur adhuc, nec tædia mundi.  
 Illa docet cœleste sequi, vitare caducum,  
 Vivere lege poli, sursum suspendere mentem,  
 Fastidire solum, cœlum conscendere mente,  
 Corporis insultus frenare, refellere luxus  
 Carnis, et illicitos rationi subdere motus.  
 Succedens Pietas se totam donat, et offert  
 In munus, tantumque viro committit, ut ipsa  
 Credatur Pietas, tantæ pietatis alumnus.  
 Hæc<sup>4</sup> docet ut maculas animi complanet,<sup>5</sup> et omnes  
 Deponat nubes odii, mens cerea fiat.  
 Si respersa semel fuerit pietatis olivo,  
 Sic tamen, ut nunquam firmæ constantia mentis  
 Deviet a recto, ne si pietate remissus  
 Mollescat juvenis, magnos effeminet<sup>6</sup> actus  
 Mollities, perdatque viri mens fracta vigorem.  
 Hæc docet ut miseri lacrimas, incommoda, casus,  
 Judicet esse suos, nec se putet esse beatum,  
 Dum superesse videt in multis<sup>7</sup> unde dolendum.  
 Defendat viduas, miseros soletur, egenos  
 Sustentet, pascat inopes, foveatque pupillos.

---

<sup>1</sup> *Excitat æthereas*, B.

<sup>2</sup> *insidet*, B.

<sup>3</sup> *irrisit*, B.

<sup>4</sup> *Hic*, A.

<sup>5</sup> *detergat*, B.

<sup>6</sup> *effeminat*, A.

<sup>7</sup> *superesse mala multis videt*, B.

## CAP. VII.

Annectit sua dona Fides, in munere multo  
 Se probat esse Fidem, nec se sibi subtrahit, immo  
 Monstrat, et in dono se disputat esse fidelem.  
 Illa docet vitare dolos, contemnere fraudes,  
 Fœdus amicitiae, fidei vim,<sup>1</sup> pignus amoris,  
 Illæsa servare fide, nec nomine falso  
 Pseudo vel hypocritam simulare latenter<sup>2</sup> amicum.  
 Præterea monet illa virum, ne quærat amicos  
 Fortunæ comites, cum qua mutantur,<sup>3</sup> et adsint,<sup>4</sup>  
 Vel fugiant,<sup>5</sup> casusque vices, et fata sequantur;<sup>6</sup>  
 Qui cum fortunæ fugitivo vere recedant,  
 Adversi casus hiemes et nubila vitent.  
 Hæc juvenem docet, ut nusquam<sup>7</sup> mercetur amicum<sup>8</sup>  
 Munere, nec doni merito venetur amorem.  
 Nam<sup>9</sup> pretio quæsitus amor cum munere cedit,  
 Et quantum<sup>10</sup> durat largitio, durat amicus.  
 Prostat talis amor, mensuram muneris implens,  
 Non ibi vera fides, ubi munus donat amorem.  
 Non donum largitur amor, dum pondus amoris  
 Ponderat ipsa dati merces et copia doni;  
 Sed precis et pretii venali lege relicta,  
 Quærat quem vero sic complectatur amore,  
 Illæsaque fide, quod amor lucretur amorem  
 Alterius, referatque novos novus alter<sup>11</sup> amores;  
 Sitque relativa<sup>12</sup> dilectio, mutuus adsit  
 Nexus amicitiae, quam<sup>13</sup> nec Fortuna novercans  
 Solvat, nec casus agitet, nec gloria frangat.

<sup>1</sup> *vis*, A. B.<sup>2</sup> This word is omitted in B.<sup>3</sup> *qua cum comitantur*, B.<sup>4</sup> *assunt*, B.<sup>5</sup> *fugiunt*, B.<sup>6</sup> *sequuntur*, B.<sup>7</sup> *nunquam*, B.<sup>8</sup> *amicos*, B.<sup>9</sup> *Nec*, A.<sup>10</sup> *In quantum*, B.<sup>11</sup> *amor alter*, B.<sup>12</sup> *relatam*, A.<sup>13</sup> *quem*, A. B.

Quærat cui possit se totum credere, velle  
 Declarare suum, totamque exponere mentem.  
 Cui sua committat animi secreta latentis,  
 Ut sibi, conservans<sup>1</sup> thesaurum mentis in illo,  
 Nil sibi secretum, quod non develet<sup>2</sup> eidem,  
 Ut suus in tali signo mensuret amicus<sup>3</sup>  
 Pondus amicitiae, quam lance rependat eadem.

Subsequitur Virtus, quæ gaudet fundere<sup>4</sup> dona,  
 Spargere<sup>5</sup> divitias, et opum diffundere massam.  
 Quæ census nutrire vetat vel pascere nummos,  
 Nec<sup>6</sup> sinit ignavam secum pigrescere<sup>7</sup> gazam;  
 Nec<sup>8</sup> bursam satiat nummis, sed cogit eandem  
 Ad vomitum, si quid census absorbit unquam.  
 Olim parca viris, nunc uni prodiga, sese  
 Transcendit, viresque suas excedit in uno.  
 Hæc docet<sup>9</sup> ut mentem dono<sup>10</sup> suspendat ab omni,  
 Excutiatque manum, nec opum subcumbat amori,  
 Divitias animo calcans, et mente triumphans,  
 Sic conculcet opes, ne conculcetur ab illis,  
 Ne manus ad donum currat, nexuque tenaci  
 Viscus avaritiæ munus constringat adeptum;  
 Neve relativam mercedem munera quærant,  
 Nec lucrum sitiât, nec præmia munus adoret;  
 Sed sine spe reditus fundantur omnia sparsim,<sup>11</sup>  
 Solaque nobilitas et simplex gratia mentis  
 Informet munus, et doni condiat usum.

<sup>1</sup> *conservet*, M.<sup>2</sup> *denudet*, B.<sup>3</sup> *amoris*, A.<sup>4</sup> *spargere*, A.<sup>5</sup> *Fundere*, A.<sup>6</sup> *Non*, B.<sup>7</sup> *torpescere*, A. B.<sup>8</sup> *Non*, A.<sup>9</sup> *Hæc monet*, B.<sup>10</sup> *dona*, M.<sup>11</sup> *passim*, B. *munera sparsim*, M.

## CAP. VIII.

Post alias sua dona libens et læta dedisset  
 Filia Fortunæ, casus cognata propinqui,  
 Nobilitas, si quid<sup>1</sup> proprium cessisset<sup>2</sup> in ejus  
 Sortem, quod posset Naturæ lege tueri.  
 Sed quia nulla potest nisi quæ Fortuna ministrat,  
 Nil sine<sup>3</sup> consilio Fortunæ perficit, immo  
 Matris adire domum disponit filia, gressum  
 Aggreditur, superatque viæ dispendia cursu.<sup>4</sup>  
 Est rupes maris in medio, quam verberat æquor  
 Assidue, cum qua corrixans litigat unda ;  
 Quæ variis agitata modis, percussa que motu  
 Continuo, nunc tota latens sepelitur in undis,  
 Nunc exuta mari, superas expirat<sup>5</sup> in auras :  
 Quæ nullam retinet formam, quam singula mutant  
 In varias momenta vices, quæ sidera florum  
 Jactat, et in multo lætatur gramine rupes,  
 Dum leni Zephyrus inspirat singula flatu.  
 Sed cito deflorat flores, et gramina sævus  
 Deperdit Boreas ; ubi dum flos incipit esse,  
 Explicit, et florum momento sistitur ætas.  
 Sicque furens Aquilo prædatur singula, flores  
 Frigoris ense metit, et pristina gaudia delet.  
 Hic nemus ambiguum, diversa que nascitur arbor.  
 Ista manet sterilis, hæc fructum parturit ; illa  
 Fronde nova gaudet,<sup>6</sup> hæc frondibus orphana plorat.  
 Una viret, plures arescunt, unaque floret,  
 Efflorent aliæ ; quædam consurgit in altum,  
 Demittuntur humi reliquæ ; dum pullulat una,  
 Marcescunt aliæ. Varius sic alterat illas  
 Casus, et in variis<sup>7</sup> alternat motibus omnes.

<sup>1</sup> *sed quid*, A.<sup>2</sup> *sensisset*, A.<sup>3</sup> *Nec sine*, B.<sup>4</sup> *gressu*, A.<sup>5</sup> *respirat*, B. M.<sup>6</sup> *gaudens*, B.<sup>7</sup> *varias*, M.



Multa per antiphrasim gerit illic alea casus,  
 Pygmea brevitare sedens, demissaque cedrus  
 Desinit esse gigas, et nana myrica<sup>1</sup> gigantem  
 Induit: alterius sic accipit altera formam.  
 Marcescit laurus, myrtus parit, aret oliva,  
 Fit fœcunda salix, sterilis pyrus, orphana fructu  
 Pomus, et in partu contendit vitibus ulmus.  
 Hic jaculis armata suis spineta minantur  
 Vulnus, et insultans manibus nocet hispida taxus.  
 Hic raro philomela<sup>2</sup> canit, citharizat alauda:  
 Crebrius hic miseros eventus bubo prophetat,  
 Nuntius adversi casus, et præco doloris.  
 Hic duo decurrunt fluvii, quos dividit ortus  
 Dissimilis, dispar vultus, diversa coloris  
 Forma, sapor varius, distans substantia fontis.  
 Prædulces habet alter aquas, mellitaque donans  
 Pocula, melle suo multos seducit, et haustæ  
 Plus sitiuntur aquæ; potantes debriat, immo  
 Dum satiat, parit<sup>3</sup> unda sitim, potusque<sup>4</sup> sititur  
 Amnis, et innumeros hydropicat ille bibentes.  
 Murmure lascivit tenui, dulcique susurro  
 Murmurat, et placida rupem<sup>5</sup> præterfluit unda.  
 Amnis in ingressu multi sistuntur, et ultra  
 Non patet accessus,<sup>6</sup> qui dulces fluminis undas  
 Vix tangunt, libantque parum, tantoque sapore  
 Tacti plus cupiunt, inmergi plenius undis  
 Optant,<sup>7</sup> et totos perfundi fluctibus artus.  
 Procedunt alii, quos alto gurgite mersos  
 Plenior amnis habet, et provehit altior unda.  
 Quos tamen imbutos tanta dulcedine fluctus  
 Ad ripam levis unda refert,<sup>8</sup> terræque remittit.

<sup>1</sup> et myrtus nana, B.

<sup>2</sup> philomena, B.

<sup>3</sup> parat, B.

<sup>4</sup> potiusque, B.

<sup>5</sup> ripam, A.

<sup>6</sup> excessus, A.

<sup>7</sup> The words from *plus* to *Optant* are given from A. B.

<sup>8</sup> unda trahit, B.

## CAP. IX.

Præcipiti lapsu fluctus<sup>1</sup> dilabitur alter,  
 Sulphureis tenebrosus aquis, absinthia gignit,  
 Unde sapore suo reddit fervore caminum;  
 Sicque color<sup>2</sup> visum, gustum sapor, impetus aurem  
 Turbat, et insipidum fastidit naris odorem.  
 Non has crispas aquas Zephyrus, sed funditus illas  
 Evertens Boreas, in montes erigit, undis  
 Indicens bellum, cognataque prælia miscens,  
 Fluminis in ripa lacrimarum flumina multos  
 Demergunt, qui demergi torrentis abysso  
 Amne furente timent,<sup>3</sup> et fluctus ferre tumultus.<sup>4</sup>  
 Multus<sup>5</sup> in hunc amnem populus descendit, et altis  
 Consepeditur aquis, tumidoque impellitur amne.  
 Absorbet nunc unda viros, nunc evomit; istos  
 Fluctibus immergit, hos respirare parumper  
 Permittit; sed quamplures sic sorbet abysus,  
 Quos revocare gradum, superasque evadere ad auras  
 Non licet, et reditus vestigia nulla supersunt.  
 Hic fluviis variis currens amfractibus, intrat  
 Torrentem prædulcis<sup>6</sup> aquæ, cogitque fluentem  
 Degenerare, luemque suam partitur eidem.  
 Nubilus obtenebrat clarum, fermentat amarus  
 Prædulcem, tepidum calidus, fætosus odorum.

---

<sup>1</sup> *fluviis*, B.

<sup>2</sup> *color*, A.

<sup>3</sup> *timet*, A.

<sup>4</sup> *tumultum*, B. M.

<sup>5</sup> *Multos*, B.

<sup>6</sup> *præclusus*, A.

---

## ANTICLAUDIANI

## DISTINCTIO OCTAVA.

## CAP. I.

Rupis in abrupto suspensa, minansque ruinam,  
 Fortunæ domus in præceps descendit, et omnem  
 Ventorum patitur rabiem, cœlique procellas  
 Sustinet, et raro Zephyri mansueta serenat  
 Aura domum, fletusque<sup>1</sup> Noti Boreæque rigorem  
 Parcius abstergit lenis clementia flatus.  
 Pars in monte tumet, pars altera vallis in imo  
 Subsident, et casum tanquam lapsura minatur,  
 Fulgurat argento, gemmis scintillat, et auro  
 Resplendet<sup>2</sup> pars una domus, pars altera vili  
 Materie dejecta jacet; pars ipsa superbit  
 Culmine sublimi, pars illa fatiscit hiatu.  
 Hic est Fortunæ sua mansio, si tamen usquam  
 Res manet instabilis, residet vaga, mobilis hæret;  
 Cujus tota quies lapsus, constantia motus,  
 Volvere, stare, situs decurrere, scandere casus;  
 Cui modus et ratio rationis egere, fidesque  
 Non servare fidem, pietas pietate carere.  
 Hæc est inconstans, incerta, volubilis, anceps,  
 Errans, instabilis, vaga, quæ dum stare putatur,  
 Occidit, et falso mentitur gaudia risu.

<sup>1</sup> *flatusque*, B.| <sup>2</sup> *Scintillat*, A.

Aspera blanditiis, in lumine nubila, pauper  
 Et dives, mansueta, ferox, prædulcis, amara,  
 Ridendo plorans, stando vaga, cæca videndo,  
 In levitate manens, in lapsu firma, fidelis.  
 In falso, levis in vero, stabilisque movendo.  
 Hoc firmum servans, quod nunquam<sup>1</sup> firma; fidele  
 Hoc solum retinens, quod nesciat esse fidelis;  
 Hoc solo verax, quod semper falsa probatur;<sup>2</sup>  
 Hoc solo stabilis, quod semper mobilis erret.  
 Ambiguo vultu seducit forma videntem.  
 Nam capitis pars anterior vestita capillis  
 Luxuriat, dum calvitiam<sup>3</sup> pars altera luget;  
 Alter lascivit oculus, dum profluit alter  
 In lacrimas; hic languet hebes, dum fulgurat ille.  
 Pars vultus vivit, vivo flammata colore,  
 Pars moritur, quam pallor habet, qua gratia vultus  
 Exspirat, languet facies, et forma liquescit.  
 Una manus donat, retrahit manus altera donum.  
 Ampliat hæc munus, hæc munera contrahit; illa  
 Porrigit, hæc aufert; hæc comprimit, illa relaxat.  
 Gressus inæqualis, varius, retrogradus,<sup>4</sup> errans,  
 Progrediens retrograditur, multumque recedit  
 Procedens, pariter velox et lentus eundo.  
 Nunc meliore toga splendet, nunc paupere cultu  
 Plebescens Fortuna jacet, nunc orphanæ veste  
 Prostat, et antiquos lugere videtur honores.  
 Præcipitem movet illa rotam, motusque laborem  
 Nulla quies claudit, nec sistunt otia motum.  
 Nam cum sæpe manum dextram labor ille fatiget,  
 Læva manus succedit ei, fessæque sorori  
 Succurrit, motumque rotæ velocius urget.  
 Cujus turbo rapax, raptus celer, impetus anceps,  
 Involvans homines, a lapsus turbine nullum

<sup>1</sup> nusquam, A.<sup>2</sup> probetur, M.<sup>3</sup> calvitie, B.<sup>4</sup> inæqualis, retrogradus, ebrius,  
errans, A. B.

Excipit, et cunctos fati ludibria ferre  
 Cogit, et in varios homines descendere casus.  
 Hos premit, hos relevat; hos dejicit,<sup>1</sup> erigit illos.  
 Summa rotæ dum Croesus habet, tenet infima Codrus;  
 Julius ascendit, descendit Magnus, et infra  
 Sylla<sup>2</sup> jacet, surgit Marius; sed cardine verso  
 Sylla<sup>2</sup> redit, Marius premitur; sic cuncta vicissim  
 Turbo rapit,<sup>3</sup> variatque vices Fortuna volutans.<sup>4</sup>

## CAP. II.

Fortunæ loca prædicto signata<sup>5</sup> paratu  
 Nobilitas festiva petit, matremque salutat  
 Adveniens, causamque viæ perstringit eidem  
 Sub brevibus verbis, et matri supplicat, orans  
 Ut si quid præsigne gerat, dignumque favore,  
 Quod deceat<sup>6</sup> virtutis opus, quod competat ipsi  
 Naturæ facto, non illud deneget illi;  
 Quem<sup>7</sup> Natura creat, recreat nova gratia, formant<sup>8</sup>  
 Mores, informat virtus, prudentia ditat,  
 Præditat pietas, afflat decus, ornat honestas,  
 Exornat ratio, species præsignit, et omnis  
 Virtutum cumulus ejus concurrat in usum.  
 His dictis, modico risu Fortuna severos  
 Exhilarans vultus, hæc natæ verba rependit:  
 “ Actus Naturæ, Virtutis fabrica, nostrum  
 “ Non deposcit opus; nostro non indiget actu  
 “ Tam celebris factura Dei, quam singula ditant  
 “ Munera Naturæ, divinaque dona beatam  
 “ Efficiunt, nulloque caret virtutis honore.  
 “ Quid poterit casus, ubi casu nulla reguntur?  
 “ Quid mea mobilitas, ubi rem constantia servat?

<sup>1</sup> *deprimit*, A.<sup>2</sup> *Scilla*, B.<sup>3</sup> *capit*, B.<sup>4</sup> *voluntas*, B. M.<sup>5</sup> *festiva*, A.<sup>6</sup> *doceat*, A.<sup>7</sup> *Quod*, A.<sup>8</sup> *format*, A. B.

" Quid levitas, ubi res stabilis? quid mobile, certa  
 " Res ubi quæque manet? ferro non indiget aurum,  
 " Non lumen tenebris; sic me non exigit actus  
 " Naturæ, virtutis opus, factura superni  
 " Artificis, nostrasque manus non postulat usum.  
 " Sed ne livoris stimulus videatur in istud  
 " Desævire bonum, vel me suspendere fastus,  
 " Dona feram, quæcunque tamen sint, illa negare  
 " Nolo, ne donans potius quam dona pudorem  
 " Sustineat, donique notæ sint crimina danti.  
 " Addam quæ mea<sup>1</sup> sunt; si quæ tamen<sup>2</sup> aut mea dici  
 " Aut me posse decet alii conferre (quod absit!)  
 " Ut dem, sed potius ad tempus præsto; nec unquam  
 " Ulla dedi, nisi quæ pro velle resumere possem.  
 " Sed tamen hic nostros conabar<sup>3</sup> vincere lapsus,  
 " Et vires inferre<sup>4</sup> mihi, mutabo propinquas  
 " Fraudes, atque mei deponam tædia casus.  
 " Me reddam stabilem, motum pro parte rescindens<sup>5</sup>  
 " Incipiam, sollers, sapiens, discretaque, verax,  
 " Et stabilis fieri, quæ stulta, improvida, mendax,  
 " Et præceps, huc usque fui, mutabo priores  
 " Excessus, nostrasque manus mirabor ad horam."

Arripit ancipites post hæc Fortuna meatus,  
 Et coeptum maturat iter, comitatur euntem  
 Nobilitas, sequiturque suæ vestigia matris.  
 Ergo viam superans incerto limite, gressu  
 Ambiguo, casu ductore, errore magistro,  
 Naturæ Fortuna domum perquirat, et illam  
 Vix tandem forte vaga,<sup>6</sup> præceps, mobilis, errans,  
 Invenit; adventum cujus mirata stupescit  
 Curia. Sed quamvis habitus mutatio, vultus  
 Degener, inconstans gestus, terrere videntem  
 Posset, et a recto stupidam divertere mentem;

<sup>1</sup> *qui mea*, B.

<sup>2</sup> *sed tamen*, A.

<sup>3</sup> *conabor*, B. M.

<sup>4</sup> *conferre*, A.

<sup>5</sup> *recidens*, B. M.

<sup>6</sup> *fluitans vaga*, M.

Non tamen illa metu nutat, sed visa <sup>1</sup> parumper  
 Miratur, nec mentis abest constantia firmæ.  
 Ergo Nobilitas dotes et munera profert,  
 Fortuna dictante modum, juvenemque beatum  
 Naturæ dono, virtutis munere, dote  
 Cœlesti,<sup>2</sup> nulla peccati labe jacentem,  
 Aflat honore suo; tamen hujus dona minori  
 Luce micant donis adjuncta prioribus, immo  
 Vix aliquid splendoris habent, dum luce premuntur<sup>3</sup>  
 Majori; sic flamma minor vicina camino  
 Languescit; sic stella latet contermina Phœbo.  
 Confertur tamen ad laudem<sup>4</sup> titulumque favoris  
 Nobilitas augusta, genus præsigne, parentes  
 Ingenui, libertas libera, nobilis ortus.

Dum Fortuna parat alias apponere dotes,  
 Assistit danti Ratio, ne forte priorum  
 Munera fermentet unius munus, et uno  
 Depereat vitio multarum gloria<sup>5</sup> rerum.  
 Non sinit adversis respergere prospera, moestis  
 Gaudia, Fortunam se fallere cogit, et aufert  
 Hanc sibi, mendacem veram facit esse, fidelem  
 Falsam, constantem fluidam, cæcamque videntem  
 Reddit, et ad tempus cogit cessare vagantem.  
 Ergo suas largitur opes Fortuna, nec ultra  
 Mensuram citrave sinit decurrere donum  
 Fortunæ Ratio; sed opes metitur, et omnes  
 Librat divitias, ne si nimis effluat harum  
 Alveus, in præceps mentem deducat, et illam  
 Mergat opum torrens, animum declinet in usus<sup>6</sup>  
 Illicitos, meritisque<sup>7</sup> suos effeminet<sup>8</sup> actus.

<sup>1</sup> *jussa*, A.<sup>2</sup> *Electi*, A.<sup>3</sup> *premantur*, B.<sup>4</sup> *lucem*, A.<sup>5</sup> *gratia*, B.<sup>6</sup> *in istis*, A.<sup>7</sup> *mentisque*, B. M.<sup>8</sup> *effeminat*, A.

## CAP. III.

Jam perfectus erat in cunctis coelicus ille  
 Et divinus homo, jam lubrica fama per orbem  
 Naturæ clamabat opus, jam rumor in aures  
 Multorum dilapsus erat, cum tristis ad istos  
 Horruit Allecto rumores, non <sup>1</sup> tamen illis  
 Præbuit assensus faciles, <sup>2</sup> sed credere tandem  
 Cogitur invita, cum res et fama peroret. <sup>3</sup>  
 Ergo domos <sup>4</sup> languere dolet, gemitusque silere  
 Ingemit, atque suos luget torpescere luctus.  
 Cum lætetur homo, plorat; cum rideat orbis,  
 Luget, languescit; cum mundus floreat, aret;  
 Cum vireat virtus, cum res humana virescat,  
 Marcescit; cum regnet homo, proscribitur illa.

Ergo suas pestes pestis prædicta repente  
 Convocat; ad ejus nutus <sup>5</sup> glomerantur in unum  
 Tartarei proceres, rectores noctis, alumni  
 Nequitiae, fabri scelerum, culpæque magistri,  
 Damna, doli, fraudes, perjuria, furta, rapinæ,  
 Impetus, ira, furor, odium, discordia, pugnæ,  
 Morbus, tristities, lascivia, luxus, egestas,  
 Luxuries, fastus, livor, formido, senectus.  
 Is <sup>6</sup> scelerum turbo, <sup>7</sup> vitiorum turba, malorum  
 Conventus, numerosa lues, et publica pestis,  
 Tartareas ruit in sedes, ubi regnat Erynnys,  
 Imperat Allecto, leges dictante Megæra. <sup>8</sup>

## CAP. IV.

Postquam turba furens, gens dissona, concio discors,  
 Plebs dispar, populus deformis, <sup>9</sup> sedibus illis

---

<sup>1</sup> *nec*, B. M.

<sup>2</sup> *assensum facilem*, B.

<sup>3</sup> *perhorret*, A.

<sup>4</sup> *dolos*, B.

<sup>5</sup> *nutum*, A.

<sup>6</sup> *His*, A. *Hic*, B.

<sup>7</sup> *scelerum turbæ*, A.

<sup>8</sup> *Mogera*, B.

<sup>9</sup> *difformis*, M.



Insedit, dum murmur adhuc percurreret aures ;  
 Dans tumidas voces, et verba loquentia Fastum,  
 Allecto prorupit in hæc : “ Quæ jura, quis ordo,  
 “ Quis modus, unde quies, quæ tanta licentia pacis,  
 “ Ut nostras Natura velit proscribere leges,  
 “ Et mundum servire<sup>1</sup> sibi, damnare nocentes,  
 “ Et justos salvare<sup>1</sup> velit, cum nostra potestas  
 “ Ejus præveniat vires, nostroque senatu  
 “ Plebescat Natura minor, totiensque subacta  
 “ Legibus imperii nostri, mutire<sup>2</sup> valebit  
 “ Amplius, et nostris subducere colla catenis ?  
 “ Proh pudor ! incestus aberit, regnante pudore ?  
 “ Languescet<sup>3</sup> facinus mundum pietate regente ?  
 “ Cedet avaritia, si munera fundat ubique  
 “ Hostis avaritiæ ? fraudis<sup>4</sup> censura silebit,  
 “ Regna tenente fide ? feret ira<sup>5</sup> silentia pacis ?  
 “ Jus nostrum pax subripiet ? quod tempore tanto  
 “ Defendens nobis præscriptio vindicat ?<sup>6</sup> Usus  
 “ Confert ? et justo titulo collata tuetur ?  
 “ Sed pudeat nos jura sequi, quas vivere juste  
 “ Non decet, aut precibus uti, pro legibus ergo  
 “ Sumendæ vires, vis pro virtute feratur.  
 “ Nos pro jure decet assumere robur, et armis  
 “ Res dictare novas, et sanguine scribere leges.  
 “ In nos maturas ævo, bellicque potentes,  
 “ In numero plures, majores viribus, unum<sup>7</sup>  
 “ Expertem belli puerum, virtute minorem,  
 “ Armavit Natura parens ;<sup>8</sup> sic sævit in ursum  
 “ Hinnulus, in quercus armatur virgula, vallis  
 “ In montes, lepus in catulos, in tigrida damæ.  
 “ Si forti fortem, clavoque retundere clavum  
 “ Vellemus ; nunquid uni concludere posset

<sup>1</sup> *servare*, A.<sup>2</sup> *mutare*, B.<sup>3</sup> *Languescit*, A.<sup>4</sup> *fraudum*, A.<sup>5</sup> *illa*, A.<sup>6</sup> *vindicat*, B.<sup>7</sup> *unde*, A.<sup>8</sup> *potens*, B.

" E nostris unus, primo quem fovit<sup>1</sup> ab ævo  
 " Tisiphone? quem lacte suo potavit Erinnyes?  
 " Numquid Sylla<sup>2</sup> novus, alter Nero, vertere<sup>3</sup> posset  
 " Leges? antiquos rursus renovare furores  
 " Rufinus? Catilina novus pervertere mundum?  
 " Sed melius gens nostra simul collecta novellos  
 " Naturæ teret<sup>4</sup> insultus, fastusque recentes  
 " Demittet, veteri reddens elata ruinæ.  
 " Ergo pari strepitu, concordi Marte, furore  
 " Æquali, lites et bella geramus in illum,<sup>5</sup>  
 " Qui solus, puer, et belli male conscius, in nos  
 " Armatur, cedrosque cupit delere myrica."

## CAP. V.

His dictis plebs tota suos clamore fatetur  
 Assensus, dominamque sequi quocunque feratur  
 Spondet, et ad votum confestim facta sequuntur.  
 Prima sitit bellum Discordia, prima tumultus  
 Appetit, et primum<sup>6</sup> præludia Martis inire  
 Præparat; assistunt famuli, complentque jubentis  
 Præceptum, dominæque parant insignia belli.  
 Livor equos, Rabies currus, Furor arma ministrat.  
 Impetus auriga, Lis armiger, Ira manipulus  
 Prævenit incessum dominæ; sed terror euntis  
 Assistit dextro lateri,<sup>7</sup> damnumque sinistro  
 Hæret, defectus sequitur, mors ultima gressus  
 Arripit occiduos, et mortis sidus Achates  
 Pallor, et assiduo cædes comitata dolore.  
 Hos comites trahit ad pugnam Discordia, cunctos  
 Excitat, et sociis infundit Martis amorem.  
 Sed post<sup>8</sup> arma rapit,<sup>9</sup> humili de plebe creata

<sup>1</sup> *fudit*, A.<sup>2</sup> *Scilla*, A.<sup>3</sup> *vincere*, A.<sup>4</sup> *tepet*, A.<sup>5</sup> *in ipsum*, A.<sup>6</sup> *primi*, B.<sup>7</sup> *lateri dextro*, B.<sup>8</sup> *Post hoc arma*, A. B.<sup>9</sup> *capit*,<sup>a</sup> A.

Pauperies, facie dejecta, et paupere cultu,  
 Incessu<sup>1</sup> tristi gradiens, sed prodiga vitæ,  
 Nec mortis concussa metu, nec fracta timore,<sup>2</sup>  
 Irruit, et, vendens in multo funere<sup>3</sup> vitam,  
 Plus audet, dum nescit inops pauperque timere.  
 It pedes innumera peditum vallante<sup>4</sup> corona,  
 Cujus in arma ruit plebeia turba cohortis,  
 Pœna,<sup>5</sup> Labor, Sitis, Esuries, Jejunia, Curæ.

Subsequitur vallata suis Infamia monstris.  
 Illius vexilla gerunt Contagia vitæ,  
 Factaque digna notis, et Vita notabilis actu.  
 Despectus comitatur eam, Pudor hæret eunti.  
 Serpit humi<sup>6</sup> Murmur, currunt Convicia, laudem  
 Fama per antiphrasim fundit, risumque cachinni.  
 Morbida,<sup>7</sup> mœsta, tremens, fragilis, longæva Senectus,  
 Innitens baculo, nec mentis robore firma,  
 Bella movet, bellique novo juvenescit in actu.<sup>8</sup>  
 Debilitas, Morbi, Languores, Tædia, Lapsus,  
 Illius comitantur iter; qui Martis amore  
 Succensi, pugna cupiunt<sup>9</sup> incidere<sup>10</sup> vitam.

Ardet in arma furens scisso velatus amictu  
 Luctus, et irrorans<sup>11</sup> lacrimis arat<sup>12</sup> unguibus ora.  
 Tristities, Pressura, Dolor, Lamenta,<sup>13</sup> Ruinæ,  
 Ejus in obsequium fervent,<sup>14</sup> dominique fatentur  
 Militiam, belloque calent cum rege ministri.

Martis in ardorem nativos excitat ignes  
 Ignea Luxuries, multo comitata<sup>15</sup> cliente.  
 Ejus in auxilium jurant Perjuria, spondet  
 Falsus Amor, Levitas animi, Lascivia<sup>16</sup> mendax,

<sup>1</sup> *Incestu*, B.

<sup>2</sup> This line is given from B. M.

<sup>3</sup> *fænore*, B.

<sup>4</sup> *vallata*, A. *vallente*, B.

<sup>5</sup> *Plena*, B.

<sup>6</sup> *ibi*, B. M.

<sup>7</sup> *Sorbida*, A.

<sup>8</sup> *æstu*, B. M.

<sup>9</sup> *capiunt*, A.

<sup>10</sup> *incendere*, A.

<sup>11</sup> *inrorans*, B.

<sup>12</sup> *erat*, B.

<sup>13</sup> *Lamenta*, *Dolor*, *Pressura*, A.

<sup>14</sup> *servent*, B.

<sup>15</sup> *comitante*, A.

<sup>16</sup> *Lacivia*, A.

Insipidus Dulcor, sapidus Dolor, ægra Voluntas,  
Prosperitas adversa, Jocus<sup>1</sup> lugubris, amara  
Gaudia, dives Paupertas, Opulentia pauper.

Post alios in bella furens, et pronus in arma,  
Sublimis<sup>2</sup> provectus equo, gestuque superbus,  
Excedens habitu, verboque superfluous, actu  
Degenerans, Excessus adest, bellique furorem  
Prævenit, et cunctis bellandi suggerit iras ;  
Quo duce signa gerit, et bellum voce minatur  
Ebrietas, Fastus, Jactantia, Crapula, Luxus.

#### CAP. VI.

Assiduus scelerum fomes<sup>3</sup> carnisque tyrannus,  
Peccati stimulus, delicti flamma, reatus  
Principium, prædo nostræ rationis et hostis,  
In tantam<sup>4</sup> pugnae rabiem bellique furores  
Currit, in auxilium cujus movet<sup>5</sup> arma Reatus,  
Velle malum, Calor illicitus, damnosa Voluntas.<sup>6</sup>

Stultitiam non turba minor, non rarior armat  
Conventus procerum ; comes est Ignavia, Ludi,  
Segnitias, Nugæ, Garritus, Otia, Somni.

Non minus Impietas sævit, multoque superba  
Milite, majori voto sitit arma, nec ullam  
Gaudet habere viam, nisi fusi<sup>7</sup> sanguinis unda.  
Ejus castra tenent, illumque fatentur in armis,  
Nequitiae, Strages, Facinus, Violentia, Clades.

In pharetris sua tela gerens, arcuque doloso,<sup>8</sup>  
Fraus armata fuit ; comes est Fallacia, duplex  
Calliditas, Dolus illiciens,<sup>9</sup> Versutia fallax.

Pejor Avaritiam comitatur turba clientum,  
Cura frequens, Usura vorax, turpisque Rapina ;

<sup>1</sup> *Locus*, B. M.

<sup>2</sup> *Sublimi*, B.

<sup>3</sup> *fomes scelerum*, A.

<sup>4</sup> *tantæ*, A.

<sup>5</sup> *sunt arma*, B.

<sup>6</sup> *Voluptas*, B.

<sup>7</sup> *fusa*, A.

<sup>8</sup> *dolosa*, A.

<sup>9</sup> *alliciens*, A.

Quæ vigili <sup>1</sup> cura, studiosa mente recenset,  
 Qui nummi <sup>2</sup> venantur <sup>3</sup> opes, quis segnis in arca  
 Pigritat, et nullos domino deservit in usus.

Hanc Ignobilitas sequitur, gressumque sequentis  
 Dedecus assequitur, hæret Dejectio, Verber <sup>4</sup>

Assidet, applaudit Angustia, Casus adhæret.

Quæ quamvis onerosa foret, dejecta, malignans,  
 Plus sibi concilians <sup>5</sup> Fortunæ matris amorem,<sup>6</sup>  
 Plusque placet matri, tantoque remissior alget  
 Nobilitatis amor; et jam mutare priora

Facta cupit Fortuna parens, prolique secundæ

Tota favet, temptatque prius decidere factum.

Nuntia Fama volat, et veris falsa maritans,

In superos furias, in cœlum regna silentum

Conspirasse <sup>7</sup> refert manes,<sup>8</sup> Erebi que tyrannum

Tartareum reserasse chaos, fratri que negare

Regna, nec ulterius pacem concedere mundo;

Monstraque mentitur, monstris majora loquendo,

Dum sceleri scelus accumulât, furiisque furorem

Addit, et Eumenides solito plus posse fatetur.

Tisiphones <sup>9</sup> cumulat iras,<sup>10</sup> augetque Megæram;

Sævior assurgit Pluto, fit major Erinnys,

Desinit esse triceps inferni janitor, ora

Mille capit, proprios Allecto duplicat angues.

Proposito stat fixa suo Natura, nec ullo

Concutitur vexata metu, sed mente timorem

Expugnat; crescit animus, bellicque voluntas

Surgit, et affectus virtutibus insidet idem.

Armatur cœlestis homo, superumque <sup>11</sup> beata

Progenies, quæ tanta novi discrimina Martis

Sola subit; dant arma viro, viresque ministrant

<sup>1</sup> *vili*, A.

<sup>2</sup> *nūm*, A.

<sup>3</sup> *venerentur opes*, A.

<sup>4</sup> *verbis*, A.

<sup>5</sup> *conciliat*, B.

<sup>6</sup> *honorem*, A.

<sup>7</sup> *Conspirare*, B.

<sup>8</sup> *manus*, A.

<sup>9</sup> *Tesiphones*, A. *Thesiphones*, B.

<sup>10</sup> *iramque*, A.

<sup>11</sup> *supernique*, B.

Virtutes, unumque<sup>1</sup> suis insignibus armant.<sup>2</sup>  
 Pax ocreas<sup>3</sup> donat, Probitas calcaria<sup>4</sup> confert,  
 Loricam Pietas, galeam Prudentia, telum  
 Vera Fides, ensem Ratio, Constantia scutum.  
 Spes largitur equos, Castus Timor addit habenas,  
 Armigeri gerit officium Concordia, præco  
 Fama canit, cumulatque<sup>5</sup> viri præconia laude.<sup>6</sup>  
 Militat a dextris Ratio, Constantia lævam  
 Assequitur partem, totamque Modestia plebem  
 Ordinât, et peditum strepitum Prudentia frænât.  
 Quælibet a simili virtus gerit arma, viroque  
 Jurat in auxilium;<sup>7</sup> quæ totum Martis honorem  
 Dat Juveni, cui bella movet Natura, suamque  
 Donat ei belli palmam,<sup>8</sup> pugnæque laborem.

## CAP. VII.

Jam pestes Erebi, scelerum contagia, monstra  
 Inferni, cives Plutonis, noctis alumni,  
 Tartareum chaos egressi funduntur in orbem;  
 Jamque diem nostrum multa caligine noctis  
 Involvunt, mundique<sup>9</sup> jubar delere laborant.  
 Insultus lux ipsa novos miratur, et ipsam  
 Noctem plus solito jam posse, magisque morari,  
 Nec proprias servare vices, nec cedere Phœbo.  
 Sed tamen hoc solo pensat sua damna, quod illic  
 Lux æterna manet, nullis decisa tenebris,<sup>10</sup>  
 Continuusque dies; ubi cœlicus ille senatus  
 Turmaque virtutum Naturæ militat agmen.  
 Jam se prospiciunt acies,<sup>11</sup> jam prospicit hostem  
 Hostis, et aspectus animos succendit in iras.

<sup>1</sup> *illumque*, B.<sup>2</sup> *ornant*, A.<sup>3</sup> *ocreat*, B.<sup>4</sup> *carcaria*, A.<sup>5</sup> *cumulantque*, A.<sup>6</sup> *laudes*, B.<sup>7</sup> *in auxilio*, A.<sup>8</sup> *palmam belli*, A. B.<sup>9</sup> *mendique*, B.<sup>10</sup> *latebris*, A.<sup>11</sup> *hostes*, B.

Ignescunt animi, mentes audacia major  
Erigit, exsurgunt iræ ; jam mente cohortes  
Se superant, animi jam mutua vulnera fingunt.  
Mens ardore prius pugnat quam dextera ferro,  
Impatiensque moræ vitiorum turba priores  
Arripit insultus pugnæ, primumque furorem  
Excitat, et magnis clamoribus intonat iras  
Tota cohors, verboque prius consurgit in hostem  
Quam ferro ; verbis bellum prælibat, et illi  
Gestu, voce, minis, insultat ; non<sup>1</sup> tamen illum  
Gestus, verba, minæ frangunt ; sed fixus in alto  
Mentis proposito Juvenis, constanter ad ista  
Erigitur ; vincitque metum constantia mentis.  
Sed postquam sua verba, minæ, gestusque vigoris  
Nil habuere, locum dant verba, nec amplius illis  
Est locus, immo minis factum succedit, et armis  
Cedunt verborum pugnæ : jam mystica bella  
Rem sapiunt, pugnas animi res ipsa fatetur.

---

<sup>1</sup> *nec tamen*, B. M.

## ANTICLAUDIANI

## DISTINCTIO NONA.



## CAP. I.

Jam pedites in bella ruunt, jam sanguinis audent <sup>1</sup>  
 Fundere primitias, jam libamenta cruoris  
 Prima dare affectant, primævaque funera <sup>2</sup> belli.  
 Pulveris insurgunt nebulæ,<sup>3</sup> novus imber inundat  
 In terris, dum tela pluunt, dum pulveris imber  
 Funditur, et cœlum telorum nubila velant,  
 Et ferri splendore novo nova fulgura lucent.  
 Mente calens, fervens animo,<sup>4</sup> flammata furore,  
 Prima viro movet <sup>5</sup> assultus Discordia, primum  
 Aggreditur Martem, primo casura tumultu.  
 Impetus urget equos, Lis suggerit arma, sagittam  
 Ira ministrat ei, Furor arcum præparat, ense  
 Livor, et ad pugnam reliquis ferventius ardet.  
 Ergo sagitta volat, prænuntia Martis, et hostem  
 Impetuosa petit, quam totis <sup>6</sup> viribus actam  
 Dirigit in Juvenem Discordia, nec tamen ictus  
 Dextræ mittenti respondet,<sup>7</sup> parma <sup>8</sup> sagittam  
 Respuit, et totos objectus umbo refellit.

---

<sup>1</sup> *audunt*, B.

<sup>2</sup> *vulnera*, B.

<sup>3</sup> *nubila*, A.

<sup>4</sup> *animo fervens*, A.

<sup>5</sup> *monet*, A. *innovet*, B.

<sup>6</sup> *totam*, B.

<sup>7</sup> *respondit*, B.

<sup>8</sup> *arma*, B.



Tunc animi vires, et totum robur, in unum  
 Colligit, et Marti se totum devovet ille.  
 Indulget fræno Juvenis,<sup>1</sup> calcaribus urget  
 Cornipedem, nec segnis, hebes,<sup>2</sup> pigredine<sup>3</sup> lassus,  
 Lentescit sonipes, sed eodem Martis amore  
 Militat, hostiles frangens cum milite turmas.  
 Adversas igitur partes invadit, et ipsis  
 Hostibus occurrens, vagina liberat ensem.  
 Nec<sup>4</sup> tonat ille minis, sed solo fulminat ense.  
 Ferro cuncta probat, nec verbis<sup>5</sup> disputat, immo  
 Verberibus, multisque modis concluditur hosti.  
 Excipit a reliquis illam, quæ prima furoris  
 Causa fuit, quæ prima dedit fomenta malorum.  
 Hanc igitur mucrone petens, a corpore vitam  
 Extorquet, cogitque mori, quam vivere mundo  
 Mors erat, et mundi mortem mors una retardat.  
 Non satis est vidisse mori, plus exigit hostis,  
 Ense metens caput a trunco diffibulat ora,  
 Et merito<sup>6</sup> caput a trunco discordat in illa,  
 Per quam lis, odium, rabies, dissensio, rixa  
 Prima fuit; per quam primo conflictus, et iræ,  
 Primævique metus, et belli prima cupido.  
 Ergo solo jacet exanimis, quæ reddidit olim  
 Exanimis alios; sed ea moriente suorum  
 Emoritur virtus, unius pœna redundat  
 In multos, morbus capitis decurrit<sup>7</sup> in omnes.  
 Jam timor ipse timet, lis subticet,<sup>8</sup> ira tepescit,  
 Mutescit<sup>9</sup> rabies, cadit impetus, occidit ipse  
 Livor, languescit odium, furor arma resignat.<sup>10</sup>  
 Adsunt Virtutes Juveni quæ, Martis eodem  
 Succensæ stimulo, reliquos armantur in hostes.

<sup>1</sup> *fræno Martis*, A. *ferro Juvenis*, B.

<sup>2</sup> *habes*, B.

<sup>3</sup> *pinguedine*, B.

<sup>4</sup> *Non*, A.

<sup>5</sup> *nec verbo*, A. *non verbis*, B.

<sup>6</sup> *Emerito*, A.

<sup>7</sup> *discurrit*, M. *descendit in arcus*, B.

<sup>8</sup> *subjacet*, A.

<sup>9</sup> *Mutescit*, B.

<sup>10</sup> *resignet*, B.

Hos perimunt, illosque fugant, bellatur in omnes.  
 Vera Fides Odium perimit, Concordia Litem,  
 Pax Iram, Rabiem Constantia, Spesque Timorem.

## CAP. II.

Non minor ad pugnam, sed major surgit in iras  
 Pauperies, non ense tumens,<sup>1</sup> non<sup>2</sup> fulgure teli  
 Bella minans, nulla loricae veste refulgens,  
 Nec clypeo munita latus, nec casside vultum;<sup>3</sup>  
 Sed nodis variis callosa, nec arte polita.  
 Sed vultus veteres retinens, primamque figuram  
 Clava vicem gerit armorum, sed quæ<sup>4</sup> minus arma  
 Dant, suppleant animi, dat mens, quod perdit in armis.  
 Pauperies ruit in Juvenem, clavaque minatur  
 Funera, librat eam, librata percutit; ictum  
 Ille stupet, tanto dum cassis<sup>5</sup> subsidet ictu.  
 Sed tamen instantis ictus Constantia partem  
 Eludit mucrone suo; magis ergo furore  
 Uritur, et magno strepitu bacchatur egestas,  
 Dum videt incassum clavam sævire, nec illam  
 Respondere sibi: tunc<sup>6</sup> ictus duplicat, immo  
 Multiplicat; sed clava suo nugatur in ictu.  
 Nam quotiens clavæ Paupertas objicit ictum,  
 Argumenta suo Virtus mucrone refellit.  
 Sed postquam sua bella videt nil posse, ministros  
 Acrius ad pugnam stimulat; Labor irruit, instat  
 Esuries, Sitis insultat, Jejunia pugnant.  
 Insurgunt vigiles Curæ, dant arma Labori  
 Gleba, lapis, fustes,<sup>7</sup> telum de stipite querno.<sup>8</sup>  
 Esuries armata rapit<sup>9</sup> carecta, ministrant

<sup>1</sup> *tonans*, A.<sup>2</sup> *sed*, A.<sup>3</sup> *frontem*, B.<sup>4</sup> *quod*, A. B.<sup>5</sup> *cassis dum*, B.<sup>6</sup> *tamen*, A.<sup>7</sup> *fustis*, B.<sup>8</sup> This and the two previous lines are omitted in A.<sup>9</sup> *capit*, A.

Tela siti, reliquæ paribus<sup>1</sup> bacchantur in armis.  
 Sed Juvenis prior occurrit, prior obviat hosti,  
 Pauperiem prior aggreditur, celerique<sup>2</sup> volatu  
 Cornipedis, pariterque suo conamine nitens,  
 Accumulat vires hastæ, qua dejicit illam,  
 Quæ terræ dejecta jacet; petit ergo jacentem;  
 Nec<sup>3</sup> tamen illius scrutatur viscera ferro,  
 Nec rotat ense caput, nec inebriat arma cruore,  
 Funere famoso dedignans claudere vitam  
 Hostis, et insigni læto pensare ruinam;  
 Sed conculcat eam, confundens ora jacentis,  
 Dejectamque solo pedibus triturat<sup>4</sup> equinis.  
 Cogitur ergo mori, jamdudum mortua mundo  
 Pauperies, nec mors animum prædatur in illa;  
 Sed potius mens una manet, languetque repressa  
 Mors a mente minor,<sup>5</sup> multumque diuque resistit  
 Mens morti, tandemque simul cum morte recedit,<sup>6</sup>  
 Dum sic in fatum concedit, juraque fati  
 Paupertas, proprium moriens<sup>7</sup> depauperat agmen.  
 Cæcus eget, qui dives erat, dum vixit egestas;  
 Ejus divitiæ pereunt, omnisque facultas  
 Pauperie pereunte perit: coguntur egere  
 Concives, quos illa prius ditavit egendo.  
 Languescit Labor, exhaustus,<sup>8</sup> Sitis effugit, arma  
 Dejicit Esuries, fugiunt Jejunia, Curæ  
 Depereunt; sic turba minor majore ruina  
 Deprimitur, populusque perit pereunte magistro.  
 Ergo quies pœnam, saties jejunia, curas  
 Pax fugat,<sup>9</sup> esuriem devincit copia, languet  
 Ubertate sitis, et victa carentia cedit.

<sup>1</sup> *partibus*, A.<sup>2</sup> *scelerique*, A.<sup>3</sup> *Non*, A.<sup>4</sup> *conculcat*, B.<sup>5</sup> *mens a morte minor*, B.<sup>6</sup> *recidit*, A.<sup>7</sup> *moriens miserum depauperat*, A.<sup>8</sup> *insultus*, A.<sup>9</sup> *fugit*, A.

## CAP. III.

Tunc comitum supplere volens, Infamia, casus,  
 Fortior assurgit, sociorum vendere mortem<sup>1</sup>  
 Temptat, et hostili leto satiare<sup>2</sup> dolorem.  
 Irruit in Juvenem, sed verbo prævenit ictum,  
 Et verbis acuens convicia: "Proh pudor!" inquit,  
 " Gens ævo, sensu, cautela, viribus, armis  
 " Pollens, unius Juvenis succumbet<sup>3</sup> inermi  
 " Militiæ? nostraque feret de gente triumphum  
 " Iste puer?" Nec plura loquens, delegat in illum  
 Telum, demonstrans facto quod<sup>4</sup> voce minatur.  
 Missile decurrens cum verbo verberat auram.  
 Nec vice legati pacem denuntiat, immo  
 Bella gerit, cursuque ruens Infamia telum  
 Insequitur, telo cursu contendit, et hostem  
 Ense petit, mucrone volens succurrere telo.  
 Ut si forte viri deludant arma sagittam,  
 Vel modica teli rabies desæviat ira,  
 Teli mucro furens argentes suppleat iras.  
 Ergo sagitta memor<sup>5</sup> dextræ quæ miserat illam,  
 Insilit in frontem Juvenis; sed cassis euntem  
 Sistit, eam retinet, gressum negat, obstat eunti.  
 Sed teli<sup>6</sup> supplere volens Infamia lapsum,  
 Succurrit telo, nudo mucrone; sed ictum  
 Excipit a galea medius favor, ensis ab ictu  
 Decidit, et comitis male supplet<sup>7</sup> damna sagittæ.  
 Sed postquam ducis<sup>8</sup> insultus nil posse clientum  
 Turba videt, magis in rabiem succenditur; ergo  
 Fortius arma rapit, pugnant Contagia, Murmur  
 Irruit, insurgunt Convicia, Dedecus instat.  
 Sed Juvenis nec mente jacet, nec frangitur hoste,

<sup>1</sup> *mortes*, A.<sup>2</sup> *sociare*, A.<sup>3</sup> *succumbit*, A.<sup>4</sup> *factoque*, A.<sup>5</sup> *mæror*, A.<sup>6</sup> *At teli*, B.<sup>7</sup> *et comitis supplet male*, A.<sup>8</sup> *dulcis*, A.

Nec terrore pavet, nec vulnere læsus oberrat ;  
 Sed cornu famosa suæ<sup>1</sup> præconia laudis  
 Intonat, ad tempus famæ subducit,<sup>2</sup> et hostem  
 Hoc mucrone ferit, vires in vulnere multo  
 Monstrat, et egressus cerebro<sup>3</sup> reseratur in ictu.  
 Hostis in occasu Pudor occidit, arma reponit  
 Murmur, mutescunt<sup>4</sup> Convicia, Dedecus iram  
 Nescit, Contemptus moritur, Contagia cedunt.  
 Dedecus ergo Favor extinguit, Fama Pudorem ;  
 Gloria supplantat Murmur, Convicia Laudes ;  
 Contemptum prædatur Honor, Contagia Virtus.

## CAP. IV.

Quamvis pigra foret, quamvis ignava,<sup>5</sup> Senectus,  
 Quamvis delirans, quamvis torpore<sup>6</sup> fatiscens,  
 Pro Natura<sup>7</sup> calet in bello, juvenescit in armis,  
 Nec baculi jam quærit opem, suffulta furore,<sup>8</sup>  
 Nec regimen poscit, quæ sustentatur ab ira.  
 Debilitate potens, morbo robusta, dolore  
 Dives, segnitie fortis, pinguedine<sup>9</sup> prompta.  
 Ergo propinqua neci, morti vicina, propinqua,<sup>10</sup>  
 Florida canitie, rugis sulcata, Senectus  
 Oppositum ruit in Juvenem, nec primitus instat  
 Ense, nec aggreditur telo,<sup>11</sup> nec cuspide pulsat ;  
 Sed quadam luctæ specie conatur ut illum  
 In terram demittat,<sup>12</sup> equum subducat, et armis  
 Exutum liber gladius grassetur in hostem.  
 Sed monitu calcaris equus succensus, in illam  
 Irruit, et miseram terræ<sup>13</sup> deponit ; at illa

<sup>1</sup> cornu quod fama suæ, A. - quo  
 fama suæ, B.

<sup>2</sup> subducit, M.

<sup>3</sup> cerebri, B.

<sup>4</sup> mutescunt, B.

<sup>5</sup> longæva, A.

<sup>6</sup> corpore, A.

<sup>7</sup> Prona tamen, B. M.

<sup>8</sup> furorem, A.

<sup>9</sup> pigredine, B. M.

<sup>10</sup> propinqua, B.

<sup>11</sup> ferro, B.

<sup>12</sup> dimittat, A.

<sup>13</sup> terræ miseram, A.

Exurgens vires pariter cum mente resumit.  
 Vertit ad arma manus, et spem<sup>1</sup> deponit in armis;  
 Sed cassis torpore jacet, squalore senescit,  
 Atque situ scabræ morsum rubiginis horret.  
 Parma suum multa rubigine computat ævum,  
 Nec vetat ingressum nudata crate sagittis.  
 Loricæ fragiles mordens rubigo catenas  
 Dissuit, et junctis addit divortia squamis;  
 Pigritat affixus vaginæ mucro, nec extra  
 De facili prodit, longo torpore quiescens.  
 Quem Senium nudare parat, sed degener ensis  
 Respuit egressus istos, dextræque monenti  
 Denegat obsequium, malens torpore quietis  
 Uti, quam varios belli sentire tumultus.  
 Sed tamen a loculo tandem producit ensis,  
 Segnis, hebes, squalore jacens, nec jam memor iræ  
 Bellorum, pacemque magis quam tela<sup>2</sup> requirit  
 Hic mucro, si mucro tamen de jure vocari  
 Debeat hic gladius, et non mucronis imago.  
 Impetit ergo virum gladio munita Senectus;  
 Vulnus ab ense petit, sed vulneris immemor ensis  
 Incassum pulsans aditus ad vulnera nescit;  
 Sed stupet ad galeam vario<sup>3</sup> delirus in ictu.  
 Ergo Senecta videns proprium nil posse furorem,  
 Miratur, seseque dolet sine vulnere vinci,  
 Et quamvis esset morti vicina, propinquam<sup>4</sup>  
 Maturare volens, hostis sibi provocat ensem.  
 Sed Juvenis miseratus eam, nec digna rependens  
 Hosti pro meritis nolenti vivere vitam  
 Concedit, fatumque negat sua fata volenti.  
 Sistit equum, frenum retinet, sermone Senectam  
 Aggrediens, animosque truces et vota<sup>5</sup> retardans,  
 Prodit in hæc: "Cur fata paras? cui proxima fatur

---

<sup>1</sup> *spiritus*, A.

<sup>2</sup> *bella*, B.

<sup>3</sup> *varius*, B.

<sup>4</sup> *propinqua*, M.

<sup>5</sup> *vita*, A.

“ Mors finem? cui vita mori, cui vivere fatum,  
 “ Cur quæris tibi concessum? cur pascis<sup>1</sup> inepte,  
 “ Quod Natura parat? quod mors vicina minatur?  
 “ Utere quæ<sup>2</sup> restat vita, nec quære propinquos  
 “ Anticipare dies; vitæ compendia mortem  
 “ Solentur, mortis dispendia vita repenset.”<sup>3</sup>  
 Ergo victa fugit, belloque renuntiat, ense<sup>4</sup>  
 Dejicit, expellit clypeum, galeamque Senectus  
 Exuit, et solo baculo contenta<sup>5</sup> recedit.  
 Debilitas perdit vires, belloque recedens  
 Languescit Morbus, Languor fit morbidus, hærent  
 Lapsus, labuntur Defectus, Tædia languent.

## CAP. V.

Jam comites errare videns et cedere pugnæ,  
 Fletus adest,<sup>6</sup> matremque<sup>7</sup> suam succumbere bello  
 Luget, et abscisso mœret<sup>8</sup> velamine Luctus,  
 Utque erat impatiens, gressum maturat, et hostem  
 Impetuosus adit, galeæque resolvere nodos  
 Temptat, ut ad vulnus ingressum præparet ensi.  
 Sed Risus succurrit ei,<sup>9</sup> mucrone lacertum  
 Dissuit a trunco, galeæ manus hæsitat, hærens  
 Emoritur, proprioque stupet privata vigore.  
 Jam Gemitus sua damna gemit, jam Luctus inundans  
 Assumit sibi se, Fletus lacrimatur, et omnis  
 Turba comes, mœret Planctus, Lacrimæque madescunt.  
 Jam Dolor ipse dolet, perdens fomenta doloris,  
 Deprimitur Pressura, cadunt Lamenta, Ruinæ  
 Depereunt, omnisque perit violentia Luctus.  
 Gaudia Tristitiem, Pressuram Gloria, Planctum

<sup>1</sup> pascit, B.<sup>2</sup> Vertere quem, A.<sup>3</sup> repensat, A.<sup>4</sup> Hic victa fugit. Rubric in A.<sup>5</sup> contempta, A.<sup>6</sup> Letus adest, B.<sup>7</sup> partemque, B.<sup>8</sup> luget, B.<sup>9</sup> succurrit ad hæc, B. M.

Prosperitas, Lamenta Jocus, Felicia Casum<sup>1</sup>  
 Exsuperant, vincitque Mali fastidia Risus.

At Venus ipsa furit, cui fortior ira, nefasque  
 Majus, et insultus pejor, graviorque potestas.  
 Dum comitum languere manus, rarescere pugnam  
 Luget, et hostiles animoque manuque catervas  
 Crescere; jamque suos dolet exspirare furores.  
 Ignitam tamen ipsa<sup>2</sup> facem, quæ fulminis ipsam  
 Metitur speciem, quæ saxa resolvere, cautes  
 Extenuare solet, ferrum mollescere, rupes  
 Inflammare, rapit instanter, vibrat in hostem.  
 Has pugnas, hæc bella tremens, hæc prælia vitans  
 Exspectare timet Juvenis, fuga consultit illi,  
 Consilioque fugæ venientes effugit ictus.  
 Fax ignita cadit, exspirat in aere, vires  
 Amittit, dum nulla manent fomenta caloris.  
 Hic tamen a tergo Parthorum more sagittam  
 Dirigit in Venerem; nec fallitur illa, sed ictum  
 Primo proponit, assumit<sup>3</sup> vulnus, et inde  
 Mortem concludit; nec ad hæc instare Libido  
 Argumenta potest, dum sic concluditur illi.  
 Sic Juveni sub Marte novo nova laurea cedit.  
 Dum fugit ergo, fugat; dum cedit, ceditur illi;  
 Dum cadit, erigitur; vincit, dum vincitur; audet,  
 Dum timet; expugnat, dum pugnam deserit, absens,  
 Instat, et in bello præventus prævenit hostem.  
 Dum moritur, sua fata<sup>4</sup> stupet Cytheræa, nec ipsam  
 Credit adesse necem, quamvis mors ipsa loquatur.  
 Cum per eam soleant alii succumbere leto,  
 Vix credit se posse mori; sed proxima tandem  
 Fata videns, prorumpit in has moritura<sup>5</sup> querelas:  
 "Heu! totiens<sup>6</sup> victrix uno delirat in actu<sup>7</sup>  
 "Nostra manus! totiens vincens nunc victa fatiscit;<sup>8</sup>

<sup>1</sup> *Casus*, A.

<sup>2</sup> *illa*, B. M.

<sup>3</sup> *Postponit, et assumit*, A.

<sup>4</sup> *sua facta*, M.

<sup>5</sup> *rediviva*, B.

<sup>6</sup> *quotiens*, B.

<sup>7</sup> *in ictu*, B.

<sup>8</sup> *fatescit*, A.



“ Quæ falli nescit, quam nec Fortuna<sup>1</sup> fefellit!  
 “ Nunc alget meus, ille meus calor, immo ca minus,  
 “ Qui solis flammâs urit, succendit in undis  
 “ Neptunum, Bacchum bacchari cogit, et ipsum  
 “ Fulminat igne Jovem, superis furatur honorem  
 “ Numinis, et multos cogit servîre potentes.  
 “ Nunc mea tela jacent, quibus olim victus Achilles  
 “ Cessit degeneri mentitus veste puellam;  
 “ Inque colum clavam vertens, in pensa sagittas,  
 “ In fusum pharetras, Alcides, degener armis,  
 “ Totus femineos male degeneravit in actus.”  
 Hæc ait, et vitam pariter cum voce reliquit.

## CAP. VI.

Jam timet Excessus, jam bello cedere<sup>2</sup> quærit,  
 Jam mens alta cadit, jam mente<sup>3</sup> decidit ardor;  
 Dum comitis videt occasum, quæ maxima belli  
 Pars erat, et prima<sup>4</sup> totius Martis origo.  
 Hasta tamen vibrata volat, sed deviat hostem,  
 Dum petit hæc; mittensque manus male consulit illi  
 Quæ, male dum regitur, errans declinat ab hoste,  
 Nec saltem clypei partem prælibat eundo.  
 Tunc Juveni delegat opem Moderantia; ferrum  
 Nudat, et hostilem turbat frangitque catervam.  
 Pugnat in Excessum Moderantia, sobria Fastum  
 Aggreditur Ratio, Pœnam Tolerantia, Luxum  
 Sobrietas; sed pugna favet virtutibus, harum  
 Defendit partem Victoria; vincitur ergo  
 Fastus, Luxus abit, cessat Gula, Crapula cedit.  
 Tunc Carnis Stimulus<sup>5</sup> furtivo Marte reluctans  
 Impetit a tergo Juvenem, temptatque latenter  
 Insultare viro; tamen istos provida sentit

<sup>1</sup> *quæ nunc Fortuna*, B. *nec quam*,  
 M.  
<sup>2</sup> *reddere*, B.  
<sup>3</sup> *mentis*, B.

<sup>4</sup> *primo*, B.  
<sup>5</sup> *Stimulus Carnis diu luctans sub*  
*... cuit.* Rubric in A.

Insultus Ratio, nec torpet pigra, sed illi  
 Obviat, indomitum retinet, sistitque furentem.  
 Sed tamen ille diu Rationis viribus obstans,  
 Ex æquo contendit ei,<sup>1</sup> multumque repugnat  
 Luctans, et tandem victus submittitur hosti.

Acrius in pugnam volat Imprudentia; nullam  
 Bellandi servat legem, sed turbine belli  
 Turbida, nil animo retinet<sup>2</sup> nisi Martis amorem.  
 Mole sua fixum summa de rupe molarem  
 Extorquere cupit, sub quo nutaret<sup>3</sup> Achilles,  
 Alcides gemeret, totusque fatisceret Athlas.  
 Sed vires<sup>4</sup> oneri cedunt, et pondere victa  
 Vis hebet, atque gravem patitur sub mole ruinam.  
 Obstat ei Phronesis, et jam sub pondere victam  
 Vincit, et invitam feriari cogit ab armis.  
 Segnitiam superat Solertia, Seria Ludum,  
 Utilitas Damnum, Studium fugat Otia, Sensus  
 Stultitiam damnat, Nugasque Silentia vincunt.

## CAP. VII.

Non<sup>5</sup> ultra retinet<sup>6</sup> iras mentisque tumultus  
 Impietas, sese bellando prædicat, et se  
 Rixando loquitur, verbis rixatur, et ictu  
 Consummat<sup>7</sup> rixas; probat ense quod ore fatetur.  
 Errat in errore Martis, bellique furore  
 Plus furit, inque via Martis fit devia, legem  
 Bellandi sine lege tenens, sine foedere foedus.  
 Dum minus in vulnus desævīt mucro, securim  
 Arripit, ut redimat gladii delicta securi.<sup>8</sup>  
 Ergo virum ferit, et vires consumit in illo.

<sup>1</sup> *Ex æquo condit illi*, M.

<sup>2</sup> *retinens*, B.

<sup>3</sup> *mutaret*, B.

<sup>4</sup> *Si vires*, A.

<sup>5</sup> *Accidia, vel stultitia*. Rubric in  
 B.

<sup>6</sup> *retinens*, A.

<sup>7</sup> *Consumit*, A. B.

<sup>8</sup> *securis*, B.

Sed Juvenis stat securus sub mole securis.  
 Assistens Pietas ferro non militat, immo  
 Blanditiis precibusque cupit mollescere bellum.  
 Sed tamen imbre precum gravius succenditur ardor  
 Bellandi, donantque preces fomenta furori.<sup>1</sup>  
 Sed postquam nil blanditiæ, nil verba favoris,  
 Nil valere preces; Pietas mellita resignat  
 Verba, rapit ferrum, bellumque repellere<sup>2</sup> bello  
 Incipit, et ferrum ferro, fallitque securim  
 Objectu clypei, variosque reverberat ictus.  
 Sed tandem proprio devicta labore, fatiscit  
 Impietas, Marti cedens, sine Marte subacta.

Quæ restat? Fraus sola sibi solatia pugnae  
 Quærit, et ad veteres latebras<sup>3</sup> fraudesque recurrit.  
 Degeneri pugna, servili Marte, doloso  
 Insultu, belli furias molitur in hostem;  
 Blanditiis, non blanda tamen, Fraus allicit illum.  
 Has ergo<sup>4</sup> vomit illa preces, et dulcibus afflat  
 Verbis, et phaleris dictorum palliat artem.  
 " O Juvenis, cui terra favet, cui militat<sup>5</sup> æther,  
 " Cui Deus arridet, cælum famulatur, et omnis  
 " Applaudit mundus, et totus supplicat orbis;  
 " Reliquiis belli, quæ vix et forte supersunt,  
 " Parce, nec in victos desæviat ira leonis.  
 " Vincere cur<sup>6</sup> victos temptas? cur bella movere  
 " Quæris in imbelles? satis est potuisse, nec ultra  
 " Nobilitas animi quærat nisi vincere posse."

Dum blandis precibus mentitur verba precantis,  
 Evocat occulte<sup>7</sup> gladium, maturius ensem  
 Nudat, et ingeminans ictus, ad vulnera ferrum  
 Invitat; sed cassis ad hoc contendit, et ensem  
 Spernit, nec<sup>8</sup> tali dignatur cedere ferro.

<sup>1</sup> donatque precum fomenta furorum, A.

<sup>2</sup> refellere, A.

<sup>3</sup> latebras veteres, A.

<sup>4</sup> igitur, B.

<sup>5</sup> et militat, B.

<sup>6</sup> quid, B.

<sup>7</sup> o stulte, A.

<sup>8</sup> vero, B.

Econtra gerit arma Fides, Fraudisque refellit  
 Insidias, nudatque dolos, et furta revelat.  
 Sed postquam nil posse dolos et pallia fraudis  
 Fraus videt, exit bella, fugæ committitur, arma  
 Exuit, et partem vitæ lucratur<sup>1</sup> eundo.<sup>2</sup>

## CAP. VIII.

Restat Avaritiæ strepitus, cui tota furoris  
 Incumbit rabies, tantique pericula Martis  
 Solus habet, solusque furit, se pluribus offert<sup>3</sup>  
 Unus, et in solo spem<sup>4</sup> desperatio gignit.  
 Spicula quæ multus argenti fulgor<sup>5</sup> inignit,  
 In Juvenem vibrat, et ad instar<sup>6</sup> grandinis instant  
 Tela, pluunt hastæ, nubemque sagitta figurat.  
 Ergo telorum silvam pluresque sagittas  
 Plantat in hostili clypeo, vestitque sagittis  
 Pestis Avaritiæ; sed telum parcius intrat  
 Scutum, nec clypeo sua spicula firmiter hærent.  
 Sed Virtus quæ dona pluit, quæ munera spargit,  
 Nec sepelit nummos, nec opes incarcerat arca,  
 Sed bene divitias fundit, sine spe redeundi,  
 Telorum nemus ense secat,<sup>7</sup> silvamque rescindit.<sup>8</sup>  
 Instat Avaritiæ, pugnat constanter, et ense  
 Quem tenet illa, rapit; armis hostilibus hostem<sup>9</sup>  
 Vincit, et in dominam cogit servire<sup>10</sup> sagittas.  
 Ergo victa fugit; <sup>11</sup> stat pugnae sola superstes  
 Filia Fortunæ; sed eam Fortuna repellit  
 A bello, natamque monet ne bella movere  
 Intestina velit, ne rixam nata parenti  
 Misceat, aut pugnam moveat germana sorori.

<sup>1</sup> *et vitæ partem lucratur*, A.

<sup>2</sup> *Hic furit vix vivens*. Rubric in  
 A.

<sup>3</sup> *aufert*, A.

<sup>4</sup> *spiritus*, A.

<sup>5</sup> *splendor*, A.

<sup>6</sup> *adinstat*, A. *atque instar*, M.

<sup>7</sup> *necat*, B.

<sup>8</sup> *recidit*, B. M.

<sup>9</sup> *ensem*, A.

<sup>10</sup> *savire*, B. M.

<sup>11</sup> *Hic victa fugit casu Fortunæ*  
*Avaritiæ*. Rubric in A.

Ergo consilio matris concordat, et hostem  
Deserit, ignorans cui justius<sup>1</sup> arma movere  
Possit, sic neutri cedens, famulatur utrique.

Jam scelerum superata cohors, in regna silentum  
Arma refert, et se victam miratur, et illud  
Quod patitur vix esse putat; nec creditur illi  
Quod videt, et Stygias fugit indignata sub umbras.<sup>2</sup>  
Pugna cadit, cedit Juveni Victoria, surgit  
Virtus, succumbit Vitium, Natura triumphat.  
Regnat Amor, nusquam Discordia, Fœdus ubique.  
Nam regnum mundi legum moderatur habenis  
Ille beatus homo, quem non lascivia frangit,  
Non superat fastus, facinus non inquinat, urget  
Luxuriæ stimulus, fraudis non inficit error.  
In terris jam castra locant, et regna merentur  
Virtutes, mundumque regunt, nec jam magis illis  
Astra placent, sedesque poli, quam terreus<sup>3</sup> orbis.  
Jam cœlo contendit humus, jam terra nitorem  
Induit æthereum, jam terram vestit Olympus.  
Nec jam corrigitur rastro, nec vomere campus  
Læditur, aut curvi deplorat vulnus aratri;  
Ut tellus avido quamvis invita colono  
Pareat,<sup>4</sup> et semen multo cum<sup>5</sup> fœnore reddat.  
Non arbor cultum quærit, non vinea falcem;  
Sed fructus dat sponte novos, et vota coloni  
Fertilitate premit; spes vincitur ubere fructu,<sup>6</sup>  
Gratis poma parit<sup>7</sup> arbor, vitisque racemos,  
Et sine se natas miratur pampinus uvas;  
Et tunicis egressa suis rosa purpurat hortos,  
Nec spinam matrem redolet, sed sponte creata  
Pullulat, atque novos sine semine prodit in ortus.  
Sic flores alii rident, varioque colore  
Depingit terram florum primæva juvenus.

<sup>1</sup> *rectius*, A.

<sup>2</sup> *per umbras*, B.

<sup>3</sup> *terrenus*, M.

<sup>4</sup> *Parcat*, B. ?

<sup>5</sup> *cum multo*, A. B.

<sup>6</sup> *fructus*, A.

<sup>7</sup> *gerit*, B.

## CAP. IX.

O mihi continuo multum<sup>1</sup> sudata labore  
 Pagina, cujus adhuc minuit detractio famam,  
 Vive, nec antiquos temptes æquare poetas,  
 Sed potius veterum vestigia semper adorans  
 Subsequere, et lauris<sup>2</sup> humiles<sup>3</sup> submitte myricas.  
 Jam ratis, evadens Scyllam monstrumque Charybdis,  
 Ad portus<sup>4</sup> tranquilla meat, jam littore gaudet  
 Navita, jam metam cursor tenet, anchora portum ;  
 Nauta tamen tremebundus adhuc<sup>5</sup> post æquoris æstum  
 Terrenos timet insultus ; ne, tutus in undis,  
 Naufragus in terra<sup>6</sup> pereat ; ne livor in illum  
 Sæviat, aut morsus detractio figat in illo,  
 Qui jam scribendi studium pondusque laboris  
 Exhaustit, proprio concludens fine laborem.  
 Si tamen ad præsens fundit sua murmura livor,  
 Et famam delere cupit, laudesque poetæ  
 Supplantare novas, saltem post fata silebit.

*Explicit liber Anticlaudianus.*<sup>7</sup>

<sup>1</sup> *multo*, A.

<sup>2</sup> *Subsequere lauris*, B.

<sup>3</sup> *veteres*, A.

<sup>4</sup> *Ad portum*, A.

<sup>5</sup> *ad hoc*, B.

<sup>6</sup> *in terris*, B.

<sup>7</sup> This is the conclusion of the poem in A. and B. Migne gives the additional lines which follow, which I have found in none of the MSS. that I have consulted :—

A DEO SEMPER INCIPIENDUM

ET

IN EUNDEM DESINENDUM.

At quicumque Deum supplex affatur, ab illo  
 Incipiat, versoque in eundem fine, quiescat.  
 Multa quidem huic studio subeunt meditanda, jacentem  
 Tollere quæ possint hinc ad cœlestia mentem:  
 Contemplator uti ex nihilo Deus omnia quondam  
 Protulerit, quæ vis, sapientia quanta, quis ardor  
 Artificis, quantum emineant, quantumque nitescant:  
 Omnia ne vero tantum admirere creata,  
 Usque Creatorem ut non mente animoque sequaris.

[*Continuation of foot-note.*]

Ergo sub obtutum veniant quæcunque leguntur  
 Lumine, ne quid iners proprio et sine munere degat.  
 Namque oculis multa occurrunt, quæ pabula cunctis  
 Sensibus indulgent. Terræ decor, ætheris ardor,  
 Undarum liquor, et vasti per inane meatus,  
 Tum cæli decus, atque ingentis lumina mundi  
 Sidera ; dein oculorum et mentis acumine cæli  
 Ambitus insinuet sese, vertigine cujus  
 Vallantur quæ corpus habent, tum cardinis ille  
 Impetus, assiduo qui summa volumine torquet.  
 Mox extremi orbes, totumque sub axe corusco  
 Perpendatur opus, motusque, ortusque, obitusque  
 Astrorum, variæque vices, annique recursus,  
 Terrenis quantum faveant cœlestia, quali  
 Audiat obsequio cœlestibus infima moles.  
 Ut lunæ quæcunque globo subjecta ferantur  
 Ordine nascendi, senioque absumpta fatiscant,  
 Præscriptoque nihil naturæ ab limite cedat.  
 Hinc quoque uti liqueat, quali furor incitet œstro  
 Pectora, quæ perhibent homini famularier astra ;  
 Nec mundum ratione regi, sed ab impete verti  
 Fortunæ, varioque angi mortalia casu.  
 Nunc tamen haud locus hæc abstrusaque semina rerum  
 Scrutari, actæa toties discussa sub umbra :  
 Ipsa sed a doctis jam vestigata sagaci  
 Ingenio, et jam scita, animo quærantur acuto :  
 Indoctis quantum indulget sua cuique Minerva,  
 Queis opere in tanto non desudare licebit.  
 Quippe rudeis crebro divina potentia mirum  
 Edocet, ut porro edoceant arcana professos ;  
 Qui gnari tamen, atque insignes munere tanto  
 Longius anteirent, summi cum gratia Patris  
 Excolat ingenium, non destruat, aut male vertat.  
 Ast hominum genus ancipitem speculantibus offert  
 Materiam ; hinc animus divinæ conscius auræ,  
 Inde omni ratione carens, consorsque ferarum  
 Sensus adest, qui sæpe alto nos fraudat Olympo.  
 Id quoque succurrit volvendum sæpius, ut cum  
 Nos rerum in medio ceu mundi vincla locarit  
 Maximus ille Opifex ; quanta ratione cavendum est,  
 Ne genius stet noster iners, quantoque labore  
 Nos opus eniti, e superis quando ultima nobis  
 Est statio ; tum quo pugnanda sit ordine pugna,  
 Cum supra infraque inter se contraria bellent.  
 Quove modo est cuivis curandum, ut se intus ad unguem  
 Noscat, et ignaræ frangat conamina mentis ;  
 Quandoquidem quid de extremis tenet, imminet ingens

[*Continuation of foot-note.*]

Discrimen, ne dum alterius se credit amori,  
 Vergat in alterius partem, et ratione relicta  
 Sensibus obstrictus miser obmutescat, ut unde  
 Venerit ignoret, et quo properare necesse est.  
 At quæ homine inferiora animo meditanda ministrant,  
 Ut quæ se innumeris virtutibus inclyta tollunt,  
 Usque adeo servant vireis, quas intulit auctor,  
 Cum mens casta alios, alios vis acrior, illos  
 Aut animus sapiens, aut pulchra modestia tollat.  
 Quæ cuncta, ut proprium mortalibus inderet ignem,  
 Et Deus et genitor magna pius extudit arte.

His animadversis mens sese accinget ad illa  
 Quæ minime fiunt, sed sunt, velut ipsa Platonis  
 Verba canunt; jamque a sensu nihil expetet, ipsas  
 Naturas rerum expendens, speciesque; deinde  
 Angelicos pervecta gradus, ascendet Olympum;  
 Nec mortale tuens, sed jam divinitus atra  
 Nube procul pulsa radiant; et lumine cernet,  
 Effectusque pii læta inspectabit amoris.

Tum circumspiciens, supera infera cuncta videbit  
 Collaudare Deum, atque illi bona cuncta referre;  
 Præcipue si quæque oculis obnoxia nostris  
 Ingenio, fideique acie lustraverit acri.  
 Nam veluti sphaera cœli et rerum generantium,  
 Sic chorus ille sacer, manesque a morte redempti  
 Sunt quasi materie immunis, non visilis orbis.

Quæ si cuncta simul animo comprehensa Tonanti  
 Æquipares, nil prorsus erunt: per se integer ille,  
 Pars idem, totusque idem, pars semper ubique,  
 Semper totus ubique, carens ortuque obituque.  
 Horum nil teres est, proprio nil robore constat.  
 In nihilum jam cuncta ruant, si maximus ille  
 Arbiter arcani fluxum neget ire vigoris.

Hinc spectare licet vireisque, animumque, piamque  
 Artificis mentem; quamquam inferiore sub orbe  
 Vis viget, in supero sapientia fulget, et ardet  
 Lux in supremo, bonitasque in quolibet horum:  
 Cuncta tamen meditari, et in omnibus omnia fas est.



## ALANI LIBER

DE PLANCTU NATURÆ.<sup>1</sup>*Metrum primum.*

In lacrimas<sup>2</sup> risus, in luctus<sup>3</sup> gaudia verto,  
 In planctum plausus, in lacrimosa jocos,  
 Cum sua Naturæ video decreta silere,  
 Cum Veneris monstro naufraga turba perit;  
 Cum Venus in Venerem pugnans illos facit illas;  
 Cumque suos magica devirat arte viros.  
 Non fraus tristitiam, non fraudis fletus, adulter,  
 Non dolus, immo dolor, parturit, immo parit.  
 Musa rogat, dolor ipse jubet, Natura precatur  
 Ut donem flendo flebile carmen eis.  
 Heu! quod Naturæ successit gratia morum  
 Forma, pudicitiae norma, pudoris amor!  
 Flet Natura, silent mores, proscribitur omnis  
 Orphanus a veteri nobilitate pudor.  
 Activi generis sexus se turpiter horret  
 Sic in passivum degenerare genus.  
 Femina vir factus, sexus denigrat honorem,  
 Ars magicæ Veneris hermaphroditat eum.  
 Prædicat et subjicit, fit duplex terminus idem,  
 Grammaticæ leges ampliat ille nimis.

---

<sup>1</sup> *Incipit encheridion magistri Allani qui intitulum Planctus Naturæ, et primo de ipsius auctoris* conquestu lacrimabili. *Metrum primum.* Title in B.  
<sup>2</sup> *Ad lacrimas, A.*  
<sup>3</sup> *in fletum, M.*

Se negat esse virum, Naturæ factus in arte,  
 Barbarus; ars illi non placet, immo tropus.  
 Non tamen ista tropus poterit translatio dici;  
 In vitium melius ista figura cadit.  
 Hic nimis est logicus, per quem<sup>1</sup> conversio<sup>2</sup> simplex  
 Artis naturæ jura perire facit.  
 Cudit in incudem<sup>3</sup> quæ semina nulla monetat,  
 Torquet et incudem malleus ipse suam.  
 Nullam materiam matricis signat idea,  
 Sed magis et sterili litore vomer arat.  
 Sic pede dactilico Veneris male iambicat usque<sup>4</sup>  
 In quo non patitur syllaba longa brevem.  
 Quamvis femineæ speciei supplicet<sup>5</sup> omnis  
 Forma viri, semper hujus honore minor.  
 Quamvis Tyndaridi vultus famuletur, Adonis  
 Narcissique decor victus adoret eam;  
 Spernitur ipsa tamen, quamvis decor ipse peroret,  
 Et formæ deitas disputet esse deam.  
 Qua Jovis in dextra fulmen langueret, et omnis  
 Phœbi cessaret otia nervus agens.  
 Qua liber fieret servus, propriumque pudorem  
 Venderet Hippolytus,<sup>6</sup> hujus amore fruens.  
 Virginis in labiis cur basia tanta quiescunt,  
 Cum reditus in eis sumere nemo velit?  
 Quæ mihi pressa<sup>7</sup> semel mellirent oscula succo,  
 Quæ mellita darent mellis in ore favum.  
 Spiritus exiret ad basia, deditus ori  
 Totus, et in labiis luderet ipse sibi.  
 Ut dum sic moriar, in me defunctus, in illa  
 Felici vita perfruar, alter ego.  
 Non modo Tyndaridem Phrygius venatur adulter,<sup>8</sup>  
 Sed Paris in Paride monstra nefanda parit.

<sup>1</sup> quæ, B.

<sup>2</sup> conlisis, B.

<sup>3</sup> in incude, B. M.

<sup>4</sup> usus, B. male iambitur usus, M.

<sup>5</sup> supplicet speciei, B.

<sup>6</sup> Hippolytus pulcherrimus et castissimus fuit juvenis, atque amasius Veneris. Gloss in B.

<sup>7</sup> Queis impressa semel, B.

<sup>8</sup> i. Paris, de Phrygia. Gloss in B.

Non modo per rimas rimatur basia Thisbes  
 Pyramus,<sup>1</sup> huic<sup>2</sup> Veneris rimula nulla placet.  
 Non modo Pelides<sup>3</sup> mentitur virginis actus,  
 Ut sic virginibus se probet esse carum.<sup>4</sup>  
 Sed male Naturæ munus<sup>5</sup> pro munere donat,  
 Cum sexum lucri vendit amore suum.  
 In Genii templo tales anathema merentur,  
 Qui Genio decimas et sua jura negant.

*Prosa prima.*

Cum hæc elegiaca lamentabili ejulatione<sup>6</sup> crebrius recenserem, mulier ab impassibilis mundi<sup>7</sup> penitiori dilapsa palatio, ad me maturare<sup>8</sup> videbatur accessum; cujus crinis non mendicata luce, sed propria, scintillans, non similitudinarie<sup>9</sup> radiorum præsentans<sup>10</sup> effigiem, sed eorum claritate nativa naturam præveniens, in stellare corpus caput effigiabat puellæ; quam<sup>11</sup> duplex tricatura diffibulans, superna non deserens, terræ non dedignabatur osculo arridere. Quoddam vero lilioli tramitis spatium, sub obliquitate decussata,<sup>12</sup> crinis dividebat litigium, nec illa, inquam, obliquitas vultus detrimento præerat, sed decori. Crinale vero aureum<sup>13</sup> in legitimi ordinis choream, crinis aurum concilians,<sup>14</sup> vultum mirabatur invenisse conformem. Phantasie etenim coloris aurum consequentis utrumque paralogismum visui concludebat. Frons vero in amplam evagata planitiem,

<sup>1</sup> *Piramus, ardens in amore Thisbes, cum non ad eam corporalem potuit habere accessum, per strictam parietis rimam eam sæpius osculari.*  
 Gloss in B.

<sup>2</sup> *hujus, B.*

<sup>3</sup> *Pelides, i. Achilles, filius Pelei, satato per deos quod in bello occideretur Trojano, consilio matris sue sub custodia cujusdam militis regis existens, vestes induit virginales, ut ab omnibus mulier reputaretur. Sed tandem sic occultatus filiam regis*

*teniozem probans se esse virum.*  
 Gloss in B.

<sup>4</sup> *esse virum, B. M.*

<sup>5</sup> *nummis, B.*

<sup>6</sup> *modulatione, B. M.*

<sup>7</sup> *i. cæli. Gloss in B.*

<sup>8</sup> *i. festinare. Gloss in B.*

<sup>9</sup> *similitudine, B.*

<sup>10</sup> *repræsentans, B.*

<sup>11</sup> *quem, B. quod, M.*

<sup>12</sup> *cecusata, B. i. nemigata. Gloss in B.*

<sup>13</sup> *aurum, B.*

<sup>14</sup> *i. consocians. Gloss in B.*

lacteo liliata colore, lilio videbatur contendere. Supercilia vero, aureo stellata fulgore, non in pilorum evagantia silvam, nec in nimiam demissa pauperiem, inter utrumque medium<sup>1</sup> obtinebant. Oculorum vero serena placiditas, amica blandiens claritate, gemelli præferabat sideris novitatem. Naris utraque odore imbalsamata mellito, nec citra modum humilis, nec injuste prominens vultui, quiddam præsentabat insigne. Oris nardus naribus delicatas odoris epulas offerebat. Labia, modico tumore surgentia, Veneris tyrones invitabant ad oscula. Dentes quadam sui coloris consonantia eboris faciem exemplabant. Genarum ignis purpureus, rosarum succensus<sup>2</sup> murice, dulci flamma faciem amicabat; candore namque glaciali<sup>3</sup> amicam serenabat<sup>4</sup> temperiem, purpura vultus sindoni maritata. Menti expolita planities, crystallina luce conspectior, argenteum induebat fulgorem. Colli vero non injusta proceritas sub gracilitate moderata, cervicem maritali humeris non sinebat. Mammillarum vero pomula gloriosæ<sup>5</sup> juventutis maturitatem spondebant. Brachia ad gratiam inspectoris prospicua, postulare videbantur amplexus. Laterum æquata convallatio, justæ moderationis impressa sigillo, totius corporis speciem ad cumulum perfectionis eduxit. Cætera vero quæ thalamus secretior absentabat, meliora fides esse loquebatur.<sup>6</sup> In corpore etenim vultus latebat beatior,<sup>7</sup> cujus facies ostentabat præludium,<sup>8</sup> ut ipse tamen vultus loquebatur, non Dyonea<sup>9</sup> clavis hujus sigillum reseraverat castitatis. Et quamvis tanta esset pulcritudinis lætitia, hujus tamen risum decoris, fletus in æstimabilis extinguere conabatur. Ros namque furtivus,

<sup>1</sup> *membrum*, B.

<sup>2</sup> *accensus*, B.

<sup>3</sup> *graciali*, B. *grato*, M.

<sup>4</sup> *sentiebat*, B. M.

<sup>5</sup> *gratiose*, M.

<sup>6</sup> *loquatur*, B.

<sup>7</sup> *latebat vultus gratior*, M.

<sup>8</sup> *Præludium est parvus ludus ante*

*majorem factus, unde facies pulchræ mulieris viris sæpius ostendit præludium, i. parvum ludum quantum ad delectationem, respectu ejus qui sequitur, quia major est delectatio in tali actu quam in tali visu. Gloss in B.*

<sup>9</sup> *i. venerea. Gloss in B.*

ex oculorum scaturigine derivatus, fluxum doloris prædicabat interni.<sup>1</sup> Ipsa etiam facies,<sup>2</sup> in terram casto pudore demissa, ipsi puellæ quodammodo illatam<sup>3</sup> loquebatur injuriam. Regalis autem diadematis<sup>4</sup> corona rutilans, gemmarum scintillans<sup>5</sup> choreis, in capitis supercilio<sup>6</sup> fulgurabat. Cujus non adulterina auri materies, ab ipsius honore degenerans, luce sophistica oculos paralogizans,<sup>7</sup> sed ipsius nobilitas ministrabat essentiam. Miraculoso vero circuitu æternaque volutione ipsum diadema ab oriente peregrinans in occidens, reciprocando<sup>8</sup> crebrius referebatur in ortum. Idemque perenniter exercendo, ex nimia ejusdem petitione principii, quasi nugatoria motio videbatur. Prædictarum vero gemmarum aliæ ad tempus novæ<sup>9</sup> diei miracula novo sui luminis sole visibus offerebant; ad tempus<sup>10</sup> vero suæ coruscationis eclipsi videbantur ab ipsius diadematis exulare palatio. Aliæ insertæ solio,<sup>11</sup> suæ scintillationis vigiliam perennantes, perennes fiebant excubiæ. Inter has circulus elucens ad zodiacæ<sup>12</sup> obliquitatis similitudinem pretiosorum lapidum stellatus monilibus sidereæ contiguitatis oscula syncopabat. In quo cohors duodena<sup>13</sup> gemmarum, suæ quantitatis processu privilegialique splendore, inter alias prærogativam poscere videbantur. In anteriori quoque ipsius diadematis parte tres pretiosi lapides audaci suæ radiationis superbia reliquis novem antonomastice præfulgebant.

Lapis primus lumine noctem, frigus incendio pati jubebat exilium. In quo, ut faceta picturæ loquebantur mendacia, leonis effigiata fulminabat effigies.

<sup>1</sup> *derivatus fluxus, doloris prædicabat mentem, M.*

<sup>2</sup> *Ipsa etiam, facie, B.*

<sup>3</sup> *quodammodo illatam, M.*

<sup>4</sup> *Descriptio diadematis Naturæ, quod est cælum. Rubric in A.*

<sup>5</sup> *scintillata choreis, B. M.*

<sup>6</sup> *in capite superne, M.*

<sup>7</sup> *i. decrepitus. Gloss in B.*

<sup>8</sup> *reflectendo. Gloss in B.*

<sup>9</sup> *novi diei, B. nova Dei, M.*

<sup>10</sup> *Aliquæ stellæ ad tempus dicuntur lucere, eo quod ortum habent et occasum, sicut pleiades et aliæ. Gloss in B.*

<sup>11</sup> *Aliquæ stellæ dicuntur semper eo quod non transiunt ad occasum, sicut ipsæ quæ sunt infra polum arcticum. Gloss in B.*

<sup>12</sup> *ad zodiacæ, B.*

<sup>13</sup> *De xij. signis in cælo. Rubric in A.*

Lapis secundus, at priori non secundus in lumine, in præfatæ partis audaciori loco præfulgurans, quasi ex quadam indignatione reliquos lapides deorsum aspicere videbatur. In quo, prout veritatis summa<sup>1</sup> pictura docebat, sub mutatoria confictione progrediendo retrogradus, incedendo recedens, cancer post se incedere videbatur.<sup>2</sup>

Lapis tertius oppositi lapidis splendorem pauperulum abundantibus suæ claritatis recompensabat divitiis. In quo, sicut picturæ veritas prædicabat, umbratilis Ledea proles,<sup>3</sup> sibi mutuo amplexu congratulans, incedebat. Ad hunc modum, tres lapides, secundæ dignitatis pol- lentes,<sup>4</sup> thronum in contradictoria parte locaverant, quorum primus, sudoris guttulis lacrimas exemplando, quodam imaginario fletu contristabat aspectum. In quo, prout curialis scripturæ phantasia imaginando docebat, Idæi adolescentis urceolus fluenti singultabat torrente.<sup>5</sup> Lapis secundus a suo regno calor alienans hospitia, glaciali torpore, hiemem sibi hospitem vendi- cabat. In quo, ex caprinæ lanæ adulterino vellere capricorni tunicam pictura texuerat. Lapis tertius, vultum lucis induens crystallinæ, vexillo sui frigoris hiemis prophetabat adventum. In quo assidua sui arcus inflexione senex Hæmonius<sup>6</sup> vulnera minabatur; nunquam tamen minis recompensabat effectum. Alteri vero lateri blandienti lascivens trium gemmarum be- nigna oculis gratiabat serenity, quarum prima, rosei coloris flammata murice, rosam visibus præsentabat; in qua taurus suæ frontis insignia præferens, sitire præ- lium videbatur. Alia, suæ lucis privilegiata temperie,

<sup>1</sup> *veritatis simia*, M.

<sup>2</sup> The paragraph from *In quo prout to incendere videbatur* is want- ing in B.

<sup>3</sup> *Ledæa proles*, i. quod gemini Castor et Pollux, nati ex Leda et geniti ex Jove patre in specie cigni. Gloss in A.

<sup>4</sup> *Ad hunc modum tres secundæ dignitatis honore pollentes, thronum*, B. *tres eodem dignitatis honore pollentes*, M.

<sup>5</sup> *torrentem*, B. M.

<sup>6</sup> *Chironius*, M.

benignitatis gratia sororum beabat collegia. In qua Aries, honore suæ frontis superbiens, gregis postulabat dominium. Tertia vero, viriditatem præferens, smaragdinam refocillationis oculorum in se gerebat antidotum; in qua, sub imaginario flumine,<sup>1</sup> pisces suæ naturæ nando littoris exercitium frequentabant. In contradicenti latere, trini lapidis siderea pulcritudo jocundo scintillabat applausu. Horum lapidum primus, suæ fulgurationis aureo sole radians, indefessæ pulchritudinis gratiam efferebat;<sup>2</sup> in qua, sicut sculpturæ tropica<sup>3</sup> figuratio demonstrabat, virgo quædam, quadam sui<sup>4</sup> prærogativa fulgoris, astris contendebat Astræa. Secundus, non superfluo splendore luxurians, nec penuriosi splendoris mendicans scintillulas, flamma moderata gaudebat. In quo quoque, sub æquo examine juxta artis pictoriæ normam, libra ponderum<sup>5</sup> spondebat judicia. Tertius, vultus alternando vicarios, nunc serenitatis benevolentiam spondens, nunc obscuritatis nebulas indulgebat.<sup>6</sup> In quo resultans facies scorpionis, vultu risum, fletum caudæ minatur aculeo. Sub his autem duodecim lapidum domiciliis, septena gemmarum pluralitas, motum circularem perennans, miraculoso ludendi genere, choream exercebat plausibilem. Nec ipsi choreæ sua deerat suavitas harmoniæ, nunc semitonis lasciviens, nunc mediocri tonorum sonoritate<sup>7</sup> juvenescens, nunc maturiori tuba in diapasonicum melodiam procedens, quæ tympanizatione sua<sup>8</sup> nostrarum aurium excitabat libidinem, nostris oculis offerebat dormiendi præludia. Sed quoniam audiendi parcitas auris deprecatur<sup>9</sup> offensam, prodigalitas educit fastidium; nam ex superabundanti audiendi copia fastidita<sup>10</sup> auris elanguit.

Hi septem lapides, quamvis nullis juncturarum liga-

<sup>1</sup> fulmine, B.

<sup>2</sup> offerebat, B.

<sup>3</sup> tipica, B.

<sup>4</sup> demonstrabat quadam sui, B.

<sup>5</sup> pondera, B.

<sup>6</sup> induebat, B. nubes indulcebat, M.

<sup>7</sup> tonorum suavitate sonoritate, B.

<sup>8</sup> sua tympanizatione, B. sua modulatione, M.

<sup>9</sup> promeretur, M.

<sup>10</sup> fastidium, A.

turis ipsi diademati tenerentur obnoxii, nunquam tamen sui absentatione superiorum lapidum orphana faciebant collegia. Lapis autem superior<sup>1</sup> adamas erat, qui motu cæteris avarior, prodigalior in desidia, in amplioris<sup>2</sup> sui circuli peragratiōe<sup>3</sup> nimiam temporis moram trahebat. Qui tanti frigoris gelicidio segnescebat, ut ipsum Saturnino<sup>4</sup> sidere genitum genialis naturæ probaret conformitas. Secundus achates erat, qui dum sui cursus vicinia cæteris fiebat familiarior, quorundam inimicitias transformabat in gratiam, quorundam<sup>5</sup> benevolentiam puerilem imperiali suæ virtutis potentia<sup>6</sup> reddebat adultam; quoniam propinqua naturæ cognatione, Joviali sideri familiarem esse gratialis disputabat effectus. Tertius astrites erat, in quo caloris principatu castrametante,<sup>7</sup> quadam proprietatis continuitate Martii sideris legebatur effectus, qui minaci suæ fulgurationis vultu terribilis, cæteris minabatur perniciem. Quartus erat carbunculus, qui solis gerens imaginem, suo radiationis cereo noctis proscibens umbracula, fratrum lampades soporabat eclipticas, nunc cæteros regali suæ majestatis auctoritate deviare præcipiens, nunc quietam agitationi tribuens potestatem. Cum sapphiro vero hyacinthus, ejus insistendo vestigiis, ipsi velut assecla ancillando, præfati luminis nunquam fraudabatur<sup>8</sup> aspectu, brevique interjecta distantia circa ejus orbem currit<sup>9</sup> pariter aut sequitur, aut una sequens stella alteri præeundi concessit<sup>10</sup> obsequia. Horum duorum lapidum alter suæ naturæ congruentia, Mercurialis<sup>11</sup> stellæ; reliquus vero Dionei sideris redolebat effectum.

Lapis ultimus margarita erat, qui rutilantis coronæ margini insita,<sup>12</sup> luce lucens aliena, a carbunculo lumi-

<sup>1</sup> *Lapis superior*, B.

<sup>2</sup> *ampliori*, B.

<sup>3</sup> *paragratiōe*, B.

<sup>4</sup> *ex Saturnino*, B. *ex Saturno*, M.

<sup>5</sup> *quorum*, A.

<sup>6</sup> *potentiam*, B.

<sup>7</sup> *castra metente*, M.

<sup>8</sup> *fraudabantur*, B.

<sup>9</sup> *currum*, B.

<sup>10</sup> *concedit*, B. M.

<sup>11</sup> *Mercuriali*, A.

<sup>12</sup> *citiria luce*, B. *citirina*, A.



nis mendicabat suffragia. Quæ aliquando lumini vicina præfato, proficiens, sive prolongata deficiens in crescendo radii<sup>1</sup> sui luminis quasi carbunculum venerata, submittit, ut fraternis ignibus rursus<sup>2</sup> ornata, renovata sui<sup>3</sup> luminis<sup>4</sup> ornamenta circumferat, nunc supplementis solemnibus attriti orbis nutriens damna, nunc propriis orphanata luminibus, jacturam propriæ conquerens majestatis, quæ crystallino inargentata fulgore, lunaris sideris respondebat<sup>5</sup> effectui. His omnibus lapidum splendoribus præfati diadematis serenata nobilitas, in se firmamenti repræsentabat effigiem.

Vestis vero,<sup>6</sup> ex serica lana contexta, multifario protecta colore, puellæ pepli serviebat in usum, quam discolorando colorans temporum alteritas multiplici colore faciem<sup>7</sup> alterabat. Quæ primitus candore lili dealbata, offendebat intuitum. Secundo, velut penuria ducta, quasi laborans in melius, ruboris sanguine purpurata splendebat. Tertio, ad cumulum perfectionis perveniens, viroris smaragdo oculis applaudebat. Hæc autem nimis subtilizata,<sup>8</sup> subterfugiens oculorum indaginem, ad tantam materiæ tenuitatem advenerat,<sup>9</sup> ut ejus aerisque eandem crederes esse naturam, in qua, prout oculis pictura imaginabatur, animalium celebratur concilium.<sup>10</sup> Illic<sup>11</sup> aquila primo juvenem, secundo senem, induens, tertio iterum reciprocata priorem, in Adonidem revertebatur a Nestore. Illic ancipiter, civitatis præfectus aeris, violenta tyrannide a subditis redditus exposcebat. Illic milvus, venatoris induens personam, venatione furtiva larvam gerebat ancipitris. Illic falco in ardeam bellum excitabat civile, non tamen æquali lance divisum. Non enim illud pugnae debet appellatione censeri, ubi tu pulsas, ego

<sup>1</sup> radio, B. radios, M.

<sup>2</sup> rursus, B. M.

<sup>3</sup> ornata, renovata sui, B.

<sup>4</sup> splendoris, M.

<sup>5</sup> resplendebat, M.

<sup>6</sup> *Descriptio vestis Naturæ.* Ru-

bric in A. *Descriptio pepli Naturæ,* B.

<sup>7</sup> facie, A. B.

<sup>8</sup> subtilizata, B.

<sup>9</sup> devenerat, B. M.

<sup>10</sup> consilium, B.

<sup>11</sup> *De avibus ueris.* Rubric in A.

vapulo<sup>1</sup> tantum. Illic struthio, vita seculari postposita, vitam solitariam agens, quasi heremita factus, desertorum solitudines incolebat. Illic olor, sui funeris præco, mellitæ citherizationis organo vitæ prophetabat<sup>2</sup> apocopam.<sup>3</sup> Illic in pavone tantum pulcritudinis compluit Natura thesaurum, ut eam postea crederes mendicasse. Illic phoenix, in se mortuus, redivivus in alio, quodam Naturæ miraculo, se sua morte a mortuis suscitabat. Illic avis concordiæ<sup>4</sup> prolem decimando Naturæ persolvebat tributum. Illic passerres in atomum pygmeæ humilitatis relegati degebant, grus<sup>5</sup> ex opposito in giganteæ quantitatis evadebat excessum. Illic phasianus, natalis insulæ perpressus angustias, principum futurus deliciæ, nostros evolabat in orbis. Illic gallus, tanquam vulgaris astrologus, suæ vocis horologio<sup>6</sup> horarum loquebatur discrimina. Illic gallus silvestris, privatoris<sup>7</sup> galli deridens desidiam, peregre proficiscens, nemorales peragrabat provincias. Illic bubo, propheta<sup>8</sup> miseriæ, psalmodias funereæ lamentationis præcinebat. Illic noctua tantæ deformitatis sterquilinio sordescebat, ut in ejus formatione Naturam crederes fuisse<sup>9</sup> somnolentam. Illic cornix, ventura prognosticans, nugatorio concitabatur<sup>10</sup> garritu. Illic pica, dubio<sup>11</sup> picturata colore, curam logices<sup>12</sup> perennabat insomnem. Illic monedula, latrocinio laudabili<sup>13</sup> reculas thesaurizans, innatæ avaritiæ argumenta monstrabat. Illic columba, dulci malo inebriata Diones, laborabat Cypridis in palæstra. Illic corvus, zelotypiæ abhorrens dedecus, suos fœtus non sua esse pignora fatebatur, usque dum comperto<sup>14</sup> nigri argumento coloris,<sup>15</sup> hoc quasi secum disputans<sup>16</sup> com-

<sup>1</sup> *ego latito*, M.

<sup>2</sup> *prophetavit*, B. *vaticinabatur*, M.

<sup>3</sup> *apocham*, M. *i. finem*. Gloss  
in A.

<sup>4</sup> *Illic ciconia*, M.

<sup>5</sup> *relegato*, grus, B.

<sup>6</sup> These three words are omitted  
in A.

<sup>7</sup> *privationis*, B. *domestici*, M.

<sup>8</sup> *profanus*, A.

<sup>9</sup> *fuisse crederes*, B. M.

<sup>10</sup> *nugatorio otiabatur garritu*, B.

<sup>11</sup> *dubia*, A.

<sup>12</sup> *logicos*, B.

<sup>13</sup> *laudabili latrocinio*, B. M.

<sup>14</sup> *comperto*, omitted in B.

<sup>15</sup> *colore*, B.

<sup>16</sup> *quasi disputans*, B. *disputando*,  
M.

probat. Illic perdix nunc aeris potestatis insultus, nunc venatorum sophismata, nunc canum latratus propheticos abhorrebat. Illic anas cum ansere, sub eodem jure vivendi, hiemabat in patria fluviali. Illic turtur, suo viduata consorte, amorem epilogare dedignans, in altero bigamiæ refutabat solatia. Illic psittacus cum sui gutturis incude vocis monetam fabricabat humanæ. Illic coturnicem, figuræ draconis ignorantem fallaciam, imaginariæ vocis decipiebant sophismata. Illic picus, propriæ architectus domunculæ, sui rostri dolabro clausulam fabricabat in ilice. Illic curruca, novercam exuens, materno pietatis ubere alienam cuculi prolem adoptabat in filium; quæ tamen capitali præmiata stipendio, privignum agnoscens,<sup>1</sup> filium ignorabat. Illic hirundo, a sua peregrinatione reversa, sub trabe nidi lutabat hospitium. Illic philomena, deflorationis<sup>2</sup> querelam reintegrans, harmoniaca tympanizans dulcedine, puritatis<sup>3</sup> dedecus excusabat. Illic alauda, quasi nobilis citharista, non studii artificio, sed Naturæ magisterio, musicæ prædocta<sup>4</sup> scientiam, citharam præsentabat in ore, quæ tonos in tenues subtilizans particulas, semitonia usque in gumphos indivisibiles dividebat. Illic vesperilio, avis hermaphroditica, ciphri locum inter aviculas obtinebat. Hæc animalia, quamvis illic quasi allegorice viverent, ibi tamen esse videbantur ad litteram.

Sindo,<sup>5</sup> in virorem, adulterato candore quam puella inconsutibiliter ipsa postmodum dicente texuerat, non plebea vilescens materia, artificio subtili lasciviens, pallii gerebat officium; quæ multis intricata implexionibus,<sup>6</sup> colorem imaginabatur aquatilem. In qua supra animalis naturam aquatilis, multifarias particulatam in species, fabula commentabatur picturæ. Illic cetus rupibus contendens, suæ scopulo quantitatis turriti

<sup>1</sup> cognoscens, B. M.

<sup>2</sup> suæ deflorationis, B. M.

<sup>3</sup> parvitatis, B. M.

<sup>4</sup> prædotata, B. perdocta, M.

<sup>5</sup> Indo, A. *Descriptio sindonis naturæ.* Rubric in B.

<sup>6</sup> amplexibus, M.

corporis incursu, navium arietabat oppidula. Illic canis marinus, cum latrabili sui nominis æquivocatione bivio præconfundens nullis indulgendo latratibus, sui generis lepores maris<sup>1</sup> venabatur in saltibus. Illic sturgio, sui nobilitate corporis individuali sui corporis benedictione mensis<sup>2</sup> offerebat regalibus. Illic allec, piscis generalissimus, ampla sui corporis communitate pauperum solabatur jejunia. Illic plais, sui corporis dulcoratis saporibus, in quadragesimali austeritate, carnis redimebat absentiam. Illic mulo, dulcibus suæ carnis irritamentis, palata seducebat gustantium. Illic trucula<sup>3</sup> sinus marinos ingrediens, in æquore baptizata, salmonis nomine censebatur. Illic delphines suæ apparitionis prophetia<sup>4</sup> maris invectiones futuras navibus prædicebant. Illic sirenum renibus piscis, homo legebatur in facie. Illic luna, proprio lumine pauperata, quasi invidens, in conchilia propriam vindicabat injuriam, quæ quasi sui corporis<sup>5</sup> novilunio laborantia lunæ luebant<sup>6</sup> pauperiem. His marinæ regionis incolis pallii portio concessa fuerat medialis.<sup>7</sup> Reliqua vero pallii portio<sup>8</sup> peregrinos pisces<sup>9</sup> habebat, qui, diversis fluctibus evagantes, in dulcioris aquæ patria sedes posuerant. Illic lucius exactione tyrannica, non exigentia meriti, subditos proprii corporis incarcerabat ergastulo. Illic barbulus, non minori sui corporis dignitate famosus, cum plebicula piscium familiariter habitabat. Illic alosa, tempus comitata vernale, cum veris deliciis sui saporis delicias offerens, sui corporis adventu, gustus salutabat humanos. Illic murænula, multiplici fenestrata foramine, febrium introductiones lectitabat prudentibus. Illic anguilla, colubri naturam imaginans, quadam proprietatis similitudine neptis

<sup>1</sup> *maris*, omitted in A.

<sup>2</sup> *mensis*, omitted in A.

<sup>3</sup> *tritula*, B. M.

<sup>4</sup> *perennio*, M. *prohemio*, B.

<sup>5</sup> *quasi duo sui corporis*, B.

<sup>6</sup> *luebat*, B.

<sup>7</sup> *concessa sint parcialis medialis*, B.

<sup>8</sup> *clamydis portio*, B.

<sup>9</sup> *pisces peregrinos*, B.

ejusdem esse<sup>1</sup> credebatur. Illic perca, spinarum jaculis loricata, lupi aquatilis<sup>2</sup> minus abhorrebat insultus. Illic capito quod ex inferioris corporis paucitate perdebat strumoso recuperabat in capite. Hæ<sup>3</sup> picturæ tropo eleganter in pallio figuratæ sculpturæ, natare<sup>4</sup> videbantur pro miraculo.

Tunica vero polymita, opere picturata plumario, infra se corpus claudebat virgineum. Quæ multis stellata coloribus, in grossiorem materiam conglobata, in terrestri elementi faciem<sup>5</sup> aspirabat. In hujus vestis parte primaria, homo, sensualitatis deponens segnitiam, directa rationis aurigatione, cœli penetrabat arcana. In qua parte, tunica suarum partium passa discidium, suarum injuriarum contumelias demonstrabat. In reliquis vero<sup>6</sup> locis, partes eleganti continuatione concordantes, nullam in se divisionis<sup>7</sup> sustinebant discordiam. In quibus quædam picturæ incantatio terrestria animalia vivere faciebat.<sup>8</sup> Illic elephas, monstruosa corporis quantitate, progressus in area,<sup>9</sup> sibi corpus a natura conditum multiplici fœnere duplicabat. Illic camelus, strumosi corporis scrupulositate deformis, quasi servus emptitius, hominum usibus ministrabat. Illic cornua, vicem cassidis usurpando, bubali<sup>10</sup> frontem videbantur armare.<sup>11</sup> Illic taurus, terram pedibus vexando, mugitibus horribilibus<sup>12</sup> intonando, sui duelli fulmina præcinebat. Illic boves, taurorum<sup>13</sup> recusantes militiam,<sup>14</sup> quasi rustici, servilibus negotiis inhiabant. Illic equus, ferventi proventus audacia, suo assessori commilitans, hastam frangebatur cum milite. Illic asinus, clamoribus horridis aures fastidians, quasi per antiphrasim organi-

<sup>1</sup> credebatur esse, B.

<sup>2</sup> aquatilis lupi, B. M.

<sup>3</sup> Hæc, B.

<sup>4</sup> naturæ, B.

<sup>5</sup> speciem, M.

<sup>6</sup> In reliquis tamen, B. M.

<sup>7</sup> dimissionis in se, B.

<sup>8</sup> De animalibus terrestribus. Rubric in A.

<sup>9</sup> in aera, B.

<sup>10</sup> bubali, B.

<sup>11</sup> videbantur armatæ, A.

<sup>12</sup> This word omitted in B. and M.

<sup>13</sup> tauros, A.

<sup>14</sup> malitiam, B.

zans, barbarismum faciebat in musica. Illic unicornis, virginali soporatus in gremio, ab hostibus mortis somnium incurrebat in somno.<sup>1</sup> Illic leo, rugitus carmina auribus natorum immurmurans, mira naturæ incantatione in illis vitæ suscitabat igniculum. Illic ursa, per portas<sup>2</sup> narium fœtus enixa deformes, ipsos stylo linguæ crebrius delambendo<sup>3</sup> monetans, meliorem deducebat in formam. Illic lupus, latitando, furis usurpans officium, furcarum itinere exaltari merebatur aërio. Illic pardus, apertiori latrocinio nemorisans,<sup>4</sup> pecudum vulgus, non solum in vestibus, verum etiam in propria prædabatur substantia. Illic tigris, pecualium civium rempublicam crebra innocentis sanguinis effusione violabat.<sup>5</sup> Illic onager, asini exuens servitutum, Naturæ manumissus imperio, montium incolebat audaciam. Illic aper, dentis armatura fulminea,<sup>6</sup> mortem propriam canibus multiplici vendebat in vulnere. Illic canis, auras phantasticis vexando vulneribus, aera dentium importunitate mordebat. Illic cervus et dama, pedum velocitate volatiles, vitam præeundo<sup>7</sup> lucrantes, subsequentium canum morsus defraudabant iniquos. Illic caper, lana vestitus sophistica, nares fastidire quadriduo videbatur odore. Illic aries, tunica trabeatus nobiliori,<sup>8</sup> uxorum pluralitate gavisus, matrimonii defraudabat honorem. Illic vulpecula, idiotiam bruti exuens animalis, ad meliorem hominis anhelabat astutiam. Illic lepus, melancholico arreptus timore, non somno, sed timoris sopore, perterritus, canum somniabat adventum. Illic cuniculus, pelle nostri frigoris iram temperando, carne propria nostræ famis debellabat insultus.<sup>9</sup> Illic scisimus, dedignans panno nubere

<sup>1</sup> *ab hostibus mortem supremo incurrebat in somno, A.*

<sup>2</sup> *partas, A.*

<sup>3</sup> *delambenti, B.*

<sup>4</sup> *nerozinans, B. neronizans, M.*

<sup>5</sup> *innocentis effusione sanguinis, B.*

<sup>6</sup> *fulmineus, B. M.*

<sup>7</sup> *pereundo, A.*

<sup>8</sup> *nobiliore trabeatus, B. M.*

<sup>9</sup> *insultum, B.*

viliori, eleganti picturæ matrimonio purpuræ jocabatur sive rigabatur.<sup>1</sup> Illic castor, ne ab hostibus totius corporis patiatur diæresim, corporis partes apocopabat extremas. Illic lynx tanta luminis limpitudine vige-  
bat, ut ejus respectu lippire cætera animalia<sup>2</sup> videren-  
tur. Illic marrix cum sabelo semiplenam palliorum  
pulchritudinem eorum,<sup>3</sup> postulantem subsidia, suarum  
pellium nobilitate deducebat ad plenum. Has anima-  
lium figuras, histrionalis formæ<sup>4</sup> representatio, quasi  
jocunditatis convivium, oculis donabat viventium.<sup>5</sup> Quid<sup>6</sup>  
vero in caligis camisiaque, in inferioribus vestibibus<sup>7</sup>  
consepultis, picturæ somniabant industria, nulla certi-  
tudinis auctoritate probavi.<sup>8</sup> Sed tamen<sup>9</sup> ut quædam  
fragilis probabilitatis remedia docuerunt, opinor in  
herbarum arborumque naturis ibi picturæ risisse lasciviam.  
Illic arbores nunc tunicis vestiri purpureis,  
nunc comis criniri virentibus, nunc florum parturire  
infantiam redolentem,<sup>10</sup> nunc tamen in fœtum senescere<sup>11</sup>  
potiorem. Sed quoniam solius probabilitatis lubrico  
intellectu, non certitudinis fide, hujus picturationis  
seriem<sup>12</sup> agnovi, hanc sub silentii pace sepultam  
prætereo. Calcei<sup>13</sup> vero, ex alutea pelle traducentes  
materiam, ita familiariter pedum sequebantur ideas,  
ut in ipsis pedibus nati, ipsis quasi<sup>14</sup> mirabiliter vi-  
derentur inscripti. In quibus vix a vera degeneran-  
tibus essentia, sub picturæ ingenio flores amœnabantur  
umbratiles.

<sup>1</sup> *jugabatur*, B. This paragraph is wanting in M.

<sup>2</sup> *animalia cætera*, B.

<sup>3</sup> *earum*, B.

<sup>4</sup> *figuræ*, B. M.

<sup>5</sup> *videntium*, B. *intuentium*, M.

<sup>6</sup> *Descriptio caligarum et camisiæ Naturæ*. Rubric in B.

<sup>7</sup> *camisiaque superioribus vestibibus*, B.

<sup>8</sup> *probata*, B.

<sup>9</sup> *sed tantum*, M.

<sup>10</sup> *redolentem infantiam*, B.

<sup>11</sup> *nunc tamen fœtum senescere*, B. *fœtum*, A.

<sup>12</sup> *hujus seriem picturationis*, B. M.

<sup>13</sup> *Descriptio calceorum Naturæ*. Rubric in B.

<sup>14</sup> *ipsisque mirabiliter*, B. M.

Illic<sup>1</sup> forma rosæ, picta fideliter,  
 A vera facie devia paululum,  
 Æquabat proprio murice purpuram,  
 Telluremque suo sanguine tinxerat.  
 Colludens<sup>2</sup> sociis floribus, affuit  
 Flos illic redolens gratus Adonidis,  
 Argentoque suo nobile lilium,  
 Prædicabat agros, imaque vallium.  
 Illic ore thymus dispare disputans  
 Certabat, reliquis floribus invidens,  
 Narcissi socio<sup>3</sup> flore, jocantia  
 Ridebant tacito murmure flumina.<sup>4</sup>  
 Vultu florifero flos aquileius  
 Florum prænituit lucifer omnium,  
 Vernalisque loquens temporis otia  
 Stellabat violæ flosculus arbuta,  
 Picturæ facies plena favoribus.  
 Hic florum speciem vivere jusserat  
 Quod<sup>5</sup> regalis erat chartula nominis,  
 Scribentisque tamen nescia pollicis.  
 Hæ sunt veris opes, et sua pallia,  
 Telluris species, et sua sidera,  
 Quæ pictura suis edidit artibus,  
 Flores effigians arte sophistica.  
 His florum tunicis prata virentibus  
 Veris nobilitat gratia prodigi.  
 Hæc byssum tribuunt, illaque purpuram,  
 Quæ textit sapiens dextra Favonii.

Hæc<sup>6</sup> vestium ornamenta, quamvis plenis suæ<sup>7</sup> splend-  
 diditatis flammarent ardoribus, eorundem tamen splendor  
 sub puellaris decoris sidere patiebatur eclipsim. In

<sup>1</sup> *Descriptio florum in calceis Naturæ.* Rubric in B.

<sup>2</sup> *Concludens,* A.

<sup>3</sup> *sociis,* M.

<sup>4</sup> *flamina,* B.

<sup>5</sup> *Quæ regalis,* B. M.

<sup>6</sup> *Qualiter cuncta festive obviant Naturæ de cælestibus descendenti.* Rubric in B.

<sup>7</sup> *suæ plenis,* B.



lateritiis vero tabulis, arundinei styli ministerio, virgo varias rerum picturaliter<sup>1</sup> suscitabat imagines. Pictura tamen subjacenti materiæ familiariter non cohærens, velociter evanescendo moriens, nulla imaginum post se relinquebat vestigia. Quas cum sæpe suscitando puella crebro vivere faciebat, tamen in scripturæ proposito imagines perseverare non poterant. Virgo etiam, ut prætaxavimus, a cœlestis regionis<sup>2</sup> emergens confinio, in mundi passibilis tugurium<sup>3</sup> curru vitreo ferebatur; ipsæ vero Junonis<sup>4</sup> alitibus, nullius jugi ministerio disciplinatis, sed sibi spontanea voluntate conjunctis,<sup>5</sup> trahebatur. Homo vero virginis capiti curruque supereminens, cujus vultus non terrenitatis vilitatem, sed potius deitatis redolebat arcanum, impotentiam sexus supplendo feminæi, modesto directionis ordine currus aurigabat incessum. Ad cujus contemplandam pulchritudinis dignitatem,<sup>6</sup> dum tanquam manipulos oculorum radios conligarem<sup>7</sup> visibiles, ipsi tantæ non audentes majestatis obviare decori, splendoris hebetati verberibus, nimis meticulosi ad palpebrarum contubernia refugiunt.<sup>8</sup> Præfatæ vero virginis in adventu,<sup>9</sup> quasi suas<sup>10</sup> renovando naturas solemnizare omnia crederes elementa. Firmamentum quasi suis cereis virgineum iter illuminans, ut solito plenius radiarent suis imperabat sideribus. Unde et ipsa lux diurna tantam eorum admirari videbatur audaciam, quod in ejus conspectu quasi nimis insolenter viderat apparere. Phœbus etiam vultum solito<sup>11</sup> induens lætiorem, in occursum<sup>12</sup> virginis ostendens totas sui luminis effundebat divitias. Sororem etiam, quam sui splendoris depauperaverat ornamentis,

<sup>1</sup> *picturales sociabat*, M.

<sup>2</sup> *a cœlestis regiæ*, B.

<sup>3</sup> *tigurrium*, B.

<sup>4</sup> *Junoniis*, B.

<sup>5</sup> *cum jugis*, B.

<sup>6</sup> *ad cujus pulchritudinis dignitatem investigandam*, A. *investigandam*, B.

<sup>7</sup> *conlegarem*, M.

<sup>8</sup> *refugerunt*, B. M.

<sup>9</sup> *In præfatæ vero virginis adventu*, B. M.

<sup>10</sup> *suas quasi*, B.

<sup>11</sup> *solito vultum*, B.

<sup>12</sup> *in occurso*, B.

ei veste jocunditatis reddita, reginæ venienti jubet occurrere. Aer vero, vultus nubium exuens lacrimosos, sereni vultus benevolentia virgineis arridebat incessibus; qui primum aquilonaris iræ vexatus vesania,<sup>1</sup> nunc in Favonii favorabiliter<sup>2</sup> gremio conquiescebat. Aves vero, quadam naturæ inspiratione, alarum ludo plausibili joculantes, virgini venerationis faciem exhibebant. Juno vero, quæ jampridem joviales tactus fuerat dedignata, tanta fuit inebriata lætitia, ut crebro oculorum præludio maritum ad venereas incitaret<sup>3</sup> illecebras. Mare vero, prius tumultuosis fluctibus debacchatum, nunc puellaris adventus feriando solemnia tranquillitatis pacem spondebat perpetuam. Æolus namque tempestatis ventos, ne in conspectu virginis plusquam civilia moverent bella,<sup>4</sup> in suis vinculabat<sup>5</sup> ergastulis. Pisces vero, in aquarum superciliis enatantes, in quantum sensualitatis patiebatur inertia, quadam hilaritatis festivitate suæ dominæ præcognabant adventum. Thetis etiam, nuptias agens cum Nereo, Achillem alterum concipere destinabat. Puellæ vero, quarum pulchritudo non solum suam rationem homini<sup>6</sup> furaretur, verum et<sup>7</sup> cœlestes suæ deitatis cogeret oblivisci, locis fluvialibus emergentes, quasi tributariæ venienti reginæ pigmentarii nectaris præsentabant munuscula. Quibus favorabiliter susceptis a virgine, jugi complexuum innexione, crebraque repetitione osculi, virgo virginibus suum intimabat amorem. Terra vero, jampridem hiemis latrocinio suis ornamentis denudata, a veris prodigalitate purpurantem<sup>8</sup> florum tunicam usurpabat, ne vestibus pannosis ingloria adolescentulæ indecenter compareret aspectui.<sup>9</sup> Ver etiam, quasi artifex peritus in arte

<sup>1</sup> *insania*, B. M.

<sup>2</sup> *favorabiliter*, omitted in B. *favorabili*, M.

<sup>3</sup> *invitaret*, B.

<sup>4</sup> *civilia bella moverent*, B. M.

<sup>5</sup> *vinculavit*, B. M.

<sup>6</sup> *pulchritudo suam rationem homini*, B. *hominibus*, M.

<sup>7</sup> *verum etiam*, B. M.

<sup>8</sup> *spirantem*, M.

<sup>9</sup> *appareret conspectui*, B.

textoria, ut virgineis<sup>1</sup> beatius applauderet incessibus, vestimenta texebat arboribus quæ demissione comarum, enclitica sub quadam adorationis specie, quasi flectendo genua, virgunculæ supplicabant. E quibus egressæ virgines, suæ pulchritudinis die, materialis diei locupletantes divitias, ex antonomasticis<sup>2</sup> herbarum speciebus confecta in cedrinis vasculis ferebant aromata, quæ tanquam suos redditus puellulæ persolvendo, ejus favorem suis emebant muneribus. Napææ vero, gremia floribus saturantes regium currum, aliquando roseis<sup>3</sup> floribus sanguinabant, aliquando florum<sup>4</sup> foliis liliabant alben-  
tibus. Flora vero, camisiam byssinam, quam marito texuerat ut ejus mereretur amplexus, prodigaliter virgini præsentabat.<sup>5</sup> Proserpina vero, mariti torum<sup>6</sup> fastidita Tartarei, ad superna repatrians, suæ imperatricis noluit defraudari præsentia. Terrestria etiam<sup>7</sup> animalia, nescio qua docente natura, jocantibus indulgendo<sup>8</sup> lasciviis, virginalem didicere præsentiam. Sic rerum universitas ad virginis fervens<sup>9</sup> obsequium, miro certamine laborabat sibi virginis gratiam comparare.

Floriger<sup>10</sup> horrentem Zephyrus laxaverat annum,  
Extinguens Boreæ prælia pace sui,  
Grandine perfusus florum pluit ille ligustrum,  
Et pratis horum jussit inesse nives.  
Ver, quasi fullo novus, reparando pallia pratis,  
Florum succendit muricis igne togas.  
Reddidit arboribus crines, quos bruma totondit ;  
Vestem sic reparans<sup>11</sup> quam tulit illa prius.  
Tempus erat quo larga suis expandit in agris,  
Applausu Dryadum, gratia veris opes.  
Quo dum major inest virtus, infantia florum,  
Altius emergens, matre recedit humo.

<sup>1</sup> ut virgines, B. ut virginis, M.

<sup>2</sup> ex antomasticis, B.

<sup>3</sup> alii roseis, A.

<sup>4</sup> alii florum, A.

<sup>5</sup> præsentavit, B. M.

<sup>6</sup> mariti toro, B. toro fastidito, M.

<sup>7</sup> Terrestria vero animalia, B.

<sup>8</sup> jocis indulgendo, M.

<sup>9</sup> fluens obsequium, M.

<sup>10</sup> Descriptio temporis quo Natura descendebat. Rubric in B.

<sup>11</sup> vestitum reparans quem, B.

Quo violæ speculum terræ cunabula lingens,  
 Aeris afflatus postulat ore novo.  
 Tempus erat quo terra, caput stellata rosarum,  
 Contendit cœlo sidere plena suo.  
 Quo vexilla gerens æstatis amygdalus ortum  
 Prædicat, et veris gaudia flore vocat.  
 Quo vitis gemmata sinus amplexa maritos  
 Ulmi, de partu cogitat ipsa suo.  
 Proscribit<sup>1</sup> brumæ solaris cereus umbram,  
 Cogens exilium frigora cuncta pati.  
 Multis bruma tamen latuit<sup>2</sup> phantastica silvis,  
 Quam silvæ foliis fecerat umbra recens.  
 Jam flori puero Juno dedit ubera roris,  
 Quo primum partus lactet alumna suos.  
 Tempus erat Phœbi quo mortua gramina virtus  
 Suscitât, e tumulis surgere cuncta jubens.  
 Quo mundum facies vernalis<sup>3</sup> læta serenat,  
 Et lacrimas hiemis tergit ab ore suo.  
 Aeris ut fidei se flos committere possit,  
 Nec florem primum frigoris urat hiems.  
 Quo mundum Phœbus hiemis torpore gementem  
 Visitat, et læta luce salutât eam.  
 Proxima quo senium deponit temporis ætas,  
 Et mundus senior incipit esse puer.  
 Quo noctem Phœbus propriis depauperat horis,  
 Pigmæusque dies incipit esse gigas.<sup>4</sup>  
 Quo parat hospitium Phœbo, solvendo tributum,  
 Phryxæum<sup>5</sup> gaudens hospite sole pecus.  
 Quo philomena sui celebrat solemnia veris,  
 Odam melliti carminis ore canens.  
 In cujus festo sua gutturis organa pulsât,  
 Ut proprio proprium prædicet ore deum.  
 Quo dulci sonitu citharam mentitur alauda,  
 Et volat ad superos, colloquiturque Jovi.

---

<sup>1</sup> *Proscripsit*, B.

<sup>2</sup> *Altis cum bruma latuit*, M.

<sup>3</sup> *Jovialis*, A.

<sup>4</sup> *gigans*, B.

<sup>5</sup> *Grex ovium*, M.

Splendor lascivos argenteus induit amnes,<sup>1</sup>

In fluviisque suum jusserat esse diem.<sup>2</sup>

Discursus varii fontis garrere videres,<sup>3</sup>

Prologus in somnum<sup>4</sup> murmur euntis erat.

Splendorisque sui facie fons ipse rogabat,

Ut sua defessus pocula sumat homo.

Hac<sup>5</sup> igitur amœnantis temporis juventute, nullis rerum exhilarata favoribus, priorem virgo non potuit temperare tristitiam, sed currum in terram humilians, propriis humum venustando vestigiis, ad me pudico pervenit incessu. Quam postquam mihi diu cognatam<sup>6</sup> loci proximitate prospexi, in faciem decidens, mentis<sup>7</sup> stupore vulneratus, et totus<sup>8</sup> in extasis alienatione sepultus, sensumque incarceratis virtutibus,<sup>9</sup> nec vivens nec moriens<sup>10</sup> inter utrumque neuter<sup>11</sup> laborabam. Quem virgo amicabiliter erigens, pedes ebrios sustentantium manuum confortabat solatio, meque suis innectendo amplexibus, meaque ora pudicis osculis dulcorando, mellifluoque<sup>12</sup> sermonis medicamine a stuporis morbo curavit infirmum. Quæ postquam me mihi redditum intellexit, mentali intellectui materialis vocis mihi depinxit imaginem, et quasi archetypha verba idealiter præconcepta,<sup>13</sup> vocaliter produxit in actum. “Heu!” inquit, “quæ ignorantia cæcitas, quæ alienatio mentis, quæ debilitas sensuum, quæ infirmatio rationis, tuo intellectui nubem opposuit,<sup>14</sup> animum exulare coegit, sensus hebetavit potentiam, mentem compulit ægrotare, ut non solum tuæ nutricis familiari a cognitione<sup>15</sup> tua intelligentia defraudetur, verum etiam tanquam monstruosæ imaginis novitate

<sup>1</sup> edidit aves, M.

<sup>2</sup> esse duces, B.

<sup>3</sup> videris, A.

<sup>4</sup> insomni, B.

<sup>5</sup> *Communicatio Naturæ cum auctore de utroque mundo.* Rubric in B.

<sup>6</sup> mihi cognatam, omitting diu, B.

<sup>7</sup> mentem, B. M.

<sup>8</sup> vulneratus exivi, totusque in, B.

<sup>9</sup> visceribus, B.

<sup>10</sup> nec vivus nec mortuus, B. M.

<sup>11</sup> neuter, omitted in B. M.

<sup>12</sup> mellifluo, B.

<sup>13</sup> præcontexta, M.

<sup>14</sup> apposuit, M.

<sup>15</sup> familiari cognitione, B. M.

“ percussa, in meæ apparitionis ortu tua discretio patia-  
 “ tur occasum? Cur a tua memoria mei facis peregri-  
 “ nari<sup>1</sup> notitiam? In quo mea munera me loquuntur,  
 “ quæ te tot beneficiorum prælargis beavi muneribus?  
 “ quæ a tua ineunte ætate, Dei auctoris vicaria<sup>2</sup> rata  
 “ dispensatione, legitimum tuæ vitæ ordinavi curricu-  
 “ lum? Quæ olim tui corporis materiem<sup>3</sup> ab<sup>4</sup> adul-  
 “ terina primordialis materiæ essentia fluctuantem in  
 “ verum esse produxi? Cujus vultum miserata defor-  
 “ mem, quasi ad me crebrius declamantem, humanæ  
 “ speciei signaculo sigillavi, eamque, honestis orphanam  
 “ figurarum ornamentis, melioribus formarum vestibus  
 “ honestavi?<sup>5</sup> In qua ad corporis clientelam diversas  
 “ membrorum ordinans officinas, in eadem sensus quasi<sup>6</sup>  
 “ corporeæ civitatis excubias vigilare præcepi, ut quasi  
 “ exteriorum hostium prævisores corpus ab exteriori  
 “ importunitate defenderent, ut sic totius corporis ma-  
 “ teria nobilioribus naturæ purpuramentis ornata, ad  
 “ nuptias gradiens, marito spiritui gratius jungeretur,  
 “ ne maritus suæ conjugis turpitudine fastiditus, ejus<sup>7</sup>  
 “ refutaret conjugia. Tuum etiam spiritum vitalibus  
 “ insignivi potentiis, ne corpore pauperior, ejus succes-  
 “ sibus invideret. Cui ingenialis virtutis destinavi  
 “ potentiam, quæ rerum venatrix subtilium in notitiæ  
 “ indaginem,<sup>8</sup> easdem intellectas concluderet. Cui etiam  
 “ rationis impressi signaculum, quæ suæ discretionis  
 “ ventilabro falsitatis inania a seriis veritatis secer-  
 “ nat.<sup>9</sup> Per me etiam memorialis tibi ancillatur po-  
 “ tentia,<sup>10</sup> quæ in suæ recordationis armario nobilem  
 “ censum<sup>11</sup> scientiæ thesaurizat. His ergo utrumque  
 “ beavi muneribus, ut neuter vel suam gerneret pau-  
 “ pertatem, vel de alterius affluentia quereretur.

<sup>1</sup> peregrinare, B.

<sup>2</sup> vicaria, omitted in B.

<sup>3</sup> materiam, B. M.

<sup>4</sup> ab, omitted in B.

<sup>5</sup> formarum honestavi vestibus, B.

<sup>6</sup> in eadem quasi, B.

<sup>7</sup> deformitatem fastidiens, M.

<sup>8</sup> indagine, B.

<sup>9</sup> discerneret, M.

<sup>10</sup> potentiam? B.

<sup>11</sup> sensum, B.

“ Sicut ergo præfatæ nuptiæ meo celebratæ sunt  
 “ consensu,<sup>1</sup> sic pro meo arbitrio eadem cassabatur  
 “ copula maritalis. Nec in te solo particulariter, ve-  
 “ rum etiam in<sup>2</sup> universis universaliter, meæ potentiæ  
 “ largitas elucescit. Ego illa sum quæ ad exemplarem  
 “ mundanæ machinæ similitudinem hominis exemplavi  
 “ naturam, vel turrim,<sup>3</sup> ut in ea velut in speculo ipsius  
 “ mundi conscripta<sup>4</sup> Natura compareat.<sup>5</sup> Sicut enim  
 “ quatuor elementorum concors discordia, unica plu-  
 “ ralitas, consonantia dissonans, consensus dissentiens,  
 “ mundialis regię structuras conciliat, sic quatuor  
 “ complexionum compar disparitas, inæqualis æqualitas,  
 “ deformis conformitas, diversa identitas,<sup>6</sup> ædificium  
 “ corporis humani compaginat. Et quæ qualitates inter  
 “ elementa mediatrices conveniunt, hæ eadem inter  
 “ quatuor humores pacis sanciant firmitatem. Et<sup>7</sup>  
 “ sicut contra ratam firmamenti volutionem motu  
 “ contradictorio exercitus militat planetarum, sic in  
 “ homine sensualitatis rationisque continua reperitur  
 “ hostilitas. Rationis enim motus, ab ortu cœlestium  
 “ oriens, per occasum pertransiens terrenorum, cœlestia  
 “ considerando regyratur in cœlum. Econtrario vero,  
 “ sensualitatis motus planetici<sup>8</sup> erratici contra rationis  
 “ firmamentum, in terrestrium occidentem, obliquando  
 “ labuntur. Hæc igitur, sensualitas, mentem<sup>9</sup> humanam  
 “ in vitiorum occasum deducit, ut occidat; illa, i. ratio,  
 “ orientem,<sup>10</sup> ad serenitatem virtutum ut oriatur invitat.  
 “ Ista enim, sensualitas, hominem<sup>11</sup> in bestiam degene-  
 “ rando transmutat; illa, scilicet ratio, hominem<sup>12</sup> in  
 “ deum potentialiter transfigurat. Hæc, ratio, contempla-

<sup>1</sup> meo sunt celebratæ consensu, B.

<sup>2</sup> particulariter, sed in, B.

<sup>3</sup> vel turrim, omitted in B.

<sup>4</sup> scripta, B. M.

<sup>5</sup> appareat, M.

<sup>6</sup> idemmitas, B. divisi identitas,  
M.

<sup>7</sup> De ratione et sensualitate. Ru-  
bric in A.

<sup>8</sup> planecia, B.

<sup>9</sup> Hæc mentem, B. M.

<sup>10</sup> hæc in orientem, omitting i. ra-  
tio, B.

<sup>11</sup> Ista hominem, B. M.

<sup>12</sup> Illa hominem, B.

“ tionis lumine <sup>1</sup> mentis noctem illuminat. Hæc, scilicet  
 “ sensualitas, concupiscentiæ nocte mentis lumen elumi-  
 “ nat. Ista, i. ratio, hominem <sup>2</sup> disputare facit <sup>3</sup> cum  
 “ angelis. Illa, s. sensualitas, eundem <sup>4</sup> cogit debacchari  
 “ cum brutis. Illa, i. ratio, in exilio <sup>5</sup> docet hominem  
 “ patriam invenire. Illa, scilicet sensualitas, in patria  
 “ cogit hominem <sup>6</sup> exulare. Nec in hac re hominis na-  
 “ tura me propter dispensationis potest ordinem accu-  
 “ sare.<sup>7</sup> De rationis enim concilio tale contradictionis  
 “ duellum inter hos pugiles ordinavi, ut si, in hac  
 “ disputatione, ad redargutionem poterit sensualita-  
 “ tem <sup>8</sup> ratio inclinare, antecedens victoria præmio <sup>9</sup>  
 “ consequente non careat. Præmia enim victoriis  
 “ comparata cæteris muneribus <sup>10</sup> pulchrius elucescunt.  
 “ Munera enim empta laboribus jocundius omnibus  
 “ clarescunt <sup>11</sup> gratuitis. Majoris enim <sup>12</sup> laudis præ-  
 “ conia meretur, <sup>13</sup> qui laborando minus <sup>14</sup> recipit, quam  
 “ qui plus recipit <sup>15</sup> otiando. Labor enim antecedens,  
 “ quamdam consequenti præmio infundens dulcedinem,  
 “ majori favore præmiat laborantem. In his ergo  
 “ amplioribusque Naturæ <sup>16</sup> muneribus, mundus in ho-  
 “ mine suas invenit qualitates. Attende qualiter in  
 “ hoc mundo, velut in nobili civitate, quodam <sup>17</sup> rei-  
 “ publicæ majestatis moderamine ratio sancitur. In  
 “ cœlo, <sup>18</sup> velut in arce civitatis humanæ, imperialiter  
 “ residet Imperator æternus, a quo æternaliter exiit  
 “ edictum, ut singularum rerum notitiæ in suæ pro-  
 “ videntiae libro scribantur. In aere vero, velut in

<sup>1</sup> *Hæc contemplationis lumine, B.*

<sup>2</sup> *Ista hominem, B.*

<sup>3</sup> *facit disputare, B.*

<sup>4</sup> *Illa eundem, B.*

<sup>5</sup> *Ista in exilio, B.*

<sup>6</sup> *Illa in patria hominem cogit, B.*

<sup>7</sup> *Nec in hac re hominis natura  
meæ dispensationis potest ordinem  
accusare, B. M.*

<sup>8</sup> *sensualitatis poterit, B.*

<sup>9</sup> *Præmii ratio, B. M.*

<sup>10</sup> *virtutibus, B.*

<sup>11</sup> *elucescunt, B. M.*

<sup>12</sup> *etenim, B.*

<sup>13</sup> *meretur præconia, B. M.*

<sup>14</sup> *munus, B.*

<sup>15</sup> *quam qui repperit, B.*

<sup>16</sup> *Naturæ, omitted in A.*

<sup>17</sup> *quædam, B. M.*

<sup>18</sup> *in calo enim, B.*



“ urbis medio, cœlestis angelorum exercitus militans,<sup>1</sup>  
 “ administratione vicaria, suam homini adhibet diligen-  
 “ ter custodiam. Homo vero velut alienigena, habitans  
 “ in mundi suburbio, angelicæ militiæ obedientiam  
 “ non denegat exhibere. In hac ergo republica Deus  
 “ est imperans,<sup>2</sup> angelus operans, homo obtemperans.  
 “ Deus hominem imperando creat, angelus operando  
 “ procreat,<sup>3</sup> homo obtemperando se recreat. Deus rem  
 “ auctoritate disponit, angelus actione componit, homo  
 “ se res operantis voluntati supponit. Deus imperat  
 “ auctoritatis magisterio, angelus operatur actionis  
 “ ministerio, homo obtemperat regenerationis mys-  
 “ terio. Jam nimis nostræ ratiocinationis series<sup>4</sup>  
 “ evagatur, quem ad ineffabilem deitatis arcanum  
 “ tractatum audeat<sup>5</sup> attollere, ad cujus rei intelli-  
 “ gentiam nostræ mentis languescunt suspiria. Hujus  
 “ ergo ordinatissimæ reipublicæ in homine resultat  
 “ simulacrum. In arce enim capitis imperatrix sapien-  
 “ tia conquiescit, cui tanquam deæ cæteræ potentiæ  
 “ velut semideæ obsequuntur. Ingenialis potentia nam-  
 “ que potestasque logistica, virtus etiam præteritorum  
 “ recordativa, diversis in capitis<sup>6</sup> thalamis habitantes,  
 “ ejus fervescunt obsequio. In corde vero, velut in  
 “ medio civitatis humanæ, magnanimitas<sup>7</sup> suam collo-  
 “ cavit mansionem, quæ<sup>8</sup> sub prudentiæ principatu  
 “ suam professa militiam, prout ejusdem imperium  
 “ deliberat operatur. Renes vero, tanquam suburbia,  
 “ cupidinariis voluptatibus partem corporis largiuntur  
 “ extremam, quæ magnanimitatis<sup>9</sup> obviare non auden-  
 “ tes imperio, ejus obtemperant voluntati. In hac ergo  
 “ republica sapientia imperantis suscipit vicem, mag-  
 “ nanimitas operantis similitudinem, voluptas obtem-

<sup>1</sup> ministrans, M.

<sup>2</sup> temperans, B.

<sup>3</sup> procreat, omitted in A.

<sup>4</sup> rationis series, B.

<sup>5</sup> audeat, B. M.

<sup>6</sup> diversis capitis, B. M.

<sup>7</sup> Nature magnanimitatis, B.

<sup>8</sup> Quo, A.

<sup>9</sup> magnanimitati, A.

“ perantis usurpat imaginem. In aliis etiam humani  
 “ corporis partibus, mundi figuratur effigies. Sicut enim  
 “ in mundo solaris caloris beneficium rebus medetur<sup>1</sup>  
 “ languentibus, sic in homine calor a cordis funda-  
 “ mento procedens, humani corporis partes<sup>2</sup> vivificando  
 “ exhilarat. Sicut enim luna in machina mundiali mul-  
 “ torum humorum mater existit, sic hepar in homine<sup>3</sup>  
 “ membris humorem impartitur conformem. Et sicut  
 “ luna, solis lumine defraudata, languescit, sic vivi-  
 “ ficante cordis solatio virtus hepatis viduata torpescit.  
 “ Et sicut solis absentatione, aer obscuritate vestitur,  
 “ sic, sine cordis beneficio, vitalis potentia spirat  
 “ inaniter. Præter hæc vide qualiter mundus variis  
 “ temporum protheatur<sup>4</sup> successibus, nunc veris lascivit  
 “ infantia, nunc ætatis juventute progreditur; nunc  
 “ virilitate maturescit autumnii, nunc hiemis senec-  
 “ tute canescit. Compar vicissitudo temporis eadem-  
 “ que varietas hominis immutat ætatem. Cum enim  
 “ humanæ naturæ ætatis Aurora consurgit, ver homi-  
 “ num<sup>5</sup> oritur matutinum; cumque vitæ curriculum  
 “ metas ætatis perficit longiores, homo juventutis meri-  
 “ diatur ætate. Sed cum vita prolixior, quasi nonam  
 “ ætatis horam compleverit, homo in autumnum viri-  
 “ litatis evadit. Ætate quoque in<sup>6</sup> occidens inclinata,  
 “ jam vitæ vesperam senio nuntiante hiemale gelici-  
 “ dium senectutis, hominem suis cogit albicare pruinis.  
 “ In his omnibus, meæ potentiæ ineffabiliter resultat  
 “ effectus; sed tamen plerisque meæ potestatis faciem  
 “ palliare decrevi figuris, defendens a vilitate secretum,  
 “ ne si eis de me familiarem impartirem scientiam,  
 “ quæ apud eos primitus ignorata<sup>7</sup> pretiosa vigeant,  
 “ postmodum jam mota<sup>8</sup> vilescerent. Ut enim vulgare  
 “ testatur proverbium, Familiaris rei communicatio con-

<sup>1</sup> medicatur, B. M.

<sup>2</sup> partem, B.

<sup>3</sup> in hominem, B.

<sup>4</sup> protheatus, B.

<sup>5</sup> homini, B.

<sup>6</sup> Ætateque in, B. M.

<sup>7</sup> ignota, B. M.

<sup>8</sup> nota, B. M.

“ temptus mater existit. Aristotelicæque auctoritatis  
 “ tuba proclamat, quod ille majestatem minuit secre-  
 “ torum, qui secreta indignis divulgat. Sed<sup>1</sup> ne in  
 “ hac meæ potestatis prærogativa Deo videar quasi  
 “ arrogans derogare, certissime<sup>2</sup> Summi Magistri me  
 “ humilem profiteor esse discipulam.<sup>3</sup> Ego enim operans  
 “ operantis Dei non valeo expresse inhærere vestigiis ;  
 “ sed a longe, quasi suspirans, operantem respicio.  
 “ Ejus operatio simplex, mea operatio multiplex ;  
 “ ejus opus sufficiens, meum opus deficiens ;<sup>4</sup> ejus  
 “ opus mirabile, meum opus mutabile ; ille innasci-  
 “ bilis, ego nata ; ille faciens, ego facta ;<sup>5</sup> ille mei  
 “ opifex operis, ego opus opificis. Ille operatur ex  
 “ nihilo, ego opus mendico<sup>6</sup> ex aliquo. Ille suo opera-  
 “ tur numine,<sup>7</sup> ego operor illius sub nomine. Ille rem  
 “ solo nutu jubet<sup>8</sup> existere, mea vero operatio opera-  
 “ tionis est nota divinæ, et respectu divinæ potentia  
 “ meam potentiam impotentem esse cognoscas. Meum  
 “ effectum scias esse defectum, meum vigorem vilitatem  
 “ esse perpendas. Auctorem<sup>9</sup> theologicæ consule facul-  
 “ tatis, cujus fidelitati, potius quam mearum rationum  
 “ firmitati, dare debes assensum. Juxta enim fidele  
 “ ejus<sup>10</sup> testimonium, homo mea actione nascitur, Dei  
 “ auctoritate renascitur. Per me, a non esse vocatur  
 “ ad esse ;<sup>11</sup> per ipsum, ab esse in melius esse perdu-  
 “ citur. Per me enim homo procreatur ad mortem,  
 “ per ipsum recreatur ad vitam. Sed ab hoc secundæ  
 “ nativitatis mysterio professionis meæ<sup>12</sup> mysterium ab-  
 “ legatur ; nec talis nativitas tali indiget<sup>13</sup> obstetrice ;

<sup>1</sup> *Natura recognoscit Deum sui effectus causam primariam.* Rubric in A.

<sup>2</sup> *certe,* A.

<sup>3</sup> *discipulum,* B.

<sup>4</sup> *meum insufficiens,* B.

<sup>5</sup> *ego facta, ille faciens,* B.

<sup>6</sup> *mendico opus,* B. M.

<sup>7</sup> *ille suo operatur in numine,* B. nomine, M.

<sup>8</sup> *solo jubet,* B.

<sup>9</sup> *auctoritatem,* B. M.

<sup>10</sup> *Juxta enim ipsius fidele,* B. M.

<sup>11</sup> *Per me ante esse revocatur ad esse,* B.

<sup>12</sup> *meæ professionis,* B. M.

<sup>13</sup> *nec talis nativitatis tali indigo,* B.

“ sed potius ego Natura hujus nativitatis naturam  
 “ ignoro; et ad hæc intelligenda mei intellectus hebet  
 “ acumen, meæ rationis confunditur lumen. Intelli-  
 “ gentia enim non intellecta miratur<sup>1</sup>; in sensibilibus  
 “ sensus confunditur; et cum omnis in his<sup>2</sup> naturalium  
 “ rerum ratio languescat,<sup>3</sup> sola fidei firmitate tantæ  
 “ rei<sup>4</sup> veneremur arcanum. Nec mirum, si in his  
 “ theologia suam mihi<sup>5</sup> familiaritatem non exhibet,  
 “ quoniam in plerisque non adversa sed diversa sen-  
 “ timus. Ego ratione fidem, ipsa<sup>6</sup> fide comparat ratio-  
 “ nem. Ego scio ut credam; illa credit ut sciat. Ego  
 “ consentio,<sup>7</sup> sciens, sed sentiens, illa sentit consentiens.<sup>8</sup>  
 “ Ego vix visibilia video; illa incomprehensibilia com-  
 “ prendit in speculo. Ego vix minima metior in-  
 “ tellectu; illa immensa ratione metitur. Ego quasi  
 “ bestialiter in terra deambulo; illa vero cælo militat  
 “ in secreto. Et cum de prædictis pertractare non sit  
 “ mei<sup>9</sup> officii, tamen ad hoc<sup>10</sup> sermonem evagari per-  
 “ misi, ut respectu superlativæ Dei potentiæ meam  
 “ potentiam diminutam esse non dubites. Sed quamvis  
 “ meus effectus divinæ potentiæ deficiat comparatus,  
 “ præpollet<sup>11</sup> tamen humanæ potentiæ cœquatus. Et  
 “ sic in quodam comparationis triclinio tres potestatis  
 “ gradus possumus invenire, ut, Dei potentia potentia  
 “ superlativa, naturæ comparativa, hominis positiva  
 “ dicatur. Hæc omnia sine omni scrupulo quæstionis  
 “ de me tibi familiarem largiuntur notitiam. Et ut  
 “ familiarius loquar, ego sum Natura, quæ meæ digna-  
 “ tionis munere te meæ competivi præsentia,<sup>12</sup> meisque  
 “ dignata sum beare colloquiis.”<sup>13</sup>

<sup>1</sup> *mutatur*, M.

<sup>2</sup> *in his omnis*, B.

<sup>3</sup> *languet*, B. M.

<sup>4</sup> *tantum rei*, B.

<sup>5</sup> *mihi suam*, B.

<sup>6</sup> *illa*, B. M.

<sup>7</sup> *consensio*, B.

*illa consentit sciens*, B.

<sup>9</sup> *mei non sit officii*, B.

<sup>10</sup> *ad hæc*, B. M.

<sup>11</sup> *proficit*, A.

<sup>12</sup> *præsentia competivi*, B. *præ-  
sentia competem feci*, M.

<sup>13</sup> *meoque sum dignata beare collo-  
quio*, B. M.

Cum<sup>1</sup> per hæc verba mihi Natura naturæ suæ faciem develaret, suaque admonitione<sup>2</sup> quasi clave præambula cognitionis suæ mihi januam reseraret, a meæ mentis confinio stuporis evaporat<sup>3</sup> nubecula. Et per hanc admonitionem, velut quodam potionis remedio, omnes phantasiæ reliquias quasi nauseus<sup>4</sup> stomachus mentis evomuit. A meæ igitur mentis<sup>5</sup> peregrinatione ad me reversus ex integro, ad Naturæ devolutus vestigia, salutationis vice ejus pedes osculorum multiplici impressione signavi. Postquam<sup>6</sup> me explicans erigendo, cum reverenti capitis humiliatione, velut majestati divinæ, ei voce viva salutationis obtuli<sup>7</sup> libamentum. Consequenter vero ad excusationis asylum<sup>8</sup> confugiens, precibus humilitatis melle conditis, ejus benevolentiam exorabam, ne vel meæ temeritatis assignaret errori, vel indignationis supercilio deputeret, vel ingratitude venenis adscriberet, quod ejus adventui nullam festivitatis hilaritatem<sup>9</sup> persolveram. Sed potius ejus apparetia, velut monstruosi phantasmatis anormala<sup>10</sup> apparitione percussus, adulterina extasis morte fueram soporatus, dicens non esse mirandum si in tantæ divinitatis<sup>11</sup> præsentia me mortalitatis vultus expalluit,<sup>12</sup> si in tantæ majestatis meridie meæ discretionis radiolus in vesperem exorbitationis evanuit, si in tantæ felicitatis apparentia meæ parvitas infelicitatis erubuit,<sup>13</sup> cum humanæ fragilitatis<sup>14</sup> ignorantia tenebrosa caligo, admirationis impotens hebetudo, frequensque stuporis concussio, quodam germanitatis fœdere socientur, ut ex horum sociali contubernio humanæ naturæ

<sup>1</sup> *Excusatio Alani ad Naturam.*  
Rubric in A. *Qualiter Natura Alanum suscitavit timide jacentem,* B.

<sup>2</sup> *suamque admonitionem,* M.

<sup>3</sup> *evaporavit,* A.

<sup>4</sup> *quasi nauseans,* B.

<sup>5</sup> *A meæ mentis igitur,* B. M.

<sup>6</sup> *Tum me,* M.

<sup>7</sup> *optuli,* B.

<sup>8</sup> *auxilium,* M. *asilum, i. remedium.* Gloss in A.

<sup>9</sup> *hilaritatis festivitatem,* B. M.

<sup>10</sup> *anomala,* M.

<sup>11</sup> *tantæ deitatis,* B. *dignitatis,* M.

<sup>12</sup> *meæ umbra mortalitatis expalluit,* B. M.

<sup>13</sup> *eripuit,* B.

<sup>14</sup> *fragilitati,* B.

fragilitas, sit quasi discipulus a disciplinante convictus, suorum mores informante, in novorum primitiis, in magnorum stipendiis<sup>1</sup> et ignorantia tenebrari, et stupore percuti et admiratione semper solet vulnerari. Dum hæc excusationis via reginæ auditum mihi pararet favorabilem, ejusque gratiam favorabilius mereretur, insuper mihi compararet audiendi majora fiduciam, quoddam<sup>2</sup> meæ dubitationis ambiguum, quod<sup>3</sup> nimix inquietationis impulsu meæ mentis conturbabat hospitium, ejus exponens examini, in hæc verba quæstionis exivi.<sup>4</sup>

“ O Dei proles, genetrixque rerum,  
Vinculum mundi, stabilisque nexus,  
Gemma terrenis, speculum caducis,  
Lucifer orbis.

Pax, amor, virtus, regimen, potestas,  
Ordo, lex, finis, via, lux,<sup>5</sup> origo,  
Vita, laus,<sup>6</sup> splendor, species, figura,  
Regula mundi.

Quæ, tuis mundum moderans habenis,  
Cuncta concordi stabilita nodo  
Nectis, et pacis glutino maritas  
Cœlica terris.

Quæ noys puras recolens ideas,  
Singulas rerum species monetas,  
Rem togans forma, chlamidemque formæ  
Pollice formas.<sup>7</sup>

Cui favet cœlum, famulatur aer,  
Quam colit tellus, veneratur unda,  
Cui velut mundi dominæ tributum  
Singula solvunt.

<sup>1</sup> *stipendiis*, B.

<sup>2</sup> *cujusdam*, B. M.

<sup>3</sup> *quem*, B.

<sup>4</sup> *Exclamatio ad Naturam*. Ru-

bric in A. *Qualiter invocat Allanus Naturam*, B.

<sup>5</sup> *via, dux*, B. M.

<sup>6</sup> *lux*, B. M.

<sup>7</sup> *formans*, B.

Quæ diem nocti vicibus catenans,  
 Cereum solis tribuis diei,  
 Lucido lunæ speculo soporans  
 Nubila noctis.

Quæ polum stellis variis inauras,  
 Ætheris nostri solium serenans ;  
 Siderum gemmis, varioque cœlum  
 Milite complens.

Quæ novis cœli faciem figuris  
 Protheans mutas, animumque<sup>1</sup> vulgus  
 Aeris nostri regione donans,<sup>2</sup>  
 Legeque stringis.

Cujus ad nutum juvenescit orbis,  
 Silva crispatur folii capillo,  
 Et sua<sup>3</sup> florum tunicata veste  
 Terra superbit.

Quæ minas ponti sepelis, et auges,  
 Syncopans cursum pelagi furoris,<sup>4</sup>  
 Ne soli tractum<sup>5</sup> tumulare possit  
 Æquoris æstus.

Tu mihi<sup>6</sup> causam resera petenti,  
 Cur petis terras, peregrina cœlis?  
 Cur tuæ nostris deitatis offers  
 Munera terris?

Ora cur fletus pluvia rigantur?  
 Quid tui vultus lacrimæ prophetant?  
 Fletus interni satis est doloris  
 Lingua fidelis.”

Præfata<sup>7</sup> igitur virgo hujus quæstionis solutionem  
 in vestibulo excubare demonstrans, ait: “An ignoras  
 “ quod terreni orbis exorbitatio, quod mundani ordinis

<sup>1</sup> *aridumque vulgus*, M.

<sup>2</sup> *donas*, B.

<sup>3</sup> *tua*, M.

<sup>4</sup> *furori*, B. M.

<sup>5</sup> *vultum*, A.

<sup>6</sup> *Tu via*, B. M.

<sup>7</sup> *Qualiter Natura ad questiones  
 respondet Allani, etc.* Rubric in B.

" inordinatio, quod curiæ incuria,<sup>1</sup> quod juris injuria,  
 " ab internis<sup>2</sup> penetralibus cœlestis arcani in vulgaria  
 " terrenorum lupanaria me declinare coegit? Si in  
 " affectuoso<sup>3</sup> mentis affectu colligere, et in pectoris  
 " armario thesaurizare velles quod dicerem, tuæ dubita-  
 " tionis labyrinthum evolverem." Ad hæc ego, sub cas-  
 " tigato vocis moderamine, responsionis reddidi talionem.  
 " Nihil," inquam, " O regina cœlestis,<sup>4</sup> affectuosiori  
 " desiderio quam hujus quæstionis enodationem esurio."  
 Tunc illa: " Cum omnia lege sui<sup>5</sup> originis meis legibus  
 " teneantur,<sup>6</sup> mihi que debeant jus statuti vectigalis  
 " persolvere, fere omnia per modum<sup>7</sup> tributarii juris  
 " exhibitione legitima meis edictis regulariter obse-  
 " quuntur; sed ab hujus universitatis regula solus  
 " homo anormala exceptione excluditur. Qui trabea  
 " pudoris<sup>8</sup> denudatus, impudicitiaque<sup>9</sup> meretricali  
 " prostibulo prostitutus, non solum<sup>10</sup> in suæ dominæ  
 " majestatem litis audet excitare tumultum, verum<sup>11</sup>  
 " etiam in matrem intestini belli rabiem inflammare.  
 " Cætera vero quibus<sup>12</sup> meæ gratiæ humiliora munera  
 " commodavi, per suarum professionum conditionem  
 " subjectione voluntaria meorum decretorum sanctio-  
 " nibus alligantur. Homo autem<sup>13</sup> qui fere totum divi-  
 " tiarum mearum<sup>14</sup> exhaustit ærarium, naturæ naturalia  
 " denaturare pertemptans, in me scelestæ<sup>15</sup> Veneris  
 " armat injuriam. Attende<sup>16</sup> quomodo fere quælibet,  
 " juxta mei promulgationem edicti, prout ratio nativæ  
 " conditionis expostulat, mihi juris statuta persolvant.  
 " Firmamentum cotidiana circuitione<sup>17</sup> circumagens uni-

<sup>1</sup> *quod mundialis curiæ incuria*, B. M.

<sup>2</sup> *internis*, omitted in B.

<sup>3</sup> *si affectuoso mentis*, B.

<sup>4</sup> *cœlestius*, B.

<sup>5</sup> *sua*, B. M.

<sup>6</sup> *teneantur obnoxia*, B. M.

<sup>7</sup> *per modum*, omitted in B. M.

<sup>8</sup> *pudoris trabea denudatus*, B. M.

<sup>9</sup> *impudiciem*, B.

<sup>10</sup> *non solum*, omitted in B. M.

<sup>11</sup> *immo*, M.

<sup>12</sup> *Cætera quibus*, B. M.

<sup>13</sup> *Homo vero*, B. M.

<sup>14</sup> *mearum divitiarum*, B.

<sup>15</sup> *solæcistica*, A.

<sup>16</sup> *Omnia obediunt Naturæ homine excepto*. Rubric in A.

<sup>17</sup> *circuitione*, B.



“ versa juxta meæ doctrinæ disciplinam<sup>1</sup> non nugatoria,  
 “ volutionis identitate, unde procedit regreditur, et  
 “ quo vadit progreditur. Stellæ vero ad ipsius firma-  
 “ menti honorem fulgurantes,<sup>2</sup> ipsum suis ornatibus  
 “ vestiendo, breves sui itineris dietas explendo,<sup>3</sup> varia  
 “ gyratione ejusdem spatia metiando,<sup>4</sup> meæ militant  
 “ majestati. Planetæ vero, prout a dispositionis meæ  
 “ exivit edictum, firmamenti impetum refrenantes, ad  
 “ ortum nisu contrario peregrinant, postque ad sui<sup>5</sup>  
 “ occasus regionem repatriant. Aer itaque<sup>6</sup> meis dis-  
 “ ciplinatus doctrinis, nunc aura benevola gratulatur,  
 “ nunc nubium fletibus quasi compatiens lacrimatur,  
 “ nunc corrixationibus ventorum irascitur, nunc toni-  
 “ truum minaci rugitu concutitur,<sup>7</sup> nunc elibano calor  
 “ decoquitur, nunc austeritate frigoris asperatur. Aves  
 “ vero variis sigillatæ naturis meæ directionis regi-  
 “ mine, sub alarum remigio fluxus aeris<sup>8</sup> transfre-  
 “ tantes, præcordialiter meis inhiant disciplinis. Meæ  
 “ mediationis interventu æquor terræ firmis amicitiae  
 “ nexibus glutinatum, conjuratæ fidei sacramenta<sup>9</sup> so-  
 “ rori violare non audens, ultra diffinitæ evagationis  
 “ terminum in terræ domicilia evagari formidat. Ad  
 “ meæ tamen voluntatis arbitrium, nunc tempestatis  
 “ stomachatur in iram,<sup>10</sup> nunc in tranquillitatis pacem  
 “ revertitur, nunc elatum tumoris superbia in montis  
 “ evadit imaginem, nunc in æquatam lineatur planitiem.  
 “ Pisces vero, voto meæ professionis<sup>11</sup> astricti, reformi-  
 “ dant mearum canonibus regularum<sup>12</sup> derogare. Meæ  
 “ etiam edictionis imperio, quodam imperiali amplexu,<sup>13</sup>  
 “ terris pluviae maritantur. Quæ prolis laborantes ad

<sup>1</sup> *meæ disciplinæ doctrinam*, B. M.

<sup>2</sup> *fulgurantes honorem*, B. M.

<sup>3</sup> *explentes*, B. M.

<sup>4</sup> *metientes*, B. *metienda*, M.

<sup>5</sup> *suum*, B. M.

<sup>6</sup> *Aer vero*, B.

<sup>7</sup> These five words are omitted in

A. *minaci rugitu*, M.

<sup>8</sup> *aeris*, omitted in B.

<sup>9</sup> *sacramentum*, B. M.

<sup>10</sup> *nunc stomachatur*, *nunc*, B.

<sup>11</sup> *meæ visionis*, M.

<sup>12</sup> *regularum canonibus*, B. M.

<sup>13</sup> *complexu*, B. M.

“ fabricam, indefessa parturitione, varias rerum species  
 “ parentare non desinunt. Terrestria vero animalia, sub  
 “ meæ dispositionis examine, diversas suorum obse-  
 “ quiorum non imperio profitentur militias. Terra  
 “ etiam nunc pruinarum<sup>1</sup> albescit canitie, nunc florum  
 “ crinitur cæsarie. Silva vero, nunc frondium crinibus  
 “ capillatur, nunc acuta hiemis novacula decalvatur.  
 “ Hiems etiam semina sepulta in gremio matris terræ<sup>2</sup>  
 “ inviscerat, ver inclusa excarcerat, æstas decoquit  
 “ messes, autumnus suas exhibet ubertates. Et quid  
 “ per singula meæ narrationis curriculum evagari per-  
 “ mitterem? Solus homo meæ modulationis citharam  
 “ aspernatur, et sub delirantis Orphei lyra delirat. Hu-  
 “ manum namque genus a sua generositate degenerans,  
 “ in conjunctione generum barbarizans, Venereas regu-  
 “ las invertendo<sup>3</sup> nimis irregulari utitur metaplasmo.<sup>4</sup>  
 “ Sicque homo a Venere tiresiatus anomala, directam  
 “ prædicationem in contrapositionem inordinate con-  
 “ vertit. A Veneris ergo<sup>5</sup> orthographia recedens,<sup>6</sup>  
 “ sophista falsigraphus invenitur. Consequentem ergo<sup>7</sup>  
 “ Dioneæ artis analogiam devitans, in anastrophem  
 “ vitiosam degenerat. Dumque in tali quæstione me  
 “ destruit, et in sua phrænesi mihi themesim machi-  
 “ natur. Pœnitet me, tot venustatum prærogativis  
 “ hominum plerumque privilegiasse naturas, qui decoris  
 “ decus abusione dedecorant, qui formæ formositatem  
 “ Venerea deformitate deformant; qui pulchritudinis  
 “ colorem fuco, adulterini cupidinis colore, decolorant,  
 “ qui etiam Floræ florem in vitia efflorendo,<sup>8</sup> deflo-  
 “ rant. Cur decore deifico vultum deificavi Tynda-  
 “ ridis, quæ<sup>9</sup> pulchritudinis usum in meretricationis  
 “ abusum abire coegit, dum regalis thori fœdus defœ-

<sup>1</sup> *brumali canitie*, M.

<sup>2</sup> *in gremio terræ matris*, B. M.

<sup>3</sup> *inmutando*, M.

<sup>4</sup> *i. deceptus*. Gloss in A.

<sup>5</sup> *igitur*, B. M.

<sup>6</sup> *homo devianando recedens*, B.

<sup>7</sup> *etiam*, B. M.

<sup>8</sup> *efflorande*, B.

<sup>9</sup> *vultum deificavit Tyndaridis*, B.

“ derans, fœde se Paridis fœderavit? Pasiphae etiam  
 “ hyperbolicæ<sup>1</sup> Veneris furiis agitata, sub facie bovis  
 “ sophisticæ cum bruto bestiales nuptias<sup>2</sup> concelebrans,  
 “ paralogismo<sup>3</sup> sibi turpiori concludens, stupendo bovi  
 “ conclusit sophismate. Myrrha etiam, Myrrhitæ Cy-  
 “ pridis<sup>4</sup> aculeis stimulata, in patris dilectione<sup>5</sup> a filiae  
 “ amore degenerans, cum patre matris exercuit ac ex-  
 “ emplavit officium.<sup>6</sup> Medea vero, proprio filio nover-  
 “ cata, ut inglorium Veneris opus construeret,<sup>7</sup> glorio-  
 “ sum Veneris destruxit opusculum. Narcissus etiam,  
 “ sui umbra alterum mentita Narcissum, umbratiliter  
 “ occupatus,<sup>8</sup> seipsum credens esse alterum se, de se  
 “ sibi amoris incurrit periculum. Multi etiam alii  
 “ juvenes, mei gratia pulchritudinis honore vestiti, si<sup>9</sup>  
 “ debriati amore pecuniæ, suos Veneris malleos in incu-  
 “ dum transtulerunt officium. Talis<sup>10</sup> monstruosorum<sup>11</sup>  
 “ hominum multitudo totius orbis amplitudine diges-  
 “ sorie degrassatur, quorum fascinante contagio, ipsa  
 “ castitas venenatur. Eorum siquidem hominum qui  
 “ Veneris profitentur grammaticam, alii solummodo  
 “ masculinum, alii femininum, alii commune, sive genus  
 “ promiscuum, familiariter amplexantur. Quidam vero,  
 “ quasi hetrocliti genere, per hiemem in feminino, per  
 “ æstatem in masculino genere, irregulariter declinan-  
 “ tur. Sunt qui, in Veneris logica disputantes, in con-  
 “ clusionibus suis subjectionis prædicationisque legem  
 “ relatione mutua sortiuntur. Sunt qui vicem<sup>12</sup> ge-  
 “ rentes suppositi, prædicari non norunt. Sunt qui  
 “ solummodo prædicantes, subjecti termini subjectionem  
 “ legitimam non attendunt. Alii etiam<sup>13</sup> Diones regiam

<sup>1</sup> *hyperbolicæ, i. excessivæ.* Gloss  
in A.

<sup>2</sup> *nuptias bestiales,* B.

<sup>3</sup> *palogismo,* B.

<sup>4</sup> *Cupidinis,* M.

<sup>5</sup> *dulcore,* M.

<sup>6</sup> *matris exemplavit officium,* B. M.

<sup>7</sup> *quæreret,* M.

<sup>8</sup> *obumbratus,* A.

<sup>9</sup> *siti,* B.

<sup>10</sup> *Hic tangitur materia propter  
quam composuit hunc librum.* Ru-  
bric in A.

<sup>11</sup> *menstruosorum,* B.

<sup>12</sup> *Sunt qui vicem,* B. M.

<sup>13</sup> *Alii autem,* M.

“ ingredi dedignantur, sub ejusdem vestibulo ludum  
 “ lacrimabilem<sup>1</sup> commentantur.<sup>2</sup> Contra hos omnes  
 “ conqueruntur jura, leges armantur, et<sup>3</sup> ultore gladio  
 “ suas affectant injurias vindicari. Non igitur mireris,  
 “ si in has verborum profanas exeo novitates, cum  
 “ profani homines<sup>4</sup> audeant debacchari. Talia enim  
 “ indignanter eructo<sup>5</sup> ut pudici homines pudoris cha-  
 “ racterem<sup>6</sup> reveantur. Impudici vero ab impudi-  
 “ citiæ lupanaribus commerciis arceantur. Mali enim  
 “ cognitio expediens est ad cautelam, quæ culpabiles  
 “ nota inverecundiæ cauteriatos puniat et cautelæ arma-  
 “ tura immunes præmuniat. Jam etenim meæ<sup>7</sup> solu-  
 “ tionis lima tuæ quæstionis scrupulum eliminavit. Ideo  
 “ enim a supernis cœlestis regiæ secretariis egrediens,  
 “ ad hujus caducæ terrenitatis occasum deveni, ut de  
 “ execrabilibus hominum excessibus tecum, quasi cum  
 “ familiari<sup>8</sup> et secretario meo, querimoniale lamentum  
 “ deponerem, tecumque decernerem, tali criminum oppo-  
 “ sitioni qualis debet dari pœnæ<sup>9</sup> responsio, ut præ-  
 “ dictorum facinorum morsus cœquata punitio, pœnæ  
 “ talionem remordeat.” Tunc ego, “ O rerum omnium  
 “ moderatrix,<sup>10</sup> nisi vererer mearum quæstionum copia  
 “ tuæ benevolentiae fastidium provocare, alterius meæ  
 “ dubitationis tenebras luci tuæ discretionis expo-  
 “ nerem.” Tunc illa: “ Immo omnes tuas quæstiones,  
 “ non solum adolescentes, verum etiam vetustatis an-  
 “ tiquatas rubigine, audientiae nostræ communices, ut  
 “ nostrarum solutionum stabili firmitate, tuarum dubi-  
 “ tationum tranquilletur impulsus.”

Tunc ego:<sup>11</sup> “ Miror cur poetarum commenta per-  
 “ tractans, solummodo in humani generis pestes præ-

<sup>1</sup> *lacrimabile*, B.

<sup>2</sup> *committantur*, M.

<sup>3</sup> *cum*, M.

<sup>4</sup> *homines profanius*, B.

<sup>5</sup> *emunctuo*, B.

<sup>6</sup> *carrecterem*, B.

<sup>7</sup> *Jam meæ*, B.

<sup>8</sup> *quasi cum familiari*, B.

<sup>9</sup> *debeat pœna dari*, B.

<sup>10</sup> *modulatrix*, B. *mediatrix*, M.

<sup>11</sup> *Quæstio, de poetarum figmentis.*

Rubric in A.

“ dictarum invectionum armas aculeos, cum et eodem  
 “ exorbitationis pede deos claudicasse legamus. Jupi-  
 “ ter enim adolescentem Phrygium transferens ad  
 “ superna, relativam Venerem transtulit in translatum.  
 “ Et quem in mensa per diem propinandi sibi præ-  
 “ fecit præpositum,<sup>1</sup> in toro per noctem sibi fecit sup-  
 “ positum. Bacchus etiam et Apollo, paternæ cobæ-  
 “ redes lasciviæ, non divinæ virtutis imperio, sed  
 “ supersticiosæ Veneris præstigio, verterunt in feminas,  
 “ pueros mentiendo.”

Tunc illa, authenticæ serenitatis vultum vultus tu-  
 multuose figurans,<sup>2</sup> ait: “ An interrogationem, quæ  
 “ nec dubitationis<sup>3</sup> faciem digna est usurpare, quæ-  
 “ stionis quærendo vestis imagine, an umbratilibus  
 “ poetarum figmentis, quæ artis poeticæ depinxit in-  
 “ dustria, fidem adhibere conaris? Nonne ea quæ in  
 “ puerilibus cunis poeticæ disciplinæ discuntur, altioris  
 “ discretionis<sup>4</sup> lima, sanior philosophiæ tractatus elimi-  
 “ nat? An ignoras quomodo poetæ, sine omni pallia-  
 “ tionis remedio, auditoribus nudam falsitatem prosti-  
 “ tuunt, ut quadam mellitæ<sup>5</sup> delectationis dulcedine  
 “ velut incantatas audientium aures inebrient? Aut  
 “ ipsam falsitatem quadam probabilitatis hypocrisi  
 “ palliant, ut per exteriorum imagines<sup>6</sup> animos homi-  
 “ num<sup>7</sup> inhonestæ morigerationis incude sigillent? Aut  
 “ in superficiali litteræ cortice falsum resonet<sup>8</sup> lyra  
 “ poetica, interius vero auditoribus secretum intelli-  
 “ gentiæ altioris eloquitur, ut exterioris<sup>9</sup> falsitatis ab-  
 “ jecto putamine, dulciorem nucleum veritatis secrete  
 “ intus lector inveniat. Poetæ aliquando<sup>10</sup> historiales  
 “ eventus jocolationibus fabulosis, quasi<sup>11</sup> quadam ele-

<sup>1</sup> statuit, M. præpositum, B.

<sup>2</sup> authenticæ serenitatis vultum,  
 vultus vultuositate figurans, B. u. s.  
 vultum tumultuose figurans, M.

<sup>3</sup> dubietationis facie indigna, B.

<sup>4</sup> distinctionis, M.

<sup>5</sup> mellita, M.

<sup>6</sup> per exemplorum imagines, B.

<sup>7</sup> hominum animos, B.

<sup>8</sup> resonat, B. M.

<sup>9</sup> exteriori, B. exteriore, M.

<sup>10</sup> tamen aliquando, B.

<sup>11</sup> quasi, omitted in B. M.

“ ganti structura,<sup>1</sup> confœderant, ut ex diversorum  
 “ competenti junctura ipsius narrationis elegantior  
 “ pictura resultet. Sed tamen cum a poetis deorum  
 “ pluralitas somniatur, vel ipsi dii Venereis ferulis  
 “ manus subduxisse dicuntur, in his falsitatis umbra  
 “ lucescit. Nec in hoc poeta a suæ proprietatis genere  
 “ degenerare<sup>2</sup> invenitur. Cum enim jam<sup>3</sup> Epicuri  
 “ soporentur somnia, Manichæi sanetur insania, Aris-  
 “ totelis<sup>4</sup> arguantur argutiæ, Aarii<sup>5</sup> fallantur fallaciæ,<sup>6</sup>  
 “ unicam Dei unitatem ratio probat, mundus eloquitur,  
 “ fides credit, Scriptura testatur.<sup>7</sup> In quo nulla labe  
 “ invenitur, quem nulla vitii pestis aggreditur, cum  
 “ quo nullus temptationis motus congregitur. Hic  
 “ est splendor nunquam deficiens, vita indefesse non  
 “ moriens, fons semper scaturiens, seminale vitæ semi-  
 “ narium, sapientiæ principale principium, initiale boni-  
 “ tatis initium. Quid ergo, ut poetæ testati sunt, si  
 “ plerique<sup>8</sup> homines prædicamentalibus Veneris ter-  
 “ minis ad litteram sunt abusi? Narratio vero illa,  
 “ quæ vel deos esse, vel eos<sup>9</sup> in Veneris gymnasiis  
 “ lascivisse,<sup>10</sup> mentitur, et in nimie falsitatis vesperascit  
 “ occasum; istam<sup>11</sup> nube taciturnitatis obduxi, illam  
 “ vero in luce veræ<sup>12</sup> narrationis explicui.” Ad hæc ego:  
 “ Jam meam quæstionem, mater, agnosco redolere  
 “ nimie ruditatis infantiam,<sup>13</sup> sed si alia paupercula  
 “ quæstio, quæ mihi<sup>14</sup> spondet aliquantulam dignita-  
 “ tem, tuæ audientiæ auderet apparere<sup>15</sup> conspectui, a  
 “ te vellem quiddam conquerendo quærere, non quæ-  
 “ rendo.” Ad hæc illa: “ Nonne jampridem tibi<sup>16</sup> sine  
 “ omni meæ refrenationis obstaculo liberæ quærendi

<sup>1</sup> *sutura*, B. *fictura*, M.

<sup>2</sup> *genere degener*, B. M.

<sup>3</sup> *Cum enim Epicuri jam*, M.

<sup>4</sup> *Aristotolicæ*, B.

<sup>5</sup> *Arrarii*, B.

<sup>6</sup> *fallantur phallore*, B.

<sup>7</sup> *Unus est Deus*. Rubric in A.

<sup>8</sup> *sunt, plerique*, B. *sint*, M.

<sup>9</sup> *vel ipsos*, B. M.

<sup>10</sup> *latuisse*, M.

<sup>11</sup> *ista*, B. *ideo ista*, M.

<sup>12</sup> *illa vero in lucem veræ*, B.

<sup>13</sup> *infamiam*, B. *favillam*, M.

<sup>14</sup> *quæ tamen mihi*, B.

<sup>15</sup> *comparere a te*, B.

<sup>16</sup> *tibi*, omitted in B.

“ habenas exposui?” Tunc ego “Miror cur quædam  
 “ tuæ tunicæ portiones, quæ texturæ matrimonii de-  
 “ berent esse confines, in ea parte suæ conjunctionis  
 “ patiantur divortia, in qua hominis imaginem picturæ  
 “ repræsentant insomnia.” Tunc illa: “Jam ex præ-  
 “ libatis potes elicere quid mystice<sup>1</sup> figuret scissuræ  
 “ figurata parenthesis. Cum enim, ut prædicimus,  
 “ plerique homines in suam matrem vitiorum armentur  
 “ injuriis, inde inter se et ipsam maximum chaos  
 “ dissentionis firmantes, in me violentas manus vio-  
 “ lenter injiciunt, et mea sibi particulatim vestimenta  
 “ diripiunt, et quam reverentiæ deberent<sup>2</sup> honore  
 “ vestire, me vestibus orphanatam, quantum in ipsis  
 “ est, cogunt meretricialiter<sup>3</sup> lupanare. Hoc autem<sup>4</sup>  
 “ integumentum hac scissura depingitur, quia solius  
 “ hominis injuriosis insultibus mea pudoris ornamenta  
 “ discidii contumelias patiuntur.” Tunc ego: “Jam  
 “ mearum dubitationum fluctus, tuarum solutionum  
 “ serenitate sedati, meæ menti interpellandi largiuntur  
 “ inducias. Sed si tuo placeret affectui,<sup>5</sup> affectuose  
 “ affectarem agnoscere,<sup>6</sup> quæ irrationabilis<sup>7</sup> ratio, quæ  
 “ indiscreta discretio, quæ indirecta dilectio, ita in  
 “ homine obdormire coegit rationis scintillulam, ut homo  
 “ lethæo sensualitatis poculo debriatus, non solum in  
 “ tuis legibus apostata fieret, verum etiam tuas leges  
 “ illegitime debellaret?” Tunc illa: “Si sementitiam<sup>8</sup>  
 “ hujus pestis originem velis agnoscere, altius mentis  
 “ accenderes<sup>9</sup> igniculum, appetentius intelligendi re-  
 “ peres appetitum.<sup>10</sup> Hebetudinem<sup>11</sup> ingenii depellat  
 “ subtilitas, cogitationum fluctus attentionis compescat  
 “ stabilitas. Ab altiori enim sumens initium excellen-  
 “ tiorique stylo, meæ volens seriem narrationis con-

<sup>1</sup> *mysticum*, B. M.<sup>2</sup> *debent*, B.<sup>3</sup> *meretricaliter*, B. M.<sup>4</sup> *hoc quoque*, B. *hoc ergo*, M.<sup>5</sup> *effectui*, A.<sup>6</sup> *cognoscere*, M.<sup>7</sup> *irrationabilis*, B.<sup>8</sup> *sementinam*, B. *Turpissima  
pestis originem*, M.<sup>9</sup> *accendas*, B. M.<sup>10</sup> *præpes appetitum*, B.<sup>11</sup> *hebetudinem*, B.

“ texere, nolo<sup>1</sup> ut prius plana verborum planitie ex-  
 “ planare proposita, vel profanis verborum novitatibus  
 “ profanare profana, verum pudenda aureis pudicorum  
 “ verborum phaleris inaurare, variisque venustorum  
 “ dictorum coloribus investire. Consequens enim est,  
 “ prædictorum vitiorum scoriam<sup>2</sup> deauratis locutioni-  
 “ bus purpurare, vitiorumque fætorem odore verbo-  
 “ rum inbalsamare mellifluo, ne si tanti sterquilinii  
 “ fætor in nimiae promulgationis auras evaderet, pleros-  
 “ que ad indignationis nauseantis vomitum invitaret.  
 “ Sed tamen aliquando, ut superius libavimus, quia  
 “ rebus de quibus loquimur cognatos oportet esse  
 “ sermones, rerum informitati locutionis debet deformi-  
 “ tas<sup>3</sup> conformari. In sequenti tamen<sup>4</sup> tractatu, ne  
 “ locutionis cathefaton<sup>5</sup> lectorum<sup>6</sup> offendat auditum,  
 “ vel in ore virginali locum collocet<sup>7</sup> prædictis viti-  
 “ orum monstris, euphonia orationis volo pallium  
 “ elargiri.”<sup>8</sup> Tunc ego: “ Jam mei intellectus esuries,  
 “ ingenii flagrantis acies, mentis inflammatae<sup>9</sup> flagrantia,  
 “ attentioris stabilitatis<sup>10</sup> constantia, ea postulant quæ  
 “ promittis.” Tunc illa: “ Cum Deus ab ideali internæ  
 “ præconceptionis thalamo mundialis palatii fabricam  
 “ foras voluit enotare, et mentale verbum quod ab  
 “ æterno de mundi constitutione conceperat reali ejus-  
 “ dem existentia velut materiali verbo depingere,  
 “ tanquam mundi elegans architectus, tanquam aureæ  
 “ fabricæ faber aurarius, velut stupendi artificii artifi-  
 “ ciosus artifex, tanquam admirandi<sup>11</sup> operis operarius  
 “ opifex,<sup>12</sup> non exterioris instrumenti laborante suffra-  
 “ gio, nec materiæ præjacentis adjuvante auxilio, nec

<sup>1</sup> volo, B.

<sup>2</sup> scorias, B.

<sup>3</sup> deformitas, B.

<sup>4</sup> In sequenti vero, B. M.

<sup>5</sup> caseuphaton, A. cathephaton, B.

<sup>6</sup> lectoris, B.

<sup>7</sup> collocet turpitude, B. M.

<sup>8</sup> *Hic mutat suum stylum in melius.* Rubric in A.

<sup>9</sup> inflammante fragrantia, B.

<sup>10</sup> attentionis stabilitæ, B. stabilitas et, M.

<sup>11</sup> velut admirandi, B.

<sup>12</sup> *De primævo rerum exordio et processu.* Rubric in A.



“ alicujus indigentiae flagitio,<sup>1</sup> sed solius arbitrariae  
 “ voluntatis imperio, mundialis regiae admirabilem spe-  
 “ ciem fabricavit. Deus igitur mundiali palatio varias  
 “ rerum species ascribendo, quas, discrepantium gene-  
 “ rum litigio disparatas, legitimi ordinis congruentia  
 “ temperavit,<sup>2</sup> leges indidit, sanctionibus alligavit.  
 “ Sicque res generum oppositione contrarias, inter quas  
 “ locus ab oppositis locum posuit,<sup>3</sup> cujusdam reciprocae  
 “ habitudinis, relativis osculis foederando<sup>4</sup> in amicitiae  
 “ pacem lites repugnantiae commutavit. Subtilibus  
 “ igitur invisibilis juncturae catenis concordantibus  
 “ universis, ad unitatem pluralitas, ad identitatem  
 “ diversitas, ad consonantiam dissonantia, ad concor-  
 “ diam discordia, unione pacifica remeavit. Sed post-  
 “ quam universalis artifex universa suarum naturarum  
 “ vultibus investivit, omniaque sibi invicem legitimis  
 “ proportionum connubiis maritavit, volens ut nascendi  
 “ occidendique mutuae relationis circuitu per instabili-  
 “ tatem stabilitas, per finem infinitas, per temporalita-  
 “ tatem aeternitas, rebus occiduis donaretur, rerumque  
 “ series seriata reciprocatione nascendi jugiter texere-  
 “ tur, statuit ut expressae conformationis monetata<sup>5</sup>  
 “ sigillo, sub derivatae probationis<sup>6</sup> calle legitimo ex  
 “ similibus similia educerentur. Me igitur tanquam  
 “ sui vicariam, rerum generibus sigillandis monetariam  
 “ destinavit, ut ego in propriis incudibus rerum effigies  
 “ commonetans, ab incudis forma conformatum deviare  
 “ non sinerem, sed mei operante solertia, ab exem-  
 “ plaris<sup>7</sup> vultu, naturarum nullarum dotibus defrau-  
 “ data exemplati<sup>8</sup> facies deviares. Imperantis igitur  
 “ imperio ego obtemperans, operando quasi varia  
 “ rerum sigillans nunc insinuata<sup>9</sup> ad exemplaris rei

<sup>1</sup> *indigentiae stimulante flagitio, B.*

<sup>2</sup> *temperavit, B.*

<sup>3</sup> *posuerat, B.*

<sup>4</sup> *foederanda, B.*

<sup>5</sup> *monetate, B.*

<sup>6</sup> *derivativae propaginis, B. deri-  
vanda propagationis, M.*

<sup>7</sup> *ab exemplarum, B.*

<sup>8</sup> *exemplata, B.*

<sup>9</sup> *sigillans numismata, R. sigillans  
cognata ad, M.*

“ imaginem, exempli exemplans effigiem, ex confor-  
 “ mibus conformando<sup>1</sup> conformia, singularum rerum  
 “ vultus reddidi sigillatos. Ita tamen, sub divinæ  
 “ majestatis mysterio, ministerium hujus operationis  
 “ exercui, ut meæ attentionis manum dextera supernæ  
 “ auctoritatis dirigeret, quia meæ scripturæ calamus  
 “ exorbitatione subita deviaret, nisi supremi supposi-  
 “ toris digito<sup>2</sup> regeretur. Sed quia sine subministra-  
 “ torii artificis artificio suffragante, tot rerum species  
 “ expolire non poteram, mihi que in æthereæ regionis  
 “ amœnante palatio placuit commorari, ubi venti rixa  
 “ effæcatæ serenitatis pacem non perimit, ubi acci-  
 “ dentalis nox nubium ætheris indefessum diem non  
 “ sepelit, ubi nulla tempestatis sævit injuria, ubi nulla  
 “ debacchantis tonitru minatur insania, Venerem in  
 “ fabrili scientia peritam, meæque operationis subvi-  
 “ cariam, in mundiali suburbio collocavi, ut ipsa sub  
 “ meæ præceptionis arbitrio, Hymenæi conjugis, filii-  
 “ que Cupidinis industria suffragante, in terrestrium  
 “ animalium varia effigiatione desudans, fabriles mal-  
 “ leos suis regulariter adaptans incudibus, humani  
 “ generis seriem indefessa continuatione contexeret, ne  
 “ Parcarum manibus intercisâ discidii injurias susti-  
 “ neret.”

Dum in hoc narrationis contextu de Cupidine mentio  
 nasceretur, præfatæ narrationi meorum verborum pa-  
 renthesi syncopatæ tenorem hujus quæstionis inserui,  
 dicens: “Ha, ha! nisi injuriosa tuæ locutionis synco-  
 “ patione, mearumque quæstionum oneratione, timerem  
 “ tuæ benignitatis offensam incurrere, vellem Cupidinis  
 “ naturam, de quo<sup>3</sup> aliquantulam<sup>4</sup> mentionem tua præ-  
 “ libavit oratio, pictura tuæ discretionis<sup>5</sup> agnoscere.  
 “ Quamvis enim plerique auctores, sub integumentali

<sup>1</sup> *formando*, B.

<sup>2</sup> *supremi dispositioni totis digito*,  
B.

<sup>3</sup> *de qua*, B.

<sup>4</sup> *aliquantulum*, A.

<sup>5</sup> *discriptionis*, B. M.

“ involuero ænigmatum ejus naturam depinxerint,  
 “ tamen nulla nobis certitudinis reliquere vestigia.  
 “ Cujus in humano genere tanta per experientiam  
 “ legitur potentialis auctoritas, ut nullus vel nobilitatis  
 “ sigillo signatus, vel sapientiæ privilegiantis vestitus  
 “ venustate,<sup>1</sup> vel fortitudinis armatura munitus, vel  
 “ pulchritudinis chlamide trabeatus, vel aliarum gra-  
 “ tiarum decusatus honoribus, se valeat a generalitate  
 “ cupidinariæ potestatis excipere.” Tunc illa, cum  
 temperato capitis motu, verbisque increpationem spon-  
 dentibus, ait:—“ Credo te in Cupidinis castris stipen-  
 “ diarie militantem, et quadam internæ familiaritatis  
 “ germanitate eidem esse connexum. Inextricabilem  
 “ etenim labyrinthum ejusdem<sup>2</sup> affectanter investigare  
 “ conaris, cum meæ potius narrationi sententiarum  
 “ locupletatæ divitiis, mentis intentionem intentius<sup>3</sup> ad-  
 “ aptare deberes. Sed tamen antequam ad sequentiæ  
 “ meæ orationis evadat excursus, quia tuæ humanitatis  
 “ imbecillitati compatior, tuæ ignorantia tenebras pro  
 “ meæ possibilitatis modestia teneor extirpare. Insuper  
 “ tuarum quæstionum solutionibus ex voto promissio-  
 “ nis astringor. Sive ergo certa descriptione describens,  
 “ sive legitima diffinitione diffiniens,<sup>4</sup> rem immonstra-  
 “ bilem<sup>5</sup> demonstrabo, inextrabilem extricabo; quamvis  
 “ ipsa nulli naturæ obnoxialiter obligata<sup>6</sup> complexioni-  
 “ bus, intellectus indaginem non expectans, nullius de-  
 “ scriptionis possit signaculo sigillari. Ergo circum-  
 “ scriptæ rei hæc detur descriptio, inexplicabilis naturæ  
 “ hæc exeat explicatio, hæc de ignoto habeatur notitia,  
 “ hæc de non scibili paretur<sup>7</sup> scientia, styli tamen  
 “ altitudine castigata.”

<sup>1</sup> *venustate vestitus*, B.

<sup>2</sup> *ejus labyrinthum affectanter*, B.

<sup>3</sup> *attentius*, B.

<sup>4</sup> *difficiens*, E.

<sup>5</sup> *indemonstrabilem*, B.

<sup>6</sup> *alligata*, B.

<sup>7</sup> *comparetur*, E.

*Descriptio Cupidinis.*

- “ Pax odio, fraudique fides, spes juncta timori,  
 “ Est amor, et mixtus cum ratione furor.  
 “ Naufragium dulce, pondus leve, grata Charybdis,  
 “ Incolumis languor, insatiata<sup>1</sup> fames.  
 “ Esuriens saties,<sup>2</sup> sitis ebria, falsa voluptas,  
 “ Tristities læta, gaudia plena malis.  
 “ Dulce malum, mala dulcedo, sibi dulcor amarus,  
 “ Cujus odor sapidus, insipidusque sapor.  
 “ Tempestat grata, nox lucida, lux tenebrosa,  
 “ Mors vivens, moriens vita, suave malum.  
 “ Peccatum veniæ, venialis culpa, jocosæ  
 “ Pœna, pium facinus, immo suave scelus.  
 “ Instabilis ludus, stabilis delusio, robur  
 “ Infirmum, firmum mobile, firma movens.  
 “ Insipiens ratio, demens<sup>3</sup> prudentia, tristis  
 “ Prosperitas, risus flebilis, ægra quies.  
 “ Mulcebris infernus, tristis paradus, amœnus  
 “ Carcer, hiems verna, ver hiemale, malum.  
 “ Mentis atrox tineæ, quam regis purpura sentit,  
 “ Sed neque mendici præterit illa<sup>4</sup> togam.  
 “ Nonne per antiphrasim miracula multa Cupido  
 “ Efficiens, hominum protheat omne genus?  
 “ Cum fuit opposita monachus mœchator eidem,  
 “ Hæ<sup>5</sup> duo subjecto cogit inesse simul.  
 “ Dum furit iste<sup>6</sup> furor, deponit Scilla furorem,  
 “ Et pius Æneas incipit esse Nero.  
 “ Fulminat ense Paris, Tydeus mollescit amore,  
 “ Fit Nestor juvenis, fit Melicerta senex.  
 “ Thersites Paridem forma mendicat, Adonim  
 “ Davus, et in Davum totus Adonis abit.

<sup>1</sup> *et satiata*, M.<sup>2</sup> *Esuries satiens*, B. M.<sup>3</sup> *deviens*, B.<sup>4</sup> *ista*, B.<sup>5</sup> *Hæc duo*, B.<sup>6</sup> *ille*, B.

- “ Dives eget Crassus,<sup>1</sup> et Codrus abundat egendo ;  
 “ Carmina dat Bavius, musa Maronis hebet.
- “ Ennius eloquitur, Marcusque silet ; fit Ulyxes  
 “ Inspiciens, Ajax desipiendo sapit.
- “ Qui prius Anthæum solvendo<sup>2</sup> sophismata vicit,  
 “ Vincitur hoc monstro, cætera monstra domans.
- “ Quodlibet in facinus mulier discurrit, et ultro,  
 “ Ejus si mentem morbidet iste furor ;<sup>3</sup>
- “ Nata patrem, fratremque soror, vel sponsa maritum  
 “ Fraude necat,<sup>4</sup> fati præveniando manum.
- “ Sicque per ascensum male syncopat illa mariti  
 “ Corpus, furtivo dum metit ense caput.
- “ Cogitur ipsa parens nomen nescire parentis,  
 “ In partuque dolos dum parit ipsa parens.
- “ Filius in matre stupet invenisse novercam,  
 “ Inque fide fraudes, in pietate dolum.<sup>5</sup>
- “ Sic in Medea pariter duo nomina pugnant,  
 “ Dum simul esse parens atque noverca cupit.<sup>6</sup>
- “ Nescit esse soror, vel se servare sororem,  
 “ Dum nimium Cauno Byblis<sup>7</sup> amica fuit.
- “ Sic quoque Myrrha suo nimium subjecta parenti,  
 “ In genitore parens, in patre mater erat.
- “ Sed quid plura dabo ?<sup>8</sup> Cupidinis ire sub hasta  
 “ Cogitur omnis amans, juraque solvit ei.
- “ Militat in cunctis, ullum<sup>9</sup> vix excipit hujus  
 “ Regula, cuncta ferit fulminis<sup>10</sup> ira sui
- “ In quem<sup>11</sup> non poterit probitas, prudentia, formæ  
 “ Gratia, fluctus opum, nobilitatis apex.
- “ Furta, doli, mœchus,<sup>12</sup> ira, furor, fraus,<sup>13</sup> impetus, error,  
 “ Tristities, hujus hospita regna tenent.

<sup>1</sup> *Chresus*, B.

<sup>2</sup> *solido*, B. *auctorum solvendo*, M.

<sup>3</sup> *ipse furor*, B.

<sup>4</sup> *Fraudi negat*, B.

<sup>5</sup> *dolos*, M.

<sup>6</sup> *capit*, B.

<sup>7</sup> *Carmo*, A. *Caymo*, *Biblis*, B.

<sup>8</sup> *docbo*, B. M.

<sup>9</sup> *nullum*, B.

<sup>10</sup> *fluminis*, B. *fulmen et ira*, M.

<sup>11</sup> *In quam*, B.

<sup>12</sup> *metus*, B.

<sup>13</sup> *iræ*, *fraus*, B.

Hic ratio rationis egere, modoque carere  
 " Est modus, estque fides non habuisse fidem.  
 " Dulcia proponens<sup>1</sup> assumit amara, venenum  
 " Infert, concludens optima fine malo.  
 " Allicit illiciens, ridens deridet, inungit  
 " Pungens,<sup>2</sup> afficiens inficit, odit amans.  
 " Ipse tamen poteris istum frenare furorem,  
 " Si fugias, potior potio nulla datur.  
 " Si vitare velis Venerem, loca, tempora vita;  
 " Et locus et tempus pabula donat ei.  
 " Prosequitur, si tu sequeris;<sup>3</sup> fugiendo fugatur;  
 " Si cedis, cedit; si fugis, illa fugit.

" Jam ex hoc meæ doctrinæ artificio, tibi cupidinariæ  
 " artis elucescit theórica, per librum vero experientiæ  
 " tibi practicam poteris comparare.<sup>4</sup> Nec mirandum, si  
 " in prætaxata Cupidinis depictione notulas reprehensionis  
 " intersero, quamvis ipse mihi quadam consanguinitatis  
 " germanæ<sup>5</sup> fibula connectatur. Non enim  
 " vel<sup>6</sup> detractoriæ malignitatis caliginosa rubigo, vel  
 " incandentis odii fervor foras egrediens, vel invidiæ  
 " tyrannus extra desævians, ad has invectivas accusationis  
 " punctiones<sup>7</sup> impulit, sed ne veritatis loquentis  
 " evidentiam<sup>8</sup> silentio videar strangulare. Non enim  
 " originalem Cupidinis naturam in honestate redarguo,  
 " si circumscribatur frenis modestiæ, si habenis temperantiæ  
 " castigetur, si non geminæ<sup>9</sup> excursionis limites  
 " deputatos evadat, vel in nimium tumorem ejus calor  
 " ebulliat; sed si ejus scintilla in flammam evaserit, vel  
 " ipsius fonticulus in torrentem excreverit, excrementi  
 " luxuries amputationis falcem expostulat, exuberationis  
 " tumor solatium medicamenti desiderat; quoniam omnis

<sup>1</sup> proponit, A.

<sup>2</sup> inungens pungit, M.

<sup>3</sup> Si tu persequeris, sequitur, M.

<sup>4</sup> compare, B.

<sup>5</sup> germanæ quadam consanguinitatis fibula, B. M.

<sup>6</sup> Non enim me, B.

<sup>7</sup> punitiones, B. omitted in M.

<sup>8</sup> veritatis per se loquentis evidentias, B.

<sup>9</sup> germen excursionis, M.

“ excessus temperatæ mediocritatis incessum disturbat,<sup>1</sup>  
 “ et abundantiae morbidantis<sup>2</sup> inflatio quasi in quædam  
 “ apostemata vitiorum exuberat.

“ Prædicta igitur<sup>3</sup> theatralis oratio,<sup>4</sup> joculariis eva-  
 “ gata lasciviis, tuæ puerilitati pro ferculo propinatur;  
 “ nunc stylus paululum ad pueriles tuæ infantiae fescen-  
 “ ninas<sup>5</sup> digressus ad seriale præfinitæ narrationis pro-  
 “ positum revertatur. Ut supra prælibando docui,  
 “ terrestrium animalium materiandæ propagini Venerem  
 “ destinavi, ut varias materias in rebus materiandis  
 “ excudendo substerneret. Ego vero in naturarum pic-  
 “ turatione multiplici, operibus manuum supremæ ex-  
 “ politionis apponerem; et ut instrumentorum fidelitas  
 “ pravæ operationis fermentum excluderet, ei duos legi-  
 “ timos malleos assignavi, quibus et Parcarum inaniret<sup>6</sup>  
 “ insidias, resque multimodas essentiali præsentaret.  
 “ Incudum etiam nobiles officinas ejusdem artificio  
 “ deputavi, præcipiens ut eisdem eosdem malleos adap-  
 “ tando rerum effigiationi fideliter indulgeret, ne ab  
 “ incudibus malleos aliqua exorbitatione peregrinari<sup>7</sup>  
 “ permetteret. Ad officium etiam scripturæ calamum  
 “ præpotentem eisdem fueram elargita, ut in compe-  
 “ tentibus schedulis ejusdem calami scripturam poscen-  
 “ tibus, quarum meæ largitionis beneficio fuerat com-  
 “ potita<sup>8</sup> juxta meæ orthographiæ normulam, rerum  
 “ genera figuraret, ne a propriæ descriptionis semita in  
 “ falsigraphiæ devia eundem devagari minime sustineret.  
 “ Sed cum ipsa genialis concubitus<sup>9</sup> regula, ordinatis  
 “ complexionibus, res diversorum sexuum oppositione<sup>10</sup>  
 “ dissimiles ad exequendam rerum propaginem con-  
 “ nectere teneretur, ut in suis connexionibus artis gram-  
 “ maticæ constructiones canonicas observaret, sui que  
 “ artificii<sup>11</sup> nobilitas nullius artis ignorantia suæ ferret

<sup>1</sup> perturbat, B.

<sup>2</sup> morbidæ, M.

<sup>3</sup> Prædicta ergo, B. Prævia, M.

<sup>4</sup> thematis oratio, B.

<sup>5</sup> fescenninans, B.

<sup>6</sup> exinaniret, B. caveret, M.

<sup>7</sup> peregrinare, B.

<sup>8</sup> fuerat libertate potita, B.

<sup>9</sup> concubitus regula, A.

<sup>10</sup> operatione, A. opponi, M.

<sup>11</sup> artificis, M.

“ gloriæ detrimentum, curialibus præceptis sub mea<sup>1</sup>  
 “ magistrali disciplina, eam velut discipulam instru-  
 “ endam docui quas artis grammaticæ regulas in suarum  
 “ constructionum unionibus artificiosis admitteret; quas  
 “ velut<sup>2</sup> extraordinarias nullius figuræ excusatione re-  
 “ demptas excluderet. Cum enim attestante gramma-  
 “ tica, duo genera specialiter, masculinum scilicet et  
 “ femininum, ratio naturæ cognoverit, quamvis et<sup>3</sup>  
 “ quidam homines, sexus depauperati signaculo, juxta  
 “ meam opinionem, possent neutri generis designatione  
 “ censerī, tamen Cypridi sub intimis admonitionibus  
 “ minarumque immensis injunxi tonitruis, ut in suis  
 “ conjunxionibus ratione exigentiæ naturalem<sup>4</sup> con-  
 “ structionem solummodo masculini femininique generis  
 “ celebraret. Cum enim masculinum genus suum femi-  
 “ ninum exigentia habitudinis genialis adsiscat, si eo-  
 “ rundem generum constructio anormale celebretur, ut res  
 “ ejusdem sexus sibi invicem construantur, illa equidem  
 “ constructio nec evocationis remedio, vel conceptionis  
 “ suffragio, apud me veniam poterit promereri. Si enim  
 “ genus masculinum genus consimile quadam irrationa-  
 “ bilis rationis deposcat injuria, nulla figuræ honestate  
 “ illa constructionis junctura vitium poterit excusare,  
 “ sed inexcusabili solœcismi monstruositate turpabitur.  
 “ Præterea Cypridi mea indixit præcepto, ut ipsa  
 “ in suis constructionibus, suppositiones appositionesque  
 “ ordinarias observando, rem feminini sexus caractere  
 “ præsignitam<sup>5</sup> suppositionis<sup>6</sup> destinaret officio; rem  
 “ vero specificatam masculini generis intersignis sede  
 “ collocaret appositi, ut nec appositum in vicem sup-  
 “ positi<sup>7</sup> valeat declinare, nec suppositum possit<sup>8</sup> in  
 “ regionem appositi transmigrare. Et cum utrumque<sup>9</sup>  
 “ regatur ab altero, appositum sub adjectiva proprie-

<sup>1</sup> *mea*, omitted in B. M.

<sup>2</sup> *alias vero*, M.

<sup>3</sup> *et*, omitted in B. *quamvis dum*,  
M.

<sup>4</sup> *naturalis*, B.

<sup>5</sup> *præsignatam*, B.

<sup>6</sup> *suppositi*, B.

<sup>7</sup> *ad viam suppositi*, B.

<sup>8</sup> *posset*, B.

<sup>9</sup> *utrique*, B.



“tate, suppositum substantivæ proprietatis proprium  
“retinenti, exigentiæ legibus invitatur.

“Præter hoc adjunxi, ne Dyonea conjunctio in  
“transitivæ constructionis habitum uniformem, vel  
“informem,<sup>1</sup> vel reciprocationis circulum,<sup>2</sup> vel retransi-  
“tionis anfractum<sup>3</sup> reciperet, solius transitionis recta  
“directione contenta, vel alicujus etiam digressantis  
“naturæ nimia intercisione sufferret, ut genus activum  
“in passivum valeat usurpativa assumptione transire,  
“vel idem in activum suæ proprietatis dispositione<sup>4</sup>  
“redire, vel sub passivi litteratura activi retinendo  
“naturam sibi legem generis deponentis assumere.  
“Nec mirandum si pleræque<sup>5</sup> maximæ titulo gramma-  
“ticæ facultatis ascriptæ a venereæ artis domicilio pa-  
“tiantur repulsam, cum ipsa eas quæ suæ præceptionis  
“regulis obsequuntur, in sinus suæ familiaritatis ad-  
“mittat. Eas vero quæ eloquentissimæ gloria dictio-  
“nis<sup>6</sup> insultibus ejus leges expugnare conantur, æterni  
“anathematis exclusionem suspendat. Philosophicæ etiam  
“assertionis auctoritas maximarum plerasque diversis  
“facultatibus fateatur esse communes. Quasdam vero  
“ultra suarum disciplinarum domicilia, nullam habere  
“licentiam excursandi. Sed quia contra Parcarum  
“argutas oppositiones,<sup>7</sup> Venerem novi agonisticæ dis-  
“putationis ingressuram conflictum, ne alicujus tergi-  
“versatione fallere<sup>8</sup> Venus ab Atropos, coarctantes  
“conclusionis sustineret argutias, ipsam disciplinam  
“docendo juxta quod disciplinæ dissertivæ præcepta,<sup>9</sup>  
“suarum argumentationum formas<sup>10</sup> excederet. Et  
“quod<sup>11</sup> in adversariorum argumentationibus<sup>12</sup> fraudu-

<sup>1</sup> *vel informem*, omitted in A. M.

<sup>2</sup> *curriculum*, M.

<sup>3</sup> *antiphrasim*, B.

<sup>4</sup> *depositione*, B.

<sup>5</sup> *plerique*, B.

<sup>6</sup> *eloquentissimæ contradictionis*, B.

<sup>7</sup> *opiniones*, B.

<sup>8</sup> *fallatur*, B. *fallaciæ*, M.

<sup>9</sup> *juxta quod discretivæ vel dila-  
lecticæ disciplinæ præcepta*, B.

<sup>10</sup> *formam*, B.

<sup>11</sup> *Et quomodo*, B. ?

<sup>12</sup> *argutionibus*, B. M.

“ lentis fallaciæ latibulum inveniret, ut disputationis  
 “ agoniam contra adversariæ partis insidias posset se-  
 “ curius celebrare, et per instantiam similia opposi-  
 “ tionum arguta<sup>1</sup> refellere. Junxi etiam, ut syllogis-  
 “ tica<sup>2</sup> ejus complexio duorum terminorum contenta  
 “ compendio, nulli Aristotelicarum figurarum obnoxia,  
 “ trium propositionum ordinatione congrua texeretur,  
 “ ita tamen ut in singulis propositionibus major ex-  
 “ tremitas prædicationis fungeretur officio, minor vero  
 “ subjiciendi legibus teneretur. In prima vero propo-  
 “ sitione nullo veræ<sup>3</sup> inhærentiæ modo, sed sola ratione  
 “ contractus extrinseci, quasi terminus<sup>4</sup> de termino  
 “ prædicetur, subjecto inhæreat prædicatum.<sup>5</sup> In as-  
 “ sumptione vero relativorum osculorum,<sup>6</sup> reciprocis  
 “ impressionibus expressius minori major annectatur ex-  
 “ tremitas; sed in conclusione, expressissimæ inhærentiæ  
 “ vinculo veriori subi,<sup>7</sup> prædicatiq̄ue carnalis celebretur  
 “ connexio. Hoc etiam mei consilii fuit,<sup>8</sup> ut nullius  
 “ conversionis retrogradatione pestifera, Venereæ com-  
 “ plexionis termini analogicæ prædicationis jura ser-  
 “ vantes, suarum vices sedium alternarent. Et ne  
 “ consequentis fallacia, ex similibus conformatione pro-  
 “ genita, posset industriam Veneris impedire, terminos  
 “ specialibus specificavi signaculis, ut familiari liberæ  
 “ agnitionis intuitu evidenter agnosceret, quos termi-  
 “ nos subjectionis gradus inferior, quos vero prædicatio-  
 “ nis apex superior, ex suæ habitudinis jure deposceret,  
 “ ne si complexio terminorum inconsequens proportio-  
 “ natam habitudinem non teneret etiam<sup>9</sup> continuæ nuga-  
 “ tionis uniformis deformitas nasceretur. Sicut autem  
 “ quasdam grammaticæ dialecticæque observantias in-  
 “ imicantissimæ hostilitatis incursus<sup>10</sup> volui a Veneris

<sup>1</sup> *argumenta*, B. M.

<sup>2</sup> *syllabica*, B.

<sup>3</sup> *vero*, B.

<sup>4</sup> *terminis*, B.

<sup>5</sup> *præditum*, B. ?

<sup>6</sup> *osculorum*, omitted in B. *oculo-  
rum*, M.

<sup>7</sup> *subjecti*, B. M.

<sup>8</sup> *fuit consilii*, B.

<sup>9</sup> *in*, B. M.

<sup>10</sup> *incursu*, B. M.

“ anathematizare gymnasiis; sic metonymicas<sup>1</sup> rhetorum positiones,<sup>2</sup> quas in suæ amplitudinis gremio rhetorica mater amplectens, multis suas orationes afflat<sup>3</sup> honoribus, Cypridis artificii interdixi, ne si nimis duræ translationis excursu, a suo reclamante subjecto, prædicamentum alienet in aliud, in facinus facetia, in rusticitatem urbanitas, tropus in vitium, in decolorationem color nimius<sup>4</sup> convertatur.

“ His apparatus nobilitatisque præsignibus Veneris<sup>5</sup> terrestris incolatus incessit<sup>6</sup> in patriam. Quæ cum suis suffraganeis instrumentis ad humanæ geneseos seriem contexamdam desudando laborans, Parcarumque manibus intersecta, subtili acu resarciens, subtilius hæc renodabat. Sicque aliquandiu stipendiariæ administrationis jura mihi officiosissima curiositate persolvit. Se<sup>7</sup> quoniam ex matre satietatis indemnitate<sup>8</sup> fastiditus animus indignatur, cotidianique laboris ingruentia exequendi propositum appetitus<sup>9</sup> extinguitur, unitas operis totiens repetita citharam<sup>10</sup> infestabit<sup>11</sup> fastidiis, continuatæque laborationis effectusque<sup>12</sup> laborandi secludit<sup>13</sup> affectum. Illa igitur<sup>14</sup> magis appetens otiiis effeminari sterilibus quam fructuosis exerceri laboribus, ferialis operationis<sup>15</sup> exercitatione negotiali præposita nimie otiositatis enumerata desideriiis coepit infantibiliter juvenisci. Et quoniam apud quem desidiæ torpor castrametatur, ab eo omnis virtutis militia relegatur, otiique sterilitas, pravæ sobolis, solet fœcunditatem efficere. Potus etiam inundans diluvium,

<sup>1</sup> *metonymicas*, A. B.

<sup>2</sup> *propositiones*, M.

<sup>3</sup> *inflat*, B. *conflat*, M.

<sup>4</sup> *nimis*, B.

<sup>5</sup> *Veneri*, A. B.

<sup>6</sup> *cessit*, B. *transivit*, M.

<sup>7</sup> *Sed*, B. M.

<sup>8</sup> *idemnitate*, B. *identitate*, M.

<sup>9</sup> *Otiositas fecit Venerem adulterari*. Rubric in A.

<sup>10</sup> *Citharam*, B., with the gloss *i. Venerem*.

<sup>11</sup> *infestavit*, B. *infestat*, M.

<sup>12</sup> *effectus laborandi*, B. M.

<sup>13</sup> *excludit*, B. M.

<sup>14</sup> *Illa vero*, B.

<sup>15</sup> *operis*, B.

“ in nimias dispumat libidines, cibusque effrenis ingurgita-  
 “ tio consimiles nauseas superfluitatis eructuat. Venus,<sup>1</sup>  
 “ his furiis aculeata lethalibus, in suum conjugem  
 “ Hymenæum, tori indisciplinationes castigantem, peste  
 “ adulterationis incestans, cœpit cum Antigamo<sup>2</sup> con-  
 “ cubinarie fornicari; sui que adulteri suggestionibus  
 “ irretita<sup>3</sup> lethiferis liberale opus in mechanicum, re-  
 “ gulare in anomalum,<sup>4</sup> civile in rusticum inciviliter<sup>5</sup>  
 “ immutavit, meumque disciplinatum inficiata præ-  
 “ ceptum, malleos ab incudis<sup>6</sup> exhæredans consortio,  
 “ adulterinis damnavit incudibus.

“ Ipsæ etiam incudes nativæ, suorum malleorum  
 “ deplorentes<sup>7</sup> absentiam, eosdem lacrimabiliter vide-  
 “ bantur deprecari. Et quæ gladio Atropos universa  
 “ metenti<sup>8</sup> solebat clipeum defensionis prætere, <sup>9</sup>  
 “ jam eidem stabilitæ<sup>10</sup> considerationis<sup>11</sup> mutuo fœdere  
 “ ligabatur,<sup>12</sup> fatigue falcem in messem humani generis  
 “ nimium excursare permittens damnum, nulla<sup>13</sup> novi  
 “ seminis<sup>14</sup> redimina<sup>15</sup> pensabat origine; sed potius se  
 “ grammaticis constructionibus destruens, dialecticis  
 “ conversionibus se invertens,<sup>16</sup> rhetoricis coloribus de-  
 “ coloratis, suam artem in figuram, figuramque in  
 “ vitium transferebat. Dumque fornicariis excessibus  
 “ cum adultero perpetuabat<sup>17</sup> concubinitus illecebras,<sup>18</sup>  
 “ ab eodem prolem suscipiens, pro filio spurio com-  
 “ potitur. Qui dum nullius delectationis amœnitate  
 “ gaudet, nullius jocositatis vult meridiari deliciis,

<sup>1</sup> *De adulterio Veneris, et trans-  
 gressionem legis.* Rubric in A.

<sup>2</sup> *cum Antigamo,* A. B.

<sup>3</sup> *metita,* B.

<sup>4</sup> *anormalum,* B.

<sup>5</sup> *incurialiter,* B.

<sup>6</sup> *ab incudum,* B.

<sup>7</sup> *deplorantes,* B. M.

<sup>8</sup> *demetenti,* M.

<sup>9</sup> *opponere,* B. M.

<sup>10</sup> *stabilitate,* M.

<sup>11</sup> *conciliationis,* B. M.

<sup>12</sup> *ligatur,* M.

<sup>13</sup> *damna nulla,* B.

<sup>14</sup> *seminis,* omitted in B.

<sup>15</sup> *rediviva,* B.

<sup>16</sup> *conversionibus invertens,* B. M.

<sup>17</sup> *perpetuat,* B. M.

<sup>18</sup> *perpetuat concubinitus illece-  
 bras,* M.

“ ut quasi per antiphrasim jocus a jocositate dicatur,  
 “ ei nomen usus impressit. Dionæ<sup>1</sup> igitur duo dati  
 “ sunt filii, discrepantia generis disparati,<sup>2</sup> nascendi  
 “ lege dissimiles, morum titulis discrepantes, artificii  
 “ disparitate deformes.<sup>3</sup> Hymenæus namque uterinæ  
 “ fraternitatis mihi affinis confinio, quem excellentioris  
 “ dignitatis attollit<sup>4</sup> prosapia, ex Venere sibi Cupi-  
 “ dinem propagavit in filium. Antigamus<sup>5</sup> vero,<sup>6</sup> scur-  
 “ rilis, ignobilitatis genere derivatus, adulterando cum  
 “ Venere adulterinum filium jocum sibi jocularie  
 “ parentavit.<sup>7</sup> Illius nativitatem matrimonii excusat  
 “ solemnitas; istius propaginem divulgati concubinitus  
 “ accusat vulgaritas. In isto,<sup>8</sup> paternæ civilitatis elu-  
 “ cescit urbanitas; in illo,<sup>9</sup> paternæ suburbanitatis<sup>10</sup>  
 “ tenebrescit rusticitas. Ille albis inargentatos nitore-  
 “ bus argenteos fontes inhabitat; iste loca perenni  
 “ ariditate damnata indefesse concelebrat. Iste in de-  
 “ serta planitie<sup>11</sup> figit<sup>12</sup> tentoria; illi vallis<sup>13</sup> complacet  
 “ nemorosa. Iste in tabernaculis indesinenter<sup>14</sup> per-  
 “ noctat; ille sub divo dies noctesque continuat. Iste  
 “ aureis venabulis<sup>15</sup> vulnerat quem venatur; ille quem  
 “ ferit ferreis jaculis lanceatur. Iste suos hospites  
 “ nectare debriat non amaro<sup>16</sup>; ille suos absynthii potu  
 “ perimit acetoso. Jam mea oratio chartulæ tuæ mentis  
 “ inscripsit qualiter otii damnosa perniciēs Venerem  
 “ educavit emphaticam, qualiter diluviosi potus inun-  
 “ datio Venereum patravit incendium, qualiter ex cibi  
 “ ingurgitatione ducens originem plerosque luxuriæ

<sup>1</sup> *i. Veneri.* Gloss in A. *Nota istam geneologiam.* Note in A.

<sup>2</sup> *dispersati,* A.

<sup>3</sup> *mox titulis discrepantes, artificio deformes,* M.

<sup>4</sup> *extollit,* B. M.

<sup>5</sup> *Antigenius,* A. *Anthegenius,* B.

<sup>6</sup> *vero,* omitted in B.

<sup>7</sup> *parentat,* A.

<sup>8</sup> *In illo,* M.

<sup>9</sup> *in hoc,* M.

<sup>10</sup> *inurbanitatis,* M.

<sup>11</sup> *grata planitie,* M.

<sup>12</sup> *fixit,* M.

<sup>13</sup> *huic vallium,* M.

<sup>14</sup> *indeficientur,* M.

<sup>15</sup> *venal,* B.

<sup>16</sup> *subamaro,* M.

“ elephantina<sup>1</sup> lepra percussit. Ecce super hominibus  
 “ acuta Veneris febre languentibus ærumnosæ lamen-  
 “ tationis carmen cecini querulosum. Nunc super aliis  
 “ quos aliorum vitiorum<sup>2</sup> morbida turba conturbat,  
 “ sub cantu elegiaco querimoniosæ orationis citharam<sup>3</sup>  
 “ temperemus. Multi etenim,<sup>4</sup> dum Charybdis inglu-  
 “ viosæ hyatus voraginosos subterfugiendo devitant,  
 “ in Scyllæ malignantis abyssu inopinata periclitati-  
 “ one miserabiliter naufragantur. Plerique etiam,  
 “ dum impetuosus torrentis occursum ruinosos evadunt,  
 “ pigritantis stagni avida limositate viscantur. Alii,  
 “ dum dependentis montis præcipitia cautela consulente  
 “ declinant, in cœquata planitie præcipitatione spon-  
 “ tanea colliduntur. Ea igitur quæ disseram tuæ menti  
 “ elavo memoriæ tenacis affigas, animique vigilantia  
 “ somnum torporis<sup>5</sup> excutias, ut mecum maternis ex-  
 “ citatus visceribus, periclitantium hominum naufragiis  
 “ compatiendo condoleas, et præambulæ admonitionis  
 “ clypeo loricatus, monstruoso exercitui occurras vitio-  
 “ rum,<sup>6</sup> et si qua pravi seminis herba in<sup>7</sup> horto tuæ  
 “ mentis audeat pullulare, falce maturæ sectionis ex-  
 “ tirpes.” Tunc ego: “Jam pridem mea mens, exhi-  
 “ larata tuæ disciplinationis compendio, tuis correc-  
 “ tionibus libentissimam aurem inclinat.” Tunc illa:

“ Heu! quam præcipitem passa ruinam  
 “ Virtus sub vitio victa laborat!  
 “ Virtutis species exulat omnis,  
 “ Laxantur vitio frena furoris,  
 “ Languet justitiæ lucifer, hujus  
 “ Vix umbræ remanet umbra superstes,  
 “ Extinctumque sui sidus honoris  
 “ Deflet, lucis egens, noctis abundans.

<sup>1</sup> *emphatica, vel elephantica, B.*

<sup>2</sup> *quos vitiorum aliorum, B.*

<sup>3</sup> *citheram, B.*

<sup>4</sup> *enim, B.*

<sup>5</sup> *temporis, B.*

<sup>6</sup> *vitiorum occurras, B.*

<sup>7</sup> *si qua prava semina in, M.*

“ Dum fulgur scelerum fulminat orbem,  
 “ Nox fraudis fidei nubilat austrum;<sup>1</sup>  
 “ Virtutumque<sup>2</sup> tamen sidera nulla  
 “ Istius redimunt noctis abyssum,  
 “ Incumbit fidei vespera mundo,  
 “ Nocturnumque chaos fraudis abundat.  
 “ Languet fraude fides, fraus quoque fraudem  
 “ Fallit fraude, dolo sic dolus instat,  
 “ Mores moris egent moribus orbi,  
 “ Leges lege carent, jusque tenoris  
 “ Perdunt jura sui, nam sine jure  
 “ Fit jus omne, viget lex sine lege.  
 “ Mundus degenerat, aurea mundi  
 “ Jamjam degenerant<sup>3</sup> sæcula, mundum  
 “ Ferri pauperies vestit, eundem  
 “ Olim nobilitas vestiit auri.  
 “ Jam non hypocrisis pallia quærunt  
 “ Fraudes, nec scelerum foëtor odorus  
 “ Ut pravo chlamidem donet odori,  
 “ Virtutum sibimet<sup>4</sup> balsama quærit.  
 “ Non urtica<sup>5</sup> rosis, alga hyacinthis,  
 “ Argento scoria, murice fucus  
 “ Formæ pauperiem palliat, ut sic  
 “ Interdum redimat<sup>6</sup> crimina vultus.  
 “ Sed crimen phaleras exuit omnes,  
 “ Nec se justiciæ luce colorat.  
 “ Nam sese vitium glossat aperte,  
 “ Fit fraus ipsa sui lingua furoris.<sup>7</sup>  
 “ Quid tuti superest, cum dolus armat  
 “ Ipsas in propria viscera matres?  
 “ Cum fraternus amor fraude laborat,  
 “ Mentiturque manus dextra sorori?  
 “ Censetur reprobum jus probitatis,

<sup>1</sup> *astrum*, B.<sup>2</sup> *Virtutum quia*, B.<sup>3</sup> *degenerat*, B.<sup>4</sup> *sublimet*, A.<sup>5</sup> *Sic urtica*, M.<sup>6</sup> *Internum redimant*, M.<sup>7</sup> *furorum*, B.

“ Observare probos, et pietatis  
 “ Lex est impietas;<sup>1</sup> esse pudicum  
 “ Jam cunctis pudor est. Absque pudore  
 “ Humanos hominis exiit usus  
 “ Non humanus homo. Degener ergo  
 “ Bruti degeneres induit actus,  
 “ Et sic<sup>1</sup> exhominans exhominandus.”

Ad hæc ego:<sup>2</sup> “ Quoniam in area generalitatis hujus  
 “ intellectus excursor oberrat,<sup>3</sup> intelligentiæ vero speci-  
 “ alitas amicitur,<sup>4</sup> vellem ut<sup>5</sup> vitia quæ in quodam  
 “ generalitatis implicas glomicello, speciosissimarum speci-  
 “ erum intersticiis discoloribus explicares.”

Tunc illa: “ Quoniam tuæ postulationis rationem  
 “ emeritam indecens est ab adimpletionis merito defrauda-  
 “ dari, tibi singula vitia æquum est sigillatim notulis  
 “ singularibus annotari. Quia igitur jam dictum est  
 “ quomodo totus orbis impuræ Veneris fere generali  
 “ periclitatur incendio, nunc restat dicendum qualiter  
 “ idem generalissimo gulositatis naufragatur diluvio.  
 “ Quoniam gulositas<sup>6</sup> est quasi quoddam Venereæ exe-  
 “ cutionis vel excitationis procœmium, et quasi quod-  
 “ dam ad consequens Venereum antecedens, nota ergo  
 “ quasdam Idololatriæ filias<sup>7</sup> veteris olim medullitus  
 “ extirpatæ in præsentia instanti suæ matris imperium  
 “ reparare conari, et eam quibusdam præstigiosis car-  
 “ minibus redivivam a mortuis excitare.<sup>8</sup> Quæ mere-  
 “ tricali officio, vultu phantasticæ delectationis faciem  
 “ dealbantes, suos amasios<sup>9</sup> fraudulenter illiciunt. Quæ  
 “ etiam sub tristi lætitia, sub amica sævitia, sub hos-  
 “ tili amicitia, tanquam Syrenes, usque in exitium<sup>10</sup>

<sup>1</sup> *Se sic*, B.

<sup>2</sup> *ergo*, M.

<sup>3</sup> *oberrat excursor*, M.

<sup>4</sup> *intelligere vero specialitas amicitur*, M. *præfinita specialitas*, B.

<sup>5</sup> *vellem quod*, M. *ut hæc vitia*, B.

<sup>6</sup> *descriptio gulæ*. Rubric in A.

<sup>7</sup> *filias idolatriæ*, B.

<sup>8</sup> *suscitare*, B.

<sup>9</sup> *suos amasios alliciendo fraudulenter*, B.

<sup>10</sup> *usque ad exitium*, M.



“ dulces delectationis melodiam facie tenus præferentes,  
 “ suos amatores ad idololatriæ perducunt naufragium.  
 “ Quarum una, ut fictitio loquar vocabulo, congruentia  
 “ proprietatis Bacchilatria poterit nuncupari. Bacchi-  
 “ latria hæc suo amasio rationis furans igniculum<sup>1</sup>,  
 “ eundem tenebris brutæ sensualitatis exponit, suum  
 “ etiam more meretricio in tantum debriat amatorem,  
 “ ut idem Bacchum nimis emphatice affectare cogatur,  
 “ in tantum quidem ut potator Baccho<sup>2</sup> nimie dilect-  
 “ ionis vinculo catenatus, eidem sui cultus<sup>3</sup> majes-  
 “ tatem exhibere credatur. Unde homo Bacchilatra  
 “ plerumque Bacchum tanquam sui sancti reliquias  
 “ locali interstitio a se alienari non perferens, in alienis  
 “ vasculorum capsulis suum deum diu perendinare non  
 “ patitur; sed ut sibi ejusdem dei familiaris assistat  
 “ divinitas, Bacchum dolió<sup>4</sup> sui ventris includit. Sed  
 “ quia<sup>5</sup> plerumque stomachi capsula tanti hospitis  
 “ divinitatem<sup>6</sup> diu sustinere non potest, idem deus aut  
 “ per orientalis portæ polum<sup>7</sup> arcticum, aut per occiduae  
 “ regionis antarcticum, turpiter evaporat. Multotiens  
 “ etiam<sup>8</sup> Bacchi cultor in capsulis scyphorum, materiæ  
 “ honore pollutibus, Baccho architectatur hospitium,  
 “ ut ejusdem divinitatis claritas divinius<sup>9</sup> in aureo  
 “ vase præfulguret.<sup>10</sup> Unde idem æthereis nitoribus  
 “ claritate concertans, et<sup>11</sup> smaragdinis viroribus<sup>12</sup>  
 “ viriditate contendens, plerosque sapes sui saporis  
 “ majestate præcellens, potationum filios suarum pro-  
 “ prietatum divinitatibus<sup>13</sup> irritat<sup>14</sup> sophisticis, ut illi<sup>15</sup>  
 “ Bacchum, tanquam ineffabilis divinitatis arcanum,  
 “ ineffabili amore concelebrent. Illi itaque ne illius

<sup>1</sup> *suum amasium rationis privans igniculo, M.*

<sup>2</sup> *ut potator Bacchus, B.*

<sup>3</sup> *eidem divini cultus, B.*

<sup>4</sup> *assistat deitas, dolió, B.*

<sup>5</sup> *Sed quæ, B.*

<sup>6</sup> *deitatem, B.*

<sup>7</sup> *orientalis partis polum, B.*

<sup>8</sup> *enim, B.*

<sup>9</sup> *claritas divina in, B.*

<sup>10</sup> *præfulgeret, B. præfulgeat, M.*

<sup>11</sup> *et, omitted in B.*

<sup>12</sup> *coloribus, M.*

<sup>13</sup> *dignitatibus, M.*

<sup>14</sup> *irritat vel irrigat, A.*

<sup>15</sup> *ut ipsa, M.*

“ divinitatis aliquid remaneat inexhaustum, usque ad  
 “ fæces Bacchum percutiunt,<sup>1</sup> sicque deum suum<sup>2</sup> ad tar-  
 “ taream abyssum ventris cogunt inhoneste descendere.  
 “ Dumque sic ad genus generalissimum potationis  
 “ deveniunt, superlativum gradum ebrietatis ascendunt.  
 “ Hæc pestis non solum plebeæ vulgaritatis inimi-  
 “ catur hominibus, verum etiam prælatorum supercilio-  
 “ sas facit<sup>3</sup> inclinare<sup>4</sup> cervices. Quibus Bacchi gratiæ  
 “ non sufficiunt quas in eum gratia naturæ perfundit,  
 “ arudineam<sup>5</sup> usurpantes attractionem, nunc Bacchum  
 “ et rosarum connubio gratulantem, nunc floribus al-  
 “ ternatis fragrantiam<sup>6</sup> respirantem, nunc ex hysopi  
 “ consortio sibi quoddam privilegium arrogantem, nunc  
 “ aliarum rerum dotibus locupletatum extrinsecus impe-  
 “ tuosa gulæ Charybdi deglutiunt. In tantum quidem,  
 “ ut sine mari naufragium, sine tristitia fletum, sine  
 “ infirmitate lethargiam,<sup>7</sup> sine sopore somnum ebrieta-  
 “ tis incurrant. Qui, dum ebrietatis energia percussi,  
 “ operam psalmodiis impendunt, versus nimia intercala-  
 “ tione<sup>8</sup> interrumpentes<sup>9</sup> crapulæ boream importune<sup>10</sup>  
 “ interserunt.

“ Nec solum prætaxata potus cupiditas, verum etiam  
 “ plurimos canina inescat<sup>11</sup> comedendi aviditas, quorum  
 “ voluntates<sup>12</sup> inordinariæ,<sup>13</sup> cogitationes inconcinnæ,<sup>14</sup>  
 “ cibi somniant<sup>15</sup> apparatus. Qui dum quotidiano ex-  
 “ actori escæ debitum nimis abundanter exsolvunt,  
 “ exactor superabundans suo cogitur reddere debitori.  
 “ Isti quæcunque possident in arca stomachi thesauri-  
 “ zant, et quamvis illud commissum nec rubigo<sup>16</sup> cor-

<sup>1</sup> *deglutiunt*, M.

<sup>2</sup> *sicque suum deum*, B.

<sup>3</sup> *sibi facit*, B.

<sup>4</sup> *inclinari*, B. M.

<sup>5</sup> *verum in yrundineam*, B.

<sup>6</sup> *nunc floris alterius fragrantiam*,

B.

<sup>7</sup> *lethargum*, B.

<sup>8</sup> *interscalatione*, A.

<sup>9</sup> *rumpentes*, M. B.

<sup>10</sup> *importunum*, M. B.

<sup>11</sup> *plerosque canina infestat*, B.

<sup>12</sup> *voluptates*, M. B.

<sup>13</sup> *inordinatæ*, M.

<sup>14</sup> *inconsonæ*, A. B.

<sup>15</sup> *novos sibi cibi somniant*, M.

<sup>16</sup> *non rubigo*, M.

“ roisionis dente demordeat, nec vulpeculantis<sup>1</sup> furis  
 “ sophisma surripiat, ipsum tamen decoquentis caloris  
 “ turpiori latrocinio turpius evanescit. Isti bursam ad  
 “ nummorum vomitum, arcam marcarum<sup>2</sup> invitant ad  
 “ nauseam, ut exactori stomacho possint<sup>3</sup> accuratius  
 “ adulari. Interius ventrem ciborum locupletantes di-  
 “ vitiis, exterius in nuda pura et sola sunt positi pau-  
 “ pertate.<sup>4</sup> Hæc igitur pestilentia,<sup>5</sup> non vulgari humi-  
 “ litate contenta, profundius se porrigit in prælatos,<sup>6</sup>  
 “ qui salmones, lucios,<sup>7</sup> cæterosque pisces, æquipollente  
 “ generositate præsignes, variis decoctionum cruciatos<sup>8</sup>  
 “ martyriis, baptizandi adulterantes officium, sacri pi-  
 “ peris fonte baptizant, ut ex tali baptismate baptizati,  
 “ multiformem<sup>9</sup> saporis gratiam consequantur. In ea-  
 “ dem autem<sup>10</sup> mensa, terrestre animal piperis inunda-  
 “ tione submergitur, piscis natat in pipere, avis ejusdem  
 “ viscositate ligatur. Dum<sup>11</sup> tot animalium genera uno  
 “ ventris ergastulantur in carcere, aquatile animal secum  
 “ pedestre et aerium genus<sup>12</sup> in eodem sepulchro tumu-  
 “ lari miratur. Quibus si detur licentia exeundi, egres-  
 “ sui<sup>13</sup> vix portæ sufficit amplitudo.

“ Hæ præfatæ pestes pontem faciunt per quem ad  
 “ luxuriæ lupanaria devenitur.<sup>14</sup> Hæ sunt introduc-  
 “ tiones per quas furandi quis<sup>15</sup> artem ingreditur. Hæ  
 “ morbos pariunt, seminant<sup>16</sup> paupertates. Hæ sunt  
 “ nutrices discordiæ vel desidiæ,<sup>17</sup> sorores insanis,<sup>18</sup> in-  
 “ temperantiæ matres, immunditiæ venatrices. Per has  
 “ humanum genus modestiæ limites excedit, temperan-

<sup>1</sup> *vel peculantis, M.*

<sup>2</sup> *arcam pecuniarum, M.*

<sup>3</sup> *possunt, A.*

<sup>4</sup> *in nuda et pura positi pauper-  
tate, M.*

<sup>5</sup> *Hæc pestilentia etiam, M.*

<sup>6</sup> *profundius progreditur ad præ-  
latos, M.*

<sup>7</sup> *salmones et lucios, M.*

<sup>8</sup> *cruciatas, A.*

<sup>9</sup> *multiformis, M.*

<sup>10</sup> *in eadem itaque, B.*

<sup>11</sup> *Dumque, M. B.*

<sup>12</sup> *terrestre aeriumque genus, M. B.*

<sup>13</sup> *egressuris, M.*

<sup>14</sup> *pervenitur, M.*

<sup>15</sup> *quis furandi, B. M.*

<sup>16</sup> *et seminant, B.*

<sup>17</sup> *vel desidiæ, omitted in B. M.*

<sup>18</sup> *infamiæ, B.*

" tīæ frena postponit,<sup>1</sup> castitatis sigilla confringit, meæ  
 " largitionis gratiam non attendit, Cum enim mea  
 " largitas tot hominibus fercula spargat,<sup>2</sup> tot pocula<sup>3</sup>  
 " copiosa compluat, ipsi gratiarum ingrati,<sup>4</sup> nimis illicite  
 " licitis abutentes, frena gulæ laxantes, dum comedendi  
 " mensuras excedunt, lineas potationis in infinitum  
 " extendunt. Qui palata salsorum seducentes acumine,  
 " ut sæpe multumque bibant,<sup>5</sup> sæpius sitire coguntur.  
 " Est et alia Idololatriæ filia,<sup>6</sup> quam si proprietatis no-  
 " minis<sup>7</sup> suam significationis<sup>8</sup> germanitatem in voce  
 " retineat, consequente vocabulo consequens<sup>9</sup> est Num-  
 " mulatria<sup>10</sup> nuncupari. Hæc est Avaritia,<sup>11</sup> per quam  
 " in animis hominum pecunia deificatur,<sup>12</sup> nummo di-  
 " vinæ venerationis exhibetur auctoritas; per quam  
 " etiam, ubi nummus loquitur, Tulliani eloquii tuba  
 " raucescit; ubi nummus militat, Hectoreæ militiæ ful-  
 " gura conticent,<sup>13</sup> ubi pugnat pecunia, virtus expug-  
 " natur Herculeæ. Si quis enim armatur pecunia, tan-  
 " quam loricis argenteis, Tulliani torrentis impetus,<sup>14</sup>  
 " fulgur incursus Hectorei, robur virtutis Herculeæ,  
 " versipellis Ulyxæ<sup>15</sup> calliditas floccipendit argutias.<sup>16</sup>  
 " In tantum etenim<sup>17</sup> habendi fames incanduit, ut dia-  
 " lecticæ muta sit subtilitas, rhetoricæ languescat civi-  
 " litas. Ubi nummorum perorat pluralitas,<sup>18</sup> jam Tul-  
 " lius sui monetam vendit eloquii; sui pudoris monilia  
 " in auri pretium commutat<sup>19</sup> Lucretia; Penelope suæ  
 " vicennariæ<sup>20</sup> castitatis pudorem deponit in pretio;

<sup>1</sup> *freno postposito*, B.

<sup>2</sup> *procuret*, M.

<sup>3</sup> *tot fercula copiosa*, M. *tot fercula compluat*, B.

<sup>4</sup> *ipsi tamen gratiæ ingrati*, M. *ipsi tamen gratiarum ingrati*, B.

<sup>5</sup> *et multum bibant*, M.

<sup>6</sup> *Descriptio avaritiæ*. Rubricin A.

<sup>7</sup> *nominis proprietatis*, B.

<sup>8</sup> *suæ significationis*, B.

<sup>9</sup> *convenienti vocabulo conveniens*, M.

<sup>10</sup> *nummulatriam*, B.

<sup>11</sup> *malitia*, M.

<sup>12</sup> *deificatur pecunia*, M. B.

<sup>13</sup> *conticescunt*, M. *compescuntur*, B.

<sup>14</sup> *torrentis impetum Tulliani*, B.

<sup>15</sup> *versipellos Ulyxæ calliditatis*, B.

<sup>16</sup> *astutias*, B.

<sup>17</sup> *enim*, M.

<sup>18</sup> *plenitas*, M.

<sup>19</sup> *in aurum commutat*, M.

<sup>20</sup> *vicennariæ castitatis*, M. *mercenariæ*, B.

“ Hippolytus etiam, si nummi preces audiat susurrantis,  
 “ suæ novercæ non vult precibus novercari. Nam si in  
 “ aurem<sup>1</sup> iudicis susurret pecunia, Orphei lyra, carmen  
 “ Amphionis, musa Virgilio, voce pecuniæ suffocantur.  
 “ Jam dives, divitiarum naufragus in profundo, hy-  
 “ dropicæ sitis incendiis sitit opes, et in medio ipsarum  
 “ positus tantalizat.<sup>2</sup> Pauper etiam, quamvis materialem  
 “ avaritiam exercere realiter<sup>3</sup> non valeat, intus tamen  
 “ archetypam retinet parcitatem. Proh pudor!<sup>4</sup> me-  
 “ tallorum onera largiuntur honores, ad metalli pondera  
 “ ponderatos. Jam non Cæsar, sed nummus est omnia,  
 “ quæ<sup>5</sup> ab individualibus<sup>6</sup> usque ad generalissima<sup>7</sup>  
 “ honores singulos tanquam mediator percurrit. Nam<sup>8</sup>  
 “ nummus patriarcha noster existit,<sup>9</sup> qui quosdam archi-  
 “ episcopatus inthronizat in apicem, quosdam episco-  
 “ palis fastigii erigit in honorem, hos archidiaconalibus  
 “ adaptans officiis, alios aliarum dignitatum coæquans  
 “ negotiis.<sup>10</sup> Quid plura? Nummus vincit, nummus  
 “ regnat, nummus imperat universis. Quid prodest  
 “ cum Ptolomæo subterfugientis astronomiæ fugas con-  
 “ sequi subtilitatis curriculo, stellarum prophetias, spon-  
 “ taneos investigare planetarum errores; cum Euclide  
 “ geometricorum ænigmatum secreta penitiora scrutari,  
 “ in profundum maris intellectu descendere, cœli al-  
 “ titudinem intelligibilibus mensuris attingere; cum  
 “ Milesio, musicarum proportionum consonantes ami-  
 “ citias invenire; cum Pythagora<sup>11</sup> pugnas numerorum  
 “ virtute multiplicationis inspicere; cum Tullio, ora-

<sup>1</sup> *in aure*, M.

<sup>2</sup> *sitis incendiis tantalizat*, A. B.,  
omitting the intervening words.

<sup>3</sup> *quamvis realem avaritiam reali-  
ter exercere*, B.

<sup>4</sup> *Proh dolor!* M.

<sup>5</sup> *quia*, M. *qui*, B.

<sup>6</sup> *individuationibus*, B.

<sup>7</sup> *generalissimam*, M.

<sup>8</sup> *Jam*, B.

<sup>9</sup> *efficitur*, B. *est*, M.

<sup>10</sup> *Nummus patriarcha noster est,  
episcopos et archiepiscopos inthroni-  
zat. Alios archidiaconalibus adaptat  
officiis; alios denique aliarum digni-  
tatum et officiorum coæquat negotiis*,  
M.

<sup>11</sup> *Pictagora*, M. B.

“ tionem colorum rhetoricis<sup>1</sup> stellare sideribus; cum  
 “ Aristotele, ancipiti dialecticæ gladio a veris falsa  
 “ dividere;<sup>2</sup> cum Zenone, falsitatem probabilitate tui-  
 “ care sophistica; cum Donato, in accentuum<sup>3</sup> con-  
 “ gruentia nectere dictiones, cum sapientia nostris tem-  
 “ poribus nullius fructus præmiatur stipendiis, nullius  
 “ famæ eam aura favorabilis extollat, ipsa vero pecunia  
 “ honoris titulos laudis<sup>4</sup> emat præconia?

“ Sola<sup>5</sup> tamen sapientia super omnem possessionem  
 “ præeminet,<sup>6</sup> generosa possessio, quæ sparsa colli-  
 “ gitur, erogata revertitur, publicata suscipit incre-  
 “ mentum; per quam nobilis scientiæ<sup>7</sup> thesaurus se-  
 “ cretis penetralibus mentis innascitur, fructus internæ  
 “ delectationis acquiritur. Hæc est sol per quem  
 “ mens diescit in tenebris, cordis oculus, deliciosus<sup>8</sup>  
 “ animi paradisus. Hæc in cœleste terrenum, in im-  
 “ mortale<sup>9</sup> caducum, hominem in deum<sup>10</sup> deificæ mu-  
 “ tationis auctoritate convertit. Hæc est verum<sup>11</sup> tuæ  
 “ peregrinationis remedium, solum humanæ calamitatis  
 “ solatium, humanæ noctis Lucifer singularis, tuæ mi-  
 “ seriæ redemptio specialis. Cujus aciem nullius<sup>12</sup> aeris  
 “ caligo confundit, non densitas terræ operam ejus  
 “ offendit, nec aquæ altitudo<sup>13</sup> aspectum ejus<sup>14</sup> obtundit.  
 “ Hæc igitur, quamvis apud multos qui sensuali bes-  
 “ tialitate<sup>15</sup> brutescunt nimia langueat vilitate, apud  
 “ illos tamen qui in ignem originalem rationis rede-  
 “ gerunt scintillam<sup>16</sup> præconantis famæ<sup>17</sup> munere non  
 “ fraudatur. Quamvis enim prudentia phantasticæ

<sup>1</sup> *rhetoricis colorum*, B.

<sup>2</sup> *distinguere*, B.

<sup>3</sup> *in accidentium*, B. M.

<sup>4</sup> *et laudis*, B. M.

<sup>5</sup> *Déscriptio sapientiæ*. Rubric in A.

<sup>6</sup> *sapientia revera super omnem præeminet possessionem*, M.

<sup>7</sup> *conscientiæ*, B.

<sup>8</sup> *deliciosa*, B.

<sup>9</sup> *immortalem*, B.

<sup>10</sup> *in deum hominem*, M.

<sup>11</sup> *unum*, A. *bonum*, B.

<sup>12</sup> *nulla aeris caligo*, M.

<sup>13</sup> *non altitudo aquæ*, M.

<sup>14</sup> *respectum ejus*, M. *ejus aspectum*, B.

<sup>15</sup> *sensuali mobilitate*, M.

<sup>16</sup> *scintillulam*, B.

<sup>17</sup> *præconii et famæ*.

“ adulationis plausibiles dedignetur applausus, tamen  
 “ quia veræ famæ hæc est gloriosa proprietas, ut appe-  
 “ titores sui contemnat, appetat<sup>1</sup> contemptores, famam  
 “ fugiendo consequitur, quam perderet<sup>2</sup> insequendo.  
 “ Ergo si apud quosdam<sup>3</sup> regnare pecuniam, jacere  
 “ prudentiam, militare divitias, sapientiam videas exu-  
 “ lare, ignava tamen opum pondera animo victori  
 “ calcata subjicias, et interno<sup>4</sup> affectionis amore pru-  
 “ dentiam consectoris, ut penitus<sup>5</sup> sapientiæ matris  
 “ cubiculum inoffenso intuitu valeas intueri.”

Tunc ego: “ Vellem ut laxatis reprehensionum ha-  
 “ benis,<sup>6</sup> præcordialius Avaritiæ filias impugnares.”

Tunc illa ad acerrimas invectionis demorsiones gyrans  
 suæ narrationis incessum, ait :

“ Postquam<sup>7</sup> sacra fames auri mortalia pungit  
 “ Pectora, mens hominis nescit jejuna timere.<sup>8</sup>  
 “ Laxat amicitias, odium parit, erigit iras,  
 “ Bella serit,<sup>9</sup> nutrit lites, bellumque renodat,  
 “ Ast et nodata<sup>10</sup> dirumpit fœdera, natos  
 “ Excitat in patres, matres in viscera, fratres  
 “ Dat fratrum nescire togas, et sanguinis omnes  
 “ Unio quos unit, furor hos male dividit unus.  
 “ Dum stomachum mentis hydropicat ardor habendi,  
 “ Mens potando sitit, et Tantalus alter in ipsis<sup>11</sup>  
 “ Ardet aquis, viresque siti dat copia census.<sup>12</sup>  
 “ Esurit ergo satur, sitit ebrius, optat abundans,  
 “ Unus cuncta cupit, ipsaque cupidine pauper  
 “ Efficitur, divesque foris manet, intus egenus.

<sup>1</sup> et appetat, M.

<sup>2</sup> perdet, M.

<sup>3</sup> Igitur etsi videas apud quosdam,  
 M. Igitur si apud quosdam, B.

<sup>4</sup> intestino, M.

<sup>5</sup> penitus, M.

<sup>6</sup> habenis reprehensionis, M.

<sup>7</sup> Descriptio avaritiæ. Rubric in  
 A.

<sup>8</sup> manere, M.

<sup>9</sup> Bella sitit, B.

<sup>10</sup> Ruptum, nodata, B. Rumpit  
 nodata, dirumpit fœdera, M.

<sup>11</sup> in istis, M.

<sup>12</sup> sensus, A.

“ Nil habet ergo miser, cum nil se credit habere,  
 “ Divitiis, dum<sup>1</sup> pauperiem sua vota repensant,  
 “ Hospitium cordis et mœnia mentis avaræ  
 “ Invadunt hostes multi, multoque tumultu  
 “ Totam sollicitant humani pectoris<sup>2</sup> arcem.  
 “ Nam timor aggreditur mentem, pariterque cupido  
 “ Concutit, et totam mentis depauperat urbem.  
 “ Curarum geminus turbo sic turbat avarum ;  
 “ Cumque timenda timet, mens somniat ipsa timores  
 “ Sæpe novos, fingitque metus, damnique timore  
 “ Damna luit, damnique malum formidine pensat.  
 “ Sic casus varios terroris somnia monstrant.  
 “ Uxoris fraudes furisque sophismata terror  
 “ Somniat,<sup>3</sup> insultus hostis, juguloque minantes  
 “ Mentitur gladios et fulmina dira potentum.  
 “ Nunc ignis pestes<sup>4</sup> recolit, nunc concipit iras  
 “ Oceani, soloque metu jam naufragus extat.  
 “ Divitis in nummo mens philosophatur, in arca  
 “ Dum nummum sepelit, nummusque sepultus avari  
 “ Usibus emoritur, illum non ille sed arca  
 “ Possidet, et totum nummi sibi vendicat usum.  
 “ Ut locus<sup>5</sup> varia nummorum fercula donet,  
 “ Injungit proprio dives jejunia ventri.  
 “ Horret avaritiam venter, propriosque negari  
 “ Miratur reditus, loculi suffragia quærit,  
 “ Sed ventri locus surdas accommodat aures.  
 “ Pabula visus habet, et convivatur ocellus,  
 “ Solus in argento, sed venter philosophari  
 “ Cogitur, et longo patitur jejunia voto.  
 “ Non lacrimæ, non mella precum, non ipsa perorat  
 “ Pauperies hominis,<sup>6</sup> quin fœnere dives egenum  
 “ Devoret, et tenuem miseri facit esse crumenam.

---

<sup>1</sup> *cum*, M.

<sup>2</sup> *humani corporis*, A.

<sup>3</sup> *Nuntiat*, M. B.

<sup>4</sup> *pestes, ignes*, M.

<sup>5</sup> *loculis*, M.

<sup>6</sup> *hominum*, M.



- “ Pauperis in lacrimis ridet, miseri que labore  
 “ Pascitur, et pœnam sibimet facit esse quietem.  
 “ Hunc<sup>1</sup> dolor, hunc risus, jocus hunc, mœror tenet<sup>2</sup>  
   “ illum.  
 “ Hic gemit, hic ridet,<sup>3</sup> dolet hic dum dedolet ille.  
 “ Omnis in affectum nummi laxatur<sup>4</sup> avari  
 “ Divitis affectus, nec enim datur ulla voluptas<sup>5</sup>  
 “ Menti, qua possit alias deflectere vultum.  
 “ Divitias non dives habet, sed habetur ab illis,<sup>6</sup>  
 “ Non est possessor nummi, sed possidet ipsum  
 “ Nummus, et in nummis animus sepelitur avari.  
 “ Hos colit ille<sup>7</sup> deos, hæc idola ditat honore  
 “ Divini cultus, et nummis numina donat.  
 “ Sic hominis ratio calcata cupidine; carni  
 “ Servit, et ancilla famulari cogitur illi.  
 “ Sic oculus cordis carnis caligine cæcus  
 “ Languet, et eclipsim patiens agit otia solus.  
 “ Sic jubar humani census male palliat umbra  
 “ Carnis, fitque nimis<sup>8</sup> ingloria gloria mentis.  
 “ Divitiis vel divitibus non derogat iste  
 “ Sermo, sed vitium potius mordere laborat.  
 “ Non census, non divitias, non divitis usum  
 “ Damno, si victor<sup>9</sup> animus ratione magistra  
 “ Subjectas sibi calcet<sup>10</sup> opes, si denique census  
 “ Nobilis auriga ratio direxerit usum.  
 “ Nam cunctas si spargat opes,<sup>11</sup> si munera fundat  
 “ Dives, et in laudem<sup>12</sup> spiret, cupiatque favorem<sup>13</sup>  
 “ Munere lucrari, tamen hujus muneris auctor,  
 “ Ductor, et auriga, nisi sit discretio, nullus  
 “ Fructus erit, quoniam laudem non dona merentur,

<sup>1</sup> *Hinc dolor, hinc risus, jocus hinc, B.*

<sup>2</sup> *manet, A.*

<sup>3</sup> *Hinc gemit, hinc ridet, dolet hic, B.*

<sup>4</sup> *laxantur, B.*

<sup>5</sup> *voluntas, B.*

<sup>6</sup> *ab ipsis, B. M.*

<sup>7</sup> *ipse, M.*

<sup>8</sup> *nummis, M.*

<sup>9</sup> *sed et victor, B.*

<sup>10</sup> *calcat, M.*

<sup>11</sup> *si spernat opes, B.*

<sup>12</sup> *in laude, B.*

<sup>13</sup> *tentetque favorem, M. B.*

“ Sed potius mercantur eam, nisi facta decenter  
 “ Discreta fuerint, pro munere namque frequenter  
 “ Laus datur hypocrita, famæ simulatio falsa  
 “ Simia<sup>1</sup> laudis, honor umbratilis, umbra favoris.

“ Ecce habes<sup>2</sup> quomodo tenacis avaritiæ viscus hu-  
 “ manæ mentis alis auferat libertatem. Nunc<sup>3</sup> intu-  
 “ endum<sup>4</sup> est qualiter insolentis arrogantia ampullosa  
 “ ventositas<sup>5</sup> humanas mentes erigat in tumorem;<sup>6</sup>  
 “ cujus infirmitatis contagione funesta vitiata hominum  
 “ multitudo, dum se supra se insolenter extollit, infra  
 “ se ruinosè<sup>7</sup> descendit, sibi derogans arrogando, se  
 “ dejiciens<sup>8</sup> erigendo, se sibi auferens efferendo. Ho-  
 “ rum<sup>9</sup> hominum aut verborum solemnitas pompositas,  
 “ vel<sup>10</sup> suspicionis mater taciturnitas, aut quædam actus  
 “ specificatio, sive<sup>11</sup> insolens gestus exceptio, aut nimia  
 “ corporis comptio<sup>12</sup> exterius, interiorem mentis glos-  
 “ sat<sup>13</sup> superbiam. Alii namque quos servilis conditionis  
 “ demittit humilitas, augustam jactant<sup>14</sup> libertatem. Alii  
 “ vero, dum scurrilis generis vilitate plebescunt, verbo  
 “ tenus se sanguinis insignitate præsignant.<sup>15</sup> Alii, dum  
 “ in artis grammaticæ vagientes cunabulis ejusdem  
 “ lactantur uberibus, Aristotelicæ subtilitatis apicem  
 “ profitentur. Alii, dum leporinæ timiditatis gelicidiis  
 “ intorpescent,<sup>16</sup> solo verbositatis remedio animositatem  
 “ efferunt leoninam. Sunt alii qui ea quæ internæ  
 “ indignationis supercilium claudit interius, exteriori  
 “ evidenter eloquuntur silentio. Nam aliis, vel in in-  
 “ feriori morum gradu jacentibus, vel eis probitatis

<sup>1</sup> *Summæ laudis*, A. *Simiæ*, B.

<sup>2</sup> *Ecce homines*, B.

<sup>3</sup> *Descriptio Superbiæ*. Rubric in  
A.

<sup>4</sup> *intendendum*, B.

<sup>5</sup> *arrogantiæ ampullositas*, M.

<sup>6</sup> *intenciosem*, B.

<sup>7</sup> *ruinosa*, M.

<sup>8</sup> *se deprimens*, M.

<sup>9</sup> *Horum autem hominum*, M.

<sup>10</sup> *aut*, M. B.

<sup>11</sup> *aut*, M.

<sup>12</sup> *corruptio*, M.

<sup>13</sup> *arguit*, M.

<sup>14</sup> *jactitant*, M. B.

<sup>15</sup> *sanguinis generositate exaltant*,  
M. *præsigniunt*, B.

<sup>16</sup> *torpescent*, M.

“ parilitate comparibus, vel etiam elatiori fastigio<sup>1</sup>  
 “ dignitatis pollutibus, mutuæ colloctionis commu-  
 “ nicare participium dedignantur. A quibus, si quis  
 “ postulationis suffragio<sup>2</sup> verbum interroget,<sup>3</sup> tanta  
 “ taciturnitatis intercapedine a quæstione dividitur<sup>4</sup>  
 “ responsio, ut eidem eadem<sup>5</sup> nulla cognatione videatur  
 “ affinis. Alii, suos actus specificare gaudentes, in mul-  
 “ titudine singulares, in generalitate speciales, in uni-  
 “ versitate<sup>6</sup> adversi, in unitate diversi omnifariam  
 “ esse<sup>7</sup> laborant. Dum alii namque exercentur col-  
 “ loquiis, isti indulgent silentiis; dum alii lasciviis  
 “ solvuntur, isti seriis implicari videntur; dum alii feri-  
 “ alibus<sup>8</sup> implicantur<sup>9</sup> negotiis, isti otiantur lasciviis;<sup>10</sup>  
 “ dum alii quadam hilaritatis festivitate serenantur<sup>11</sup>  
 “ in facie, isti in vultu quamdam malevolæ severitatis  
 “ præferunt tempestatem. Alii interiores<sup>12</sup> superbix  
 “ gestus exteriori<sup>13</sup> gestus exceptione figurant; qui tan-  
 “ quam terrena omnia despiciant,<sup>14</sup> cœlestia supinati<sup>15</sup>  
 “ suspiciunt, oculos indignanter obliquant, supercilia  
 “ abundanter exaltant, mentum superciliose supinant,  
 “ brachia in arcus tensione<sup>16</sup> exemplant. Horum etiam  
 “ pedes terram sola articulorum contactione<sup>17</sup> delibant.  
 “ Alii vero sua corpora femineis comptionibus<sup>18</sup> nimis  
 “ effeminant, qui suorum capillorum concilium<sup>19</sup> pectinis  
 “ subsidio in tanta pace conciliant, ut nec lenis aura  
 “ in eis possit suscitare tumultum; luxuriantis etiam  
 “ supercilii fimbrias forcicis<sup>20</sup> patrocínio metunt,<sup>21</sup> aut

<sup>1</sup> *altiori fastigio*, B.

<sup>2</sup> *interrogationis suffragio*, M.

<sup>3</sup> *expostulet*, M.

<sup>4</sup> *omittetur*, M. *dividetur*, B.

<sup>5</sup> *eadem*, omitted in B. *hæc*, M.

<sup>6</sup> *in universalitate*, M.

<sup>7</sup> *omnifarie esse*, B.

<sup>8</sup> *alii solvuntur lasciviis*, B.

<sup>9</sup> *applicantur*, B.

<sup>10</sup> *negotiis isti otiantur*, B.

<sup>11</sup> *quadam serenitatis festivitate hilarantur*, M.

<sup>12</sup> *interioris*, M.

<sup>13</sup> *exteriore*, A.

<sup>14</sup> *omnia despiciant*, M.

<sup>15</sup> *supini cœlestia suspiciunt*, M.

<sup>16</sup> *tensione*, omitted in M.

<sup>17</sup> *contractione*, M.

<sup>18</sup> *compositionibus*, M.

<sup>19</sup> *conciliorum*, M.

<sup>20</sup> *forpicis*, A. B.

<sup>21</sup> *demetunt*, M.

“ ab ejusdem silva superflua extirpando decerpunt ;  
 “ pullulanti etiam barbæ crebras novaculæ apponunt  
 “ insidias, ut nec eadem paululum audeat pullulare ;  
 “ brachia manicarum angustias conqueruntur, et pedes  
 “ calceorum<sup>1</sup> angustiis in ergastulis carcerantur. Heu !  
 “ hominibus<sup>2</sup> unde iste fastus, ista superbia ? quorum<sup>3</sup>  
 “ ærumnosa nativitas, quorum vitam laboriosa demoli-  
 “ tur pœnalitas, quorum pœnalitatem pœnaliior mortis  
 “ concludit necessitas ; quibus esse<sup>4</sup> momentum, vita  
 “ naufragium, mundus exilium ; quibus vita<sup>5</sup> aut abest,  
 “ aut spondet absentiam, mors autem instat, aut minatur  
 “ instantiam.

“ De Superbia vero filia nascitur, quæ matris maligni-  
 “ tate<sup>6</sup> hæreditate potitur. Hæc est Invidia, quæ  
 “ continuæ detractiois rubiginosa demorsione homi-  
 “ num animos demolitur.<sup>7</sup> Hæc est verm̄is cujus morsu  
 “ morbidata mentis sanitas contabescit in saniem ;  
 “ mentis sinceritas computrescit in cariem ; mentis  
 “ requies liquitur<sup>8</sup> in laborem. Hæc est hospes qui,  
 “ apud suum hospitem in hospitio hospitatus,<sup>9</sup> sui  
 “ hospitis labefactat hospitium. Hæc est possessio  
 “ pessime, immo possessive, suum<sup>10</sup> possidens posses-  
 “ sorem, quæ dum alios latratibus detractiois<sup>11</sup> vexat,  
 “ sui possessoris animum intestino morsu profundius  
 “ inquietat.<sup>12</sup> Hæc est Invidia, quæ in illos quos  
 “ vitiorum absorbet infernus, a quibus dotes corporis<sup>13</sup>  
 “ ratio naturæ proscribit, quos in paupertatem insania  
 “ fortunæ<sup>14</sup> evomit,<sup>15</sup> indignantis suæ detractiois facit

<sup>1</sup> *pedes etiam in angustiis calceorum in ergastulis, B.*

<sup>2</sup> *homini, M. B.*

<sup>3</sup> *cujus, and so through the phrase, M. B.*

<sup>4</sup> *cujus omne esse, M. cui esse, B.*

<sup>5</sup> *cujus vitæ, M. cui vita, B.*

<sup>6</sup> *maternæ malignitatis, M. matris malignitatis, B.*

<sup>7</sup> *demollitur, B.*

<sup>8</sup> *liquatur, M.*

<sup>9</sup> *hospitio exceptus, M. inhospitaliter hospitatus, B.*

<sup>10</sup> *pessime suum, B.*

<sup>11</sup> *detractiois latratibus vexat, B.*

<sup>12</sup> *morsu perfodiens inquietat, M.*

<sup>13</sup> *corporis dotes, B.*

<sup>14</sup> *insanæ fortunæ, M.*

<sup>15</sup> *emovit, B.*

“ aculeos otiari. Sed si quis in torrente divitiarum  
 “ natat cum Cræso, opes spargit<sup>1</sup> cum Tito,<sup>2</sup> in specie  
 “ disputat cum Narcisso, cum Turno tonat animositate,  
 “ Herculi colludit<sup>3</sup> in robore, cum Homero pegasæo  
 “ nectare debriatur,<sup>4</sup> cum Platone philosophiam facie  
 “ ad faciem speculatur, cum Hippolyto castitatis spe-  
 “ culo sigillatur, in hunc omnes suarum detractionum  
 “ acervos<sup>5</sup> expendit. Nam audaciam furori temeri-  
 “ tatis assignat, prudentiam aut<sup>6</sup> in fraudis versutias,  
 “ aut in verbositatis ampullositatem obliquat. Per  
 “ hanc etiam,<sup>7</sup> pudor in hypocrisis deauratione de-  
 “ trahendo degenerat.<sup>8</sup> Hæc invidiæ tabes plerosque  
 “ tabificat, qui dum alienæ famæ nitorem conantur  
 “ detrahere,<sup>9</sup> prima<sup>10</sup> suæ probitatis sentirent detri-  
 “ menta. His aliena prosperitas adversa, aliena adver-  
 “ sitas prospera judicatur. Hi in aliena gratulatione  
 “ tristantur, in aliena tristitia gratulantur. Isti suas  
 “ in aliena paupertate divitias, suamque paupertatem  
 “ in alienis divitiis metiuntur. Isti autem alienæ  
 “ famæ serenitatem detractionis nubilo nubilare conan-  
 “ tur, aut ejusdem gloriam sola taciturnitate furari.  
 “ Isti aut parvam<sup>11</sup> alienæ<sup>12</sup> probitatis sinceritatem  
 “ fermentant, aut veris falsitatis fermenta maritant.  
 “ Proh dolor! Invidia quid monstruosius monstrum?  
 “ quid damnosius damnum? quæ culpabilior culpa? quæ  
 “ pœnaliior pœna? Hæc est erroneæ cæcitatibus abyssus.  
 “ humanæ mentis infernus, contentionis stimulus, cor-  
 “ rixationis<sup>13</sup> aculeus. Qui<sup>14</sup> sunt invidiæ motus, nisi

<sup>1</sup> *spergit*, B.<sup>2</sup> *cum Cyro*, M.<sup>3</sup> *concludit*, A.<sup>4</sup> These five words are omitted in M.<sup>5</sup> *aculeos*, M.<sup>6</sup> *aut*, omitted in B. *prudentiam animi*, M.<sup>7</sup> *Per hujus etiam detractionem*, M.<sup>8</sup> *pudor in hypocrisim degenerat*, M.<sup>9</sup> *detrahere conantur*, M. *deterere, vel detrahere*, A.<sup>10</sup> *primi*, M.<sup>11</sup> *puram*, B.<sup>12</sup> *aut pravis interpretationibus alienæ probitatis*, M.<sup>13</sup> *anxietatis*, M.<sup>14</sup> *Quid sunt*, B.

“ humanæ tranquillitatis hostes, mentalis deprædationis  
 “ satellites, animæ<sup>1</sup> laborantis vigiliæ hostiles, alienæ  
 “ felicitatis excubiæ? Quid prodest alicui, si ei sere-  
 “ nitas fortunæ prosperantis applaudat, corpus etiam  
 “ purpuramento pulchritudinis hillarescat, mens etiam<sup>2</sup>  
 “ sapientiæ splendore præfulgeat, cum liventis invidiæ  
 “ latrocinium mentis deprædans divitias, fortunæ pros-  
 “ perantis serenitatem adversitatis vertit in nubila?<sup>3</sup>  
 “ decoris aurum turpitudinis demutet<sup>4</sup> in scoriam?  
 “ prudentiæ gloriam degloriet<sup>5</sup> livor inglorius?

“ Si quis tamen livoris rubiginem, invidiæ tineam,  
 “ a mentis thesauro velit proscribere, in alieno dolore  
 “ suum dolorem inveniat condolendo, alienumque gau-  
 “ dium<sup>6</sup> suum faciat congraudendo, in alienis opibus  
 “ suas penset divitias, in aliena pauperie<sup>7</sup> suam lugeat  
 “ paupertatem. Si alienam probitatem famæ videas  
 “ solemnibus celebrari, festum præconii diem nulla facias<sup>8</sup>  
 “ detractioe profestum, sed tuæ declarationis meridiæ  
 “ alienæ probitatis lucerna in communi<sup>9</sup> deducta pul-  
 “ chrius<sup>10</sup> elucescat. Si quos in titulos alienæ famæ  
 “ detractioe latratibus vides<sup>11</sup> indulgere, aut te a  
 “ grege<sup>12</sup> latrantium excipias, aut admonitionis objectu<sup>13</sup>  
 “ detrahentes hebetes linguas,<sup>14</sup> latratus inanias cor-  
 “ rosionis conteras<sup>15</sup> dentes, detractioe demordeas  
 “ morsiones.<sup>16</sup>

“ Huic<sup>17</sup> prætaxato vitiorum symbolo, Adulatio suæ  
 “ malignitatis portionem annectit. Hujus pestis pesti-  
 “ lentia percutiuntur principum laterales, palatini canes,  
 “ adulationis artifices, fabri laudis,<sup>18</sup> figuli falsitatis.

<sup>1</sup> *animi*, M.

<sup>2</sup> *mens insuper*, M.

<sup>3</sup> *vertat in nubilam*, B.

<sup>4</sup> *dimittat*, B. *convertat*, M.

<sup>5</sup> *declinet*, B.

<sup>6</sup> *alienum gaudium*, B.

<sup>7</sup> *paupertate*, M.

<sup>8</sup> *facies*, B.

<sup>9</sup> *in commune*, B. M.

<sup>10</sup> *clarius*, M.

<sup>11</sup> *videas*, B. M.

<sup>12</sup> *a lege*, B. *indulgere*, a grege, M.

<sup>13</sup> *objecto*, M.

<sup>14</sup> *linguas hebetes*, M.

<sup>15</sup> *dentes conteras*, M. *conterans*,

B.

<sup>16</sup> *morsus*, M.

<sup>17</sup> *Descriptio adulationis*. Rubric  
in A.

<sup>18</sup> *fabri laudum*, M.

“ Hi sunt qui magniloqua commendationis tuba<sup>1</sup> in  
 “ divitum auribus citharizant;<sup>2</sup> qui mellitæ adulationis  
 “ favos foras eructuant; qui, ut emungant munera,  
 “ caput divitis oleo adulationis inungunt, prælatorum  
 “ auribus pulvinaria laudum subjiciunt, qui ab eorum-  
 “ dem palliis aut fictitium pulverem excutiunt,<sup>3</sup> aut  
 “ vestem<sup>4</sup> sophisticè implumem deplumant.<sup>5</sup> Isti divi-  
 “ tum actus in quos favor famæ<sup>6</sup> conspuat indignantis,<sup>7</sup>  
 “ suffragiis laudum redimunt mendicatis. Isti penes  
 “ munera laudes, penes dona favores, penes pretium  
 “ præconia famæ blandientis constituunt. Nam si in  
 “ dono divitis prodigalitatē torrens eniteat, adulator  
 “ in prodigalitatē laudis<sup>8</sup> totus effunditur. Si vero  
 “ hyemalis avaritiæ torporem divitis munus redoleat,  
 “ adulator avarus in laudem commendationis, algescit  
 “ in munere. Sed si muneris antonomasia<sup>9</sup> videatur  
 “ laudis<sup>10</sup> tympana postulare, adulationis poeta stylo  
 “ commendationis turget altiloquio. Si vero muneris  
 “ pauperies famæ mendicat suffragia, humiliori stylo  
 “ famæ depauperat dignitatē; quoniam ubi perorat  
 “ muneris altitudo, adulator hypocriticas laudes, famas<sup>11</sup>  
 “ umbratiles, leves perjurias, de thesauro sui cordis  
 “ eructuat.<sup>12</sup> Nam si ille pro quo munus eloquitur  
 “ tanta fuerit turpitudinis tempestate dejectus, ut in  
 “ eo vix naturalium donorum fragmenta resultent, ei  
 “ pulchritudinis prærogativam adulationis poemata som-  
 “ niabunt; pigmeas etiam pusillanimitatis angus-  
 “ tias<sup>13</sup> mentientur esse palatia; humiles etiam torpentis  
 “ avaritiæ tenebras prodigalitatē efferent<sup>14</sup> in exces-

<sup>1</sup> adulationis tuba, B.

<sup>2</sup> clangunt, M.

<sup>3</sup> fictitium excutiunt pulverem, M.

<sup>4</sup> aut tunicam, M.

<sup>5</sup> deplumant implumem, M. B.

<sup>6</sup> famæ favor, B.

<sup>7</sup> indignanter, B.

<sup>8</sup> in prodigalitatē laudem, B.

<sup>9</sup> si munus antonomastice videatur,  
M.

<sup>10</sup> laudum, B. M.

<sup>11</sup> famas, B.

<sup>12</sup> eructat, M.

<sup>13</sup> minimas pusillanimitatis angus-  
tias, M.

<sup>14</sup> latebras, prodigalitatē profe-  
rent, M.

“ sum; humilitatem etiam plebescentis generis, titulo  
 “ Cæsareæ nobilitatis mentientur augustam.<sup>1</sup> Quid  
 “ amplius? Si apud aliquem nulla virtute a vitiis  
 “ excusatum castrametetur scelerum plenitudo,<sup>2</sup> dum  
 “ munus mediator occurrit, laudum mercenarius adu-  
 “ lator, superficiali commendationis<sup>3</sup> tunica vitiorum  
 “ tenuiter colorat aspectum. E contrario vero, si totius  
 “ decoris merities alicujus hillarescat in facie, lingua  
 “ argenteis eloquentiæ resplendat margaritis, mentis  
 “ thalamus virtutum fulguret ornamentis; tamen, si  
 “ adulationis artifex muneris gratiam non expectet,<sup>4</sup>  
 “ tantæ honestatis luci, cum vitiorum fastigiis nebulas  
 “ immiscere laborat. Quid igitur adulationis inunctio,  
 “ nisi donorum emunctio? Quid commendationis al-  
 “ lusio,<sup>5</sup> nisi prælatorum delusio? <sup>6</sup> Quid laudis arrisio,  
 “ nisi eorum<sup>7</sup> derisio? Nam cum loquela, fidelis in-  
 “ tellectus interpres, verba fideles<sup>8</sup> animi picturæ, vultus  
 “ voluntatis signaculum, lingua mentis soleat esse pro-  
 “ pheta, adultores a voluntate vultum, ab animo  
 “ verbum, a mente linguam, ab intellectu loquelam,  
 “ amplo discessionis<sup>9</sup> intervallo diffibulant. Plerique  
 “ etenim forinseca dealbatione laudis arrident, quos in-  
 “ terna mentis subsannatione derident. Plurimosque<sup>10</sup>  
 “ exterius plausibiliter applaudendo collaudant, quos  
 “ interius contradictoria derisione defraudant. Foris  
 “ vultu applaudunt virgineo, intus scorpionis pungunt  
 “ aculeo. Foris adulationis mellitos compluunt imbres,  
 “ intus sinapias<sup>11</sup> detractionis evomunt tempestates.”

Tunc ego, continuæ narrationis aurigationem refre-  
 nans, dixi: “ Vellem ut rationabilibus tuæ disciplina-  
 “ tionis propugnaculis, contra furiales istorum vitiorum<sup>12</sup>

<sup>1</sup> *angustiam*, B.

<sup>2</sup> *multitudo*, M.

<sup>3</sup> *commendationum*, B.

<sup>4</sup> *non aspectet*, B.

<sup>5</sup> *illusio*, B.

<sup>6</sup> *prælatorum illusio*, M.

<sup>7</sup> *nisi eorundem*, B.

<sup>8</sup> *fidelis*, B.

<sup>9</sup> *discensionis*, A.

<sup>10</sup> *Plerosque*, M. B.

<sup>11</sup> *sinapias*, omitted in B. M.

<sup>12</sup> *vitiorum istorum*, B.



“ exercitus, meæ mentis roborares oppidulum.” Tunc<sup>1</sup>  
illa:—

“ Ne te gulosæ Scylla voraginis  
 “ Mergat profunda nocte libidinis,<sup>2</sup>  
 “ Præbe palato fræna modestiæ,  
 “ Venti tributum solve modestius,  
 “ Imbrem Lyæi<sup>3</sup> semita gutturis  
 “ Libet modeste Bacchica pocula ;  
 “ Pota parumper, ut quasi poculis  
 “ Bacchi putetur os dare basia.  
 “ Frangat Lyæi lympha superbiam,  
 “ Bacchi furorem flumina temperent ;  
 “ Nuptam Lyæo se Thetis offerat,  
 “ Frenet mariti nupta tyrannidem.  
 “ Plebæa, simplex, rara comestio  
 “ Carnis superbæ murmura conterat.  
 “ Ut te tyrannus parcius urgeat,  
 “ Semper in ista carne superbiens,  
 “ Lentus Cupido sic aget otia.  
 “ Frenentur in te frena Cupidinis,<sup>4</sup>  
 “ Languens stupescat carnis aculeus,  
 “ Ancilla fiet sic caro spiritus ;  
 “ Largire visus pessula januæ,  
 “ Frenans<sup>5</sup> ocellos, ne nimis improbe  
 “ Venetur<sup>6</sup> extra luminis impetus,  
 “ Prædamque menti nuntius offerat.  
 “ Si quos habendi fervor inebriat,  
 “ Exire cogant, mentis<sup>7</sup> pecuniam,  
 “ Mentis triumphum sentiat ambitus,  
 “ Victa premantur colla Cupidinis,  
 “ Nec in crumenis ipsa pecunia  
 “ Clausis moretur, pigraque dormiat,

<sup>1</sup> *De remediis contra præfata vitia.*  
 Rubric in A.

<sup>2</sup> *libidinum*, B.

<sup>3</sup> *Imbres Lyæi*, B.

<sup>4</sup> *libidinis*, M.

<sup>5</sup> *Frenes*, M.

<sup>6</sup> *Venentur*, M.

<sup>7</sup> *mente*, M. B.

“ Nulli vacando, sed magis excubet  
 “ Custos honoris, divitis usibus.  
 “ Si tempus adsit, si locus exigat,  
 “ Surgat sepulta<sup>1</sup> massa pecuniæ,  
 “ Nummos crumenæ funditus evomant.<sup>2</sup>  
 “ Quodvis<sup>3</sup> honori munera militent.<sup>4</sup>  
 “ Calcare si vis colla superbiæ,  
 “ Flatus tumoris, fulmina spiritus,  
 “ Pensa caducæ pondus originis,  
 “ Vitæ labores, mortis apocopam.”<sup>5</sup>

Cum<sup>6</sup> in hanc specialis disciplinæ semitam oratio Naturæ procederet, ecce vir subitaneæ<sup>7</sup> apparitionis miraculo, sine omni nostræ præconsiderationis vexillo, suam præsentiam nostris conspectibus præsentavit.<sup>8</sup> Qui, cum nullius ætatis legi videretur obnoxius, nunc juvenilis vere<sup>9</sup> pubescebat ætatis, nunc maturioris ævi facies seria loquebatur, nunc vultus senectutis sulcis videbatur arari. Qui sicut multimodo<sup>10</sup> ætatis vicaria facie fluctuabat, sic ejus statura mancipitem, nunc quantitas castigatior<sup>11</sup> humilius dehumabat,<sup>12</sup> nunc æquilibratæ mediocritatis libramen ampliabat<sup>13</sup> staturæ inopiam, nunc audaci proceritate quantitatis evadens giganteis contendebat excessibus. Hujus in facie nulla femineæ mollitiei resultabant vestigia,<sup>14</sup> sed sola virilis dignitatis regnabat auctoritas. Hujus facies nec fletus imbribus compluta, nec risus erat lasciviis serenata, sed ab utroque servata modestia,<sup>15</sup> magis aspirabat in lacrimas. Cæsaries vero<sup>16</sup> inducias adepta litigii, artificiosi pectinis fatebatur

<sup>1</sup> *sepultæ*, B.

<sup>2</sup> *evomat*, B.

<sup>3</sup> *Quævis*, M. *Quavis*, B.

<sup>4</sup> *militent*, M. *munera invident*, A.

<sup>5</sup> *mortis et apocham*, A. M.

<sup>6</sup> *Descriptio Hymenæi*. Rubric in A.

<sup>7</sup> *subitæ*, M.

<sup>8</sup> *præsentabat*, B.

<sup>9</sup> *nunc juventutis vere, nunc*, M.

<sup>10</sup> *multimodæ*, M. B.

<sup>11</sup> *quantitas minor*, M.

<sup>12</sup> *derivabat*, B.

<sup>13</sup> *libramina staturæ ampliabant*, M. B.

<sup>14</sup> *vestigia resultabant*, M. B.

<sup>15</sup> *feriata, modestius magis*, M.

<sup>16</sup> *tamen*, B. omitted in M.

industriam. Moderatæ tamen comptionis libramine jacebat ornata, ne si comptionibus vagaretur anomalis, in femineam degenerare videretur mollitiem. Et ne frontis aream<sup>1</sup> comæ sepeliret nubecula, forpiciis morsum capillorum sensit<sup>2</sup> extremitas. Hujus quoque facies, prout virilis dignitas exposcebat, a nulla pulchritudinis gratia deviabat. Hujus etiam<sup>3</sup> mentum nunc primam germinabat lanuginem, nunc eadem barba fimbriabat proluxior,<sup>4</sup> nunc luxurianti<sup>5</sup> barbæ vellere silvescere videbatur, nunc novaculæ severitas barbæ castigabat excessum. Annuli<sup>6</sup> vero lapidum gemmati sideribus, manus fulguratione serenantes eximia, solem reddebant novitium.

Vestes vero nunc grossioris materiæ vulgari artificio plebescere, nunc subtilioris materiæ artificiosissima contextione crederes superbire. In quibus picturarum fabulæ nuptiales somniabant eventus, picturatas tamen imagines vetustis fuligo fere coegerat expirare.<sup>7</sup> Ibi tamen<sup>8</sup> sacramentalem matrimonii fidem, connubii pacificam unitatem, nuptiarum indisparabile jugum,<sup>9</sup> nubentium indissolubile vinculum, lingua picturæ fatebatur intextum. In picturæ etenim libro umbratilitate legabatur quæ nuptiarum initiis exultationis applaudat solemnitas, quæ in nuptiis melodiæ solemnizet suavitas, quæ connubiis conviviorum<sup>10</sup> arridebat generalitas specialis, quæ patrimonia citharæ concludat jocunditas generalis, organicorum quæ artificum decuriata pluralitas prædicti hominis decusabat incessus.<sup>11</sup> Ipsi vero artifices in se sui magistri tristitiam figurantes, suis silentium indixerant instrumentis. Unde instrumen-

<sup>1</sup> *frontem auream*, B.

<sup>2</sup> *sentiebat*, M. *sumpsit*, B.

<sup>3</sup> *Hujus mentum*, M. *Hujus etenim*, B.

<sup>4</sup> *nunc ibidem barba fimbriat*, M.

<sup>5</sup> *luxuriantis*, M.

<sup>6</sup> *Oculi vero*, B.

<sup>7</sup> *aspirare*, M.

<sup>8</sup> *Ibi tabulam*, M.

<sup>9</sup> *inseparabile jugum*, M. B.

<sup>10</sup> *convivarum*, M.

<sup>11</sup> *decorabat incessum*, M.

torum officinæ<sup>1</sup> quas silentii torpor faciebat elingues, aspirare videbantur in gemitum. Igitur, postquam Naturæ vicinitati eum localis viciniavit<sup>2</sup> affinitas, illa<sup>3</sup> illum signans<sup>4</sup> ex nomine, cum salutis libamine, ei osculi libamen apposuit. Ex proprii igitur nominis<sup>5</sup> signaculo, cæterarumque circumstantiarum loquentibus signis, Hymenæum qui venerat recognovi. Quem Natura sua locans in dextera, suæ dextræ dignitate donavit.

Dum inter Naturam Hymenæumque quædam colloqui celebraretur festivitas, ecce virgo,<sup>6</sup> suæ pulchritudinis aurora blandiens universis, repentina inopinati eventus<sup>7</sup> præsentia, sui directione itineris ad nostram videbatur aspirare præsentiam. In cuius pulchritudine tanti artificii resultabat solemnitas, ut in nullo claudicaret Naturæ digitus polientis.<sup>8</sup> Hujus facies nullius adventitii coloris mendicabat hypocrisim, sed rosam cum lilio disputantem in facie, insisione<sup>9</sup> mirabili Naturæ plantaverat dextera præpotentis.<sup>10</sup> Oculi vero, simplicitatis disciplinati modestia, nullius petulantia lasciviebant excursibus. Labiaque,<sup>11</sup> proprii retentiva vigoris, nec exhausta suaviis, nec osculis Veneris<sup>12</sup> videbantur<sup>13</sup> sensisse præludia. Hujus tamen faciem in lacrimas desudantem,<sup>14</sup> lacrimarum flumine crederes naufragii dolorem pertulisse.<sup>15</sup> Sertum vero materiaturum<sup>16</sup> ex liliis decusatae insertionis connubio fibulatis, capitis sui<sup>17</sup> arri-serat ornamentis. Cignei tamen crinis candor, dedignatus liliorum supplicare candoribus, contradictoriam

<sup>1</sup> officinæ instrumentorum, B.

<sup>2</sup> viciniat, M. viciniavit, B.

<sup>3</sup> hæc illum, M.

<sup>4</sup> significans, B.

<sup>5</sup> ex ipsius autem nominis, M.

<sup>6</sup> Descriptio Castitatis. Rubric in A.

<sup>7</sup> repentina sui adventus, M.

<sup>8</sup> ut in nullo Naturæ polientis claudicaret digitus, M. in Naturæ claudicaret digitus polientis, B.

<sup>9</sup> mistione mirabili, M. incisione, B.

<sup>10</sup> omnipotentis, M.

<sup>11</sup> Labra vero, B.

<sup>12</sup> veneriis, B.

<sup>13</sup> videbantur Veneris, M.

<sup>14</sup> desudantem in-lacrimas, B.

<sup>15</sup> crederes naufragari, M. dolorem naufragii pertulisse, B.

<sup>16</sup> materialiter, M.

<sup>17</sup> sui capitis, B.

jactitabat albedinem. Vestes etiam suis nivibus prædictorum albedinis argumentis verioribus conclusissent, nisi pictura variis intermixta coloribus<sup>1</sup> earum fefelisset albedinem. In his etiam,<sup>2</sup> sub commento picturæ intextum videbatur, qualiter Hippolyti castitas, muro vallata constantiæ, novercalis luxuriæ oppositionibus institit<sup>3</sup> refellendo. Illic Daphnes, ne virginalis seræ<sup>4</sup> fracturam pessula sustineret, fuga Phœbi fugabat illecebras. Illic Lucretia fracti pudoris dispendium mortis excludebat compendio. Illic in speculo picturæ, castitatis Penelopem speculum poteram speculari.<sup>5</sup> Et ut brevi<sup>6</sup> narrationis tramite subterfugientia<sup>7</sup> picturæ multiloquia comprehendam, nullam castitatis filiam<sup>8</sup> suæ commendationis ferculo picturæ industria<sup>9</sup> defraudavit. Aurei vero sigilli nobilitas, quod jaspidium<sup>10</sup> stellabat siderea multitudo, præfatæ virginis diescebat in dextera. Super sinistram vero residens turtur, sub facie elegiaci carminis, calamitosis ejulationibus suæ vocis citharam coaptabat.<sup>11</sup> Adolescentularum siquidem cohors,<sup>12</sup> quarum nulla videbatur in palæstra Veneris lascivisse, ad<sup>13</sup> itineris solatium, ad obsequiale<sup>14</sup> ministerium, ejus adhærebat vestigiis. Quam postquam Natura prospexit sibi locali proximitate vicinam, solium relinquens occurso solemni<sup>15</sup> obviam ei veniens, salutis præmio, osculi præludio complexus connubio, mentalem foris depinxit affectum. Cumque<sup>16</sup> prædictæ virginis in salutis præfatione<sup>17</sup> nomen enituit, præsentialem agnovi Castitatis adventum.

<sup>1</sup> *varios commentata colores, M.*

<sup>2</sup> *In his etenim, M. B.*

<sup>3</sup> *obstitit, B.*

<sup>4</sup> *feræ jacturam, M.*

<sup>5</sup> *Illic in speculo picturæ castitatis speculum Penelopem poteram speculari, M.*

<sup>6</sup> *Ut igitur brevi, B.*

<sup>7</sup> *subterfugienda, M.*

<sup>8</sup> *nativitatis filiam, M.*

<sup>9</sup> *depictionis industria, M. B.*

<sup>10</sup> *quæ ut jaspidium, M.*

<sup>11</sup> *adaptabat, M.*

<sup>12</sup> *vero, M.*

<sup>13</sup> *quæ ad, B.*

<sup>14</sup> *obsequiæ, B.*

<sup>15</sup> *solemni occurso, B.*

<sup>16</sup> *Dumque, M.*

<sup>17</sup> *in præfatione salutis, M.*

Cumque<sup>1</sup> eidem Natura<sup>2</sup> festivitate collocutionis applauderet, ecce matrona regulari modestia disciplinans incessum ad nos videbatur sui itineris tramitem lineare. Hujus statura mediocritatis erat circumscripta limitibus. Ætas vero meridianam vitæ tendebat ad horam, vitæ tamen meridies in nullo pulchritudinis obviabat auroræ.<sup>3</sup> Pruina<sup>4</sup> etiam senectutis crinem suis nivibus tentabat aspergere, quem ipsa virgo humerorum spatio inordinaria<sup>5</sup> fluctuatione non permiserat juvenari, sed sub<sup>6</sup> disciplinatione ejus cogebat excessum. Vestes vero nec nobilis materiæ gloria superbire, nec ejusdem vilitatis jacturam videbantur deflere;<sup>7</sup> sed mediocritatis obedientes canonibus, nec nimix brevitatibus decurtatione truncatæ, a terræ superficie peregrinantes evaserant, nec portionibus superfluis terræ faciem tunicabant, sed eam brevi degustatione osculi libabant. Zona namque tunicæ moderando decursum, enormitatem revocabat in regulam. Monile vero<sup>8</sup> sinus excubando vestibulis, manui negabat ingressum. In vestibulis vero, pictura suarum litterarum fidelitate docebat, quæ in hominum verbis debeat esse circumcisio, quæ in factis circumscriptio,<sup>9</sup> quæ in habitu mediocritas, quæ in gestu serenitas,<sup>10</sup> quæ in cibo<sup>11</sup> refrenatio oris, quæ in potu castigatio gutturis. Præfatam vero<sup>12</sup> virginem, pedissequarum paucitate vallatam, festinæ obviationis applausu Natura suscipiens, multiplici osculorum epilogo, specificatæ<sup>13</sup> salutationis auspicio, suæ dilectionis cumulum figuravit; expressivaque<sup>14</sup> sui nominis

<sup>1</sup> *Descriptio Temperantiæ.* Rubric in A.

<sup>2</sup> *Natura eidem,* B.

<sup>3</sup> *obviabat amori,* M.

<sup>4</sup> *Ruina,* M.

<sup>5</sup> *inordinata,* B.

<sup>6</sup> *filii,* A.

<sup>7</sup> *Vestes nec nobilis materiæ superbire gloria, nec vilitatis videbantur deflere jacturam,* M.

<sup>8</sup> *autem,* M.

<sup>9</sup> *circumscriptio,* B.

<sup>10</sup> *in gestu severitas,* M. B.

<sup>11</sup> *in cibis,* M. B.

<sup>12</sup> *igitur,* M. B.

<sup>13</sup> *specificatæque,* M. B.

<sup>14</sup> *expressaque,* M.

proprii expressio, Temperantiæ favorabilem expressit<sup>1</sup> adventum.

Cumque amicæ salutationis munere Natura Temperantiæ, initiaretur<sup>2</sup> præsentiam, ecce mulier<sup>3</sup> cujus pulchritudinis adducta<sup>4</sup> fulgori<sup>5</sup> materialis dies<sup>6</sup> serenioris vultus speciem jactitabat, iter festinando maturans, ad nos sui gressus lineas visa est ordinare. Hujus statura natu dedignata<sup>7</sup> pauperiem humanæ staturæ irregulariter evadebat.<sup>8</sup> Cujus<sup>9</sup> caput non in terram humiliando degenerans,<sup>10</sup> faciem faciebat encliticam, sed erecta cervice ad superna suspendens intuitum, ad altiora visus legebat excussum.<sup>11</sup> Hujus speciem Natura lima tantæ expolitionis implanaverat,<sup>12</sup> ut in ea sui artificis industriam possit<sup>13</sup> admirari. Diadema vero, non operis insignitate materiæ redimens paupertatem, nec ejusdem nobilitate materiæ vilitatem recuperans, sed in utroque singularem præferens<sup>14</sup> monarchiam, sine morsu peremptoriæ proprietatis ardebat in capite. Aureus tamen crinis, gratiori igne flammantior, aureo diademati indignanter<sup>15</sup> videbatur præstare subsellia. Qui nec forcicis apocopatus industria, nec in tricaturarum<sup>16</sup> manipulos colligebatur,<sup>17</sup> sed digressiora<sup>18</sup> excursionem luxurians, limites humerorum transgrediens, terræ videbatur condescendere paupertati. Brachia vero, non<sup>19</sup> brevitatis damnata pauperie, sed proceritatis excursu fluentia, non retro reciproca, sed in anteriora

<sup>1</sup> *ingessit*, M.

<sup>2</sup> *veneraretur*, M.

<sup>3</sup> *De Largitate*. Rubric in A.

<sup>4</sup> *adjuta*, M. B.

<sup>5</sup> *fulgore*, B.

<sup>6</sup> *naturalis dies*, B.

<sup>7</sup> *Naturæ dedignata pauperiem*, B.

<sup>8</sup> *staturæ regulam evadebat*, M.  
*staturæ regulam regulariter evadebat*, B.

<sup>9</sup> *Hujus*, M. B.

<sup>10</sup> *humiliando depressum*, M.

<sup>11</sup> *legebat excussum*, M. B.

<sup>12</sup> *Hujus speciem Natura expolitione limata exculsit, ut in*, M.  
*Natura lima tantæ expolitionis exculsit*, B.

<sup>13</sup> *posset industriam*, B.

<sup>14</sup> *referens*, M.

<sup>15</sup> *indignando*, M.

<sup>16</sup> *tricaturæ*, M.

<sup>17</sup> *colligatus*, M. B.

<sup>18</sup> *pigressiori*, M. *digressoria*, B.

<sup>19</sup> *Brachia, non*, M.

crederes esse transitura.<sup>1</sup> Manus vero,<sup>2</sup> nullius complo-  
sionis arcuatione<sup>3</sup> reciprocae, sed largae expansionis  
explicatione productiles, largiendi affectabant officia.  
Vestes etiam ex aureis sericisque<sup>4</sup> filis insertionis osculo  
conjugatis materiam sortientes, ut a<sup>5</sup> materiei<sup>6</sup> gene-  
rositate operis degeneraret<sup>7</sup> subtilitas, tanti artificii  
gratulabantur<sup>8</sup> insigniis,<sup>9</sup> ut non materialem, verum  
etiam supracaelestem manum operi crederes insudasse.  
In quibus imaginaria picturae probabilitas, sophistico  
picturationis suae<sup>10</sup> praestigio, homines notorio avaritiae  
crimine laborantes anathematis damnabat opprobrio.  
Largitatis vero filios, famae praconiis titulos, vide-  
batur benedictionis gratia compotire.<sup>11</sup> Praefata vero<sup>12</sup>  
mulier, numero asseclarum<sup>13</sup> vallata ternario, cum sui  
murationi gressus<sup>14</sup> insisteret, ecce Natura celebri  
occursu illius amicans<sup>15</sup> incessus, osculum salutatione  
dimidians, salutationem osculo syncopabat. Et cum  
formae<sup>16</sup> specialis insignitas, habitus specificati civilitas,<sup>17</sup>  
gestus individualitas, Largitatis dum promulgarent<sup>18</sup>  
adventum, nomen in salutatione resultans, ejusdem rei  
fidem a nube dubitationis excepi.

Dum vero Natura<sup>19</sup> Largitati primitivae salutationis  
amicaeque applausitionis<sup>20</sup> jura persolveret, ecce puella,<sup>21</sup>  
lentitudine pigritantis gressus morosior, columbini vul-  
tus placiditate serenior, modicitate staturae castigationi<sup>22</sup>  
humilior, ad nos divertere suam<sup>23</sup> testudinei gressus

<sup>1</sup> *transitiva*, B.

<sup>2</sup> *Manus nullius*, M.

<sup>3</sup> *arctationis*, M. *arcuatione*, B.

<sup>4</sup> *cericisque filis*, B.

<sup>5</sup> *et a*, B.

<sup>6</sup> *materiae*, M.

<sup>7</sup> *non degeneraret*, B. *commen-*  
*data*, M.

<sup>8</sup> *gratulabatur*, M.

<sup>9</sup> *insignibus*, M. B.

<sup>10</sup> *suae picturationis*, B.

<sup>11</sup> *titulos, benedictionis gratia com-*  
*pensabat*, M. *compotiri*, B.

<sup>12</sup> *Praefata igitur*, B. M.

<sup>13</sup> *solo asseclarum*, M. B.

<sup>14</sup> *gressus murationi*, M.

<sup>15</sup> *ejus amicans*, B.

<sup>16</sup> *Ejus formae specialis*, M.

<sup>17</sup> *curialitas*, M.

<sup>18</sup> *promulgaret*, B.

<sup>19</sup> *Dum Natura*, M.

<sup>20</sup> *applausionis*, M.

<sup>21</sup> *Discriptio Humilitatis*. Rubric  
in A.

<sup>22</sup> *castigatoris*, M. *castigationis*, B.

<sup>23</sup> *suam*, omitted in B.



modestiam hortabatur.<sup>1</sup> Staturæ tamen humilitati, gratia pulchritudinis venerari patronum.<sup>2</sup> Quæ non mechanicis<sup>3</sup> humani artificii usurpata fallaciis, sed vivo fonte Naturæ scaturiens<sup>4</sup> totum corpus decoris<sup>5</sup> afflaverat ornamentis. Hujus crinis tanta fuerat forcicis demorsione succisus, ut apocopationis figura decurtatus in vitium<sup>6</sup> transmigraret. Capillos vero residuos quodam<sup>7</sup> exorbitationis diversiclinio devagantes, inexplicabili intricatione complicitos, inter se crederes litigare. Caput vero demissione profunda dejectum, humiliter encliticabat in terram. Vestes vero non a materiæ colore nativo<sup>8</sup> appositivi coloris adulteratione degeneres,<sup>9</sup> suburbanæ materiæ vulgaritatem artificiosæ operationis defendebant subsidio. Ibi fabulosis<sup>10</sup> picturæ commentis legebatur inscriptum, qualiter in virtutum catalogo Humilitas insignitatis præfulgeret vexillo.<sup>11</sup> Superbia vero a sacramentali virtutum synodo, excommunicationis suspensa caractere, extremo relegationis damnaretur excidio. Huic igitur adventanti, Natura eximiori<sup>12</sup> festinatione veniens in occursum, salutationis suæ ferculum osculorum condimento melliens,<sup>13</sup> vultum dilectionis exhibuit medullatæ. In specificatæ vero<sup>14</sup> personæ idiomatibus, mihi Humilitatis resultavit adventus.

Dum itaque Hymenæus, prætaxatæque virgines, in Naturæ facie intestinæ conquestionis faciem exemplarent, internique doloris ideas in forinsecæ lacrimationis icones<sup>15</sup> producere molirentur, ecce Natura verbis verba præveniens,<sup>16</sup> ait: “O sola humanæ tenebrositatis lumi-

<sup>1</sup> *modestia videbatur*, M.

<sup>2</sup> *venerat in patronum*, M. *videbatur venerari patronum*, B.

<sup>3</sup> *Quæ mechanicis*, M.

<sup>4</sup> *scaturientis*, M.

<sup>5</sup> *decorum*, B.

<sup>6</sup> *fere in vitium*, M. B.

<sup>7</sup> *Capillos vero quodam*, M.

<sup>8</sup> *non a nativæ materiæ colore*, B.

<sup>9</sup> *degeneris*, M.

<sup>10</sup> *fabulosæ*, B.

<sup>11</sup> *vexillo præfulgeret*, M.

<sup>12</sup> *enixiori*, B. M.

<sup>13</sup> *melliniens condimento*, M.

<sup>14</sup> *in specificationis vero*, M. *in speciositatis vero*, B.

<sup>15</sup> *iconias*, B.

<sup>16</sup> *Conquestus Naturæ ad Virtutes super hominis degeneratione*. Rubric in A.

“ naria, occidentis mundi sidera matutina, naufragorum  
 “ tabulæ speciales, portus mundialium fluctuum sin-  
 “ gulares! radicatæ cognitionis maturitate cognosco  
 “ quæ si vestri conventus ratio, quæ adventus oc-  
 “ casio, quæ lamentationis causa, quæ doloris exordia.  
 “ Homines enim<sup>1</sup> sola humanitatis<sup>2</sup> specie figurati,  
 “ interius vero belluinæ infirmitatis<sup>3</sup> deformitate de-  
 “ jecti, quos humanitatis chlamide me doleo inves-  
 “ tisse, a terrenæ<sup>4</sup> inhabitationis patrimonio vos ex-  
 “ hæredare conantur, sibi terrestre funditus usurpando  
 “ dominium, vos ad cœleste domicilium repatriare co-  
 “ gentes. Quoniam ergo res mea agitur, cum familiaris  
 “ paries inflammatur incendio, vestræ passioni<sup>5</sup> com-  
 “ patiens, vestro dolori condolens, in vestro genitu<sup>6</sup>  
 “ meum lego genitum,<sup>7</sup> in vestra adversitate meum  
 “ invenio detrimentum. De contingentibus igitur nihil  
 “ omittens, in me finem proprium consecuta, prout  
 “ valeo brachium meæ potestatis extendere, eos vin-  
 “ dicta vitio respondente percutiam. Sed quia excedere  
 “ limitem meæ virtutis non valeo, nec meæ facultatis  
 “ est, hujus pestilentiae virus omnifarie<sup>8</sup> extirpare, meæ  
 “ possibilitatis regulam prosecuta, homines prædictorum  
 “ vitiorum amfractibus irretitos anathematis cauteriabo  
 “ caractere.

“ Genium vero qui mihi in sacerdotali ancillatur  
 “ officio, decens est sciscitari,<sup>9</sup> qui eos a naturalium rerum  
 “ catalogo, a meæ jurisdictionis confinio, meæ judiciariæ  
 “ potestatis assistente præsentia, vestræ assentionis con-  
 “ juvente<sup>10</sup> gratia, pastorali virga excommunicationis  
 “ eliminet. Cujus legationis Hymenæus erit probatis-  
 “ simus executor; penes quem stellantis elocutionis

<sup>1</sup> etenim, M.

<sup>2</sup> sola exterius humanitatis, B.

<sup>3</sup> enormitatis, A.

<sup>4</sup> terrenum, M.

<sup>5</sup> vestræ compassioni, B.

<sup>6</sup> gemitu, B.

<sup>7</sup> gemitum, B.

<sup>8</sup> omnifariam, B. M.

<sup>9</sup> suscitari, M.

<sup>10</sup> conveniente, M.

“ astra lucescunt, penes quem examinantis<sup>1</sup> concilii<sup>2</sup>  
 “ locatur armarium.”

Tunc astantes, a suæ conquestionis lacrimis feriantes, profunda capitum demissione submissi,<sup>3</sup> gratiarum actiones Naturæ abundantî profusione solvunt.<sup>4</sup> Hymenæus vero in præsentiali Naturæ conspectu sese genibus<sup>5</sup> arcuatis humilians, destinatæ legationi sese fatebatur obnoxium. Tunc illa schedulam papyream hujusmodi epistolaris carminis inscriptione arundinis interventu signavit.

“ Natura, Dei gratia mundanæ civitatis vicaria pro-  
 “ curatrix, Genio, sibi alteri, salutem, eique per omnia  
 “ serenantis fortunæ blanditiis amicari. Quoniam  
 “ similia cum dissimilium<sup>6</sup> aspernatione, similium so-  
 “ ciali habitudine gratulantur, in te velut in speculo  
 “ Naturæ resultante similitudine<sup>7</sup> inveniendò me alte-  
 “ ram tibi nodo dilectionis præcordialis astringor, ut  
 “ omnino tecum sim, aut in tuo profecto proficiens,  
 “ aut in tuo defectu<sup>8</sup> æqua lance deficiens. Qua-  
 “ propter circularis debet esse dilectio, ut tu talione<sup>9</sup>  
 “ dilectionis respondens, nostram fortunam facias esse  
 “ communem, patrati sceleris evidentia, clamoris gerens  
 “ imaginem, humani generis naufragium tibi abun-  
 “ danter<sup>10</sup> eloquitur. Vides etenim qualiter homines  
 “ originalis naturæ honestatem bestialibus illecebris  
 “ inhonestantes,<sup>11</sup> humanitatisque privilegiam exeuntes  
 “ naturam, in bestias morum degeneratione, trans-  
 “ migrant, Veneris in consequentia affectus proprios  
 “ consequentes, Gulositatis vorticibus naufragantes,  
 “ Cupiditatis vaporibus æstuantés, alis Superbiæ ficti-  
 “ tiis evolantes, Invidiæ morsibus indulgentes, Adula-

<sup>1</sup> *examinatoris*, M. *examinantum*,  
 B.

<sup>2</sup> *consilii*, M. B.

<sup>3</sup> *submissee*, M.

<sup>4</sup> *solverunt*, A.

<sup>5</sup> *genibus*, B. M.

<sup>6</sup> *similia dissimilium*, B.

<sup>7</sup> *radiante similitudine*, M.

<sup>8</sup> *defecto*, M.

<sup>9</sup> *tu in talione*, B.

<sup>10</sup> *evidenter*, M.

<sup>11</sup> *inhonestent*, M.

“ tionis hypocrisi alios deaurantes, a naturali genero-  
 “ sitate longius degenerant. Quibus vitiorum<sup>1</sup> morbis  
 “ nullus medicinalibus instat remediis. Hunc scelerum  
 “ torrentem nullus obice defensionis castigat. Horum  
 “ facinorum fluctus<sup>2</sup> nullus portus stabilitate refrenat.  
 “ Virtutes ergo<sup>3</sup> tantam hostilis fluctus<sup>4</sup> ingruentiam<sup>5</sup>  
 “ penitus sustinere non valentes, ad nos tanquam ad  
 “ defensionis asylum et vitæ remedium<sup>6</sup> confugerunt.  
 “ Quoniam ergo res nostra communi degrassatione vexa-  
 “ tur, ego te precibus melliens, tibi obedientiæ virtute  
 “ præcipiens, et jubendo moneo, et monendo jubeo,  
 “ quatenus omni excusationis sophismate relegato ad  
 “ nos matures accessum,<sup>7</sup> ut mei mearumque virginum  
 “ assistente præsentia, abominationis filios a sacramen-  
 “ tali nostræ ecclesiæ<sup>8</sup> communione sejungens, cum  
 “ debita officii solemnitate severa excommunicationis  
 “ virga percutias.”

Post hæc, illa epistolam,<sup>9</sup> sigillari<sup>10</sup> signaculo consig-  
 natam, in qua<sup>11</sup> nomen imaginemque Naturæ peritia  
 artificialis consculpserat,<sup>12</sup> legato tradidit delegandam.  
 Tunc Hymenæus, solemniori vultu lætitiæ gratiarum  
 actiones epilogans,<sup>13</sup> legationem destinatam recipiens,  
 suosque a sopore pigritiæ excitans consodales, jussit ut  
 suis invigilantes organicis instrumentis a somno silentii  
 excitarent,<sup>14</sup> et ad harmonici melodiomatis modulos in-  
 vitarent. Tunc illi sua allicientes quibusdam procemiis  
 instrumenta, vocem deformiter uniformem, dissimili-  
 tudine similem, multiformi modulo picturabant:

Jam tuba terribili bellum clangore salutans  
 Intonuit, cognata loquens præludia belli,

<sup>1</sup> *His vitiorum*, B. M.

<sup>2</sup> *Hos facinorum fluctus*, B.

<sup>3</sup> *Virtutes etiam*, B. M.

<sup>4</sup> *conflictus*, B. M.

<sup>5</sup> *ingentiam*, B.

<sup>6</sup> *vitæque remedium*, B.

<sup>7</sup> *excessum*, A.

<sup>8</sup> *ecclesiæ nostræ*, B.

<sup>9</sup> *illam epistolam*, B.

<sup>10</sup> *sigilli*, B.

<sup>11</sup> *in quo*, B. M.

<sup>12</sup> *exculpserat*, B. M.

<sup>13</sup> *epilogans*, A.

<sup>14</sup> *eadem excitarent*, B.

Mugitu simili similem signando tumultum.  
 Aera<sup>1</sup> lædebat mendaci vulnere cornu,  
 Devia vox hujus, vox hujus anormala, nescit  
 Organicis parere<sup>2</sup> modis, artique favere  
 Spernit, et effrenem miratur musica cantum.  
 Grataque vox citharæ serenans gratius istis,  
 Mellitæ tribuit auri convivia vocis,  
 Quæ cantus varii faciem variando colorans,  
 Nunc lacrimas in voce parit, mentita dolorem;  
 Nunc falsi risus sonitu mendacia pingit,  
 Et lyra quæ semper cantu philomenat amœno,  
 Dulcius alliciens, oculisque procemia somni  
 Lectitat, et sepelit offensæ murmura mentis  
 Fistula, quæ noctu solers vigil excubat, immo  
 Excubiis voce compensat damna soporis.  
 Auribus arrisit, per quem fit cætera cordis<sup>3</sup>  
 Saxeæ durities, mentisque liquescere duræ  
 Cogitur asperitas, propriumque fugare rigorem.  
 Hunc vocis<sup>4</sup> cursum, cantusque volucris<sup>5</sup> acumen  
 Obtusæ vocis tardabant tympana gressu.  
 Nec tamen omnino cantus fraudatur<sup>6</sup> honore,  
 Verbere si quis ea subtili verberet ictu,  
 Suscitet, aque manus tactu delibet amico,  
 Aeris exhausti tactu<sup>7</sup> sociata profundo.  
 Sub strepitu dulci<sup>8</sup> ructabant organa ventum,  
 Dividitur juncta, divisaque jungitur, horum  
 Dispar comparitas cantus, discordia concors,  
 Unio dissimilis, similis dissentio vocum.  
 Plebæo sonitu, mendica voce sonabant  
 Cymbala,<sup>9</sup> quæ nostris<sup>10</sup> nunquam clamando perorant  
 Auribus, auditus hominum vix digna mereri.

<sup>1</sup> *Area*, B.<sup>2</sup> *patere modis*, M.<sup>3</sup> *per quam sit cerea cordis*, B.<sup>4</sup> *Hinc vocis*, B.<sup>5</sup> *volantis*, B. *tantumque volucris*,

M.

<sup>6</sup> *fraudentur*, B.<sup>7</sup> *exhausti tractu*, B. M.<sup>8</sup> *cum dulci strepitu*, M. *sub dulci strepitu*, B.<sup>9</sup> *Cimbola*, B.<sup>10</sup> *quæ vestris*, B.

Nullus erat major, melior, vel mollior<sup>1</sup> illo,  
 Quo concludebat prædictis cantibus unus,  
 Dulcis pentasonæ cantus, vestigia cuius,  
 Cujus adorabat vocum plebs æmula cantum.  
 Sic quæ<sup>2</sup> cum cithara discordi disputat ore,  
 Psalterii condita favo, mellita sapore,  
 Insonuit vox grata ferens munuscula cantus.  
 Sistra puellaris tactum poscentia dextræ,  
 Linguae femineæ,<sup>3</sup> Martis bellicue prophetæ,  
 Vocis inauditæ miracula voce canebant.

Igitur Hymenæo mysticæ legationis mysteriis indulgente, Natura ærumnosæ cōnquestionis elegiacam<sup>4</sup> orationem contexens, illorum recensebat injurias, quorum ingruente flagitio, suæ reipublicæ majestas profundi detrimenti abundantem senserat læsionem. In quo unum<sup>5</sup> præ cæteris accuratius reprehensionis stimulis<sup>6</sup> arguebat, qui præ aliis incurialius decuriatam Naturæ dedecorare curabat Naturam. Cui quamvis gratia nobilitatis blandiretur Fortuna, suo munere<sup>7</sup> immo suis muneribus amicaretur Prudentia, eumque Magnanimitas erigeret, Largitas erudiret, tamen quia universa massa modici fermenti asperitate laborabat, unius virtutis occidens cæterarum virtutum orientem funditus nubilabat, unius probitatisque<sup>8</sup> eclipsis cæterarum probitatum sidera mori recessu cogebat ecliptico. Cumque Largitas ad suum alumnum ista spectare videret convitia, non audens defensionis pallio ejusdem vitia colorare, cum humiliati<sup>9</sup> capitis demissione decidua ad lacrimarum confugit remedia.

Natura vero perpendens quid capitis dimissio, quid lacrimarum figuraret emissio, commendat, Largitas ait:

<sup>1</sup> *vel gratior*, M.

<sup>2</sup> *Et quæ*, M.

<sup>3</sup> *Linguae feminei*, M.

<sup>4</sup> *elegiacon*, B.

<sup>5</sup> *inter quos unum*, B. M.

<sup>6</sup> *stimulis reprehensionis*, B. M.

<sup>7</sup> *Fortuna suo munere blandiretur*, B.

<sup>8</sup> *uniusque probitatis*, B. *unius probitatis*, M.

<sup>9</sup> *humili*, M.

“ O virgo, cujus architectatione præsignii humanum  
 “ genus virtutum ingreditur thalamum, per quam homi-  
 “ nes favorabilis gratiæ præmia consequuntur,<sup>1</sup> per quam  
 “ ætatis aureæ antiquata sæcula reviviscunt, per quam  
 “ homines sese amicitiae glutino præcordialis astrin-  
 “ gunt, æterna usia æternali suæ<sup>2</sup> noys osculo<sup>3</sup> gene-  
 “ rando producens, mihi sororem largita est uterinam.<sup>4</sup>  
 “ Quam non solum mihi<sup>5</sup> nativæ consanguinitatis zona  
 “ confibulat, verum etiam pudici amoris<sup>6</sup> connexio<sup>7</sup>  
 “ concatenat. Unde a meæ voluntatis examine, tuæ  
 “ discretionis libra voluntatem tuam non patitur ab-  
 “ errare. Tanta enim unio conformitatis, immo con-  
 “ formitas unionis, fideli pace mentes nostras<sup>8</sup> conciliat,  
 “ ut non solum illa unio similatoria unitatis vestiatur  
 “ imagine, verum etiam, unitionis<sup>9</sup> phantasia deposita,  
 “ ad identitatis aspiret essentiam. Quare in neutram  
 “ alicujus injuria debacchatur, quæ non degrassetur in  
 “ alteram; neutri alicujus illecebra novercatur quæ non  
 “ inimicetur et alteri. Quapropter<sup>10</sup> qui impudicæ pa-  
 “ trationis clamante blasphemia meæ dignitatis titulum  
 “ effeminare laborat,<sup>11</sup> injuriosæ vexationis instantia  
 “ tuo honori derogare conatur.<sup>12</sup> Ille<sup>13</sup> enim qui ex-  
 “ cedentis prodigalitatibus effluxu<sup>14</sup> Naturæ donis abuti-  
 “ tur, Fortunæ muneribus damno nimie dilapidationis  
 “ exuitur; sicque Prodigalitatibus meretricata communitas  
 “ mentiendo Largitatis profitetur honorem. Atque ita  
 “ divitiarum torrens<sup>15</sup> paupertatis derivatur in aridum;  
 “ sapientiæ splendor fatuitatis deviat in occasum;  
 “ magnanimitatis rigor laxatur in temeritatis audaciam.

<sup>1</sup> *consequimur*, B. *consequentur*, M.

<sup>2</sup> *sui*, B.

<sup>3</sup> *oris osculo*, B.

<sup>4</sup> *uterinam*, B.

<sup>5</sup> *non solum te mihi*, B. M.

<sup>6</sup> *perdux amoris*, M.

<sup>7</sup> *nexus*, M.

<sup>8</sup> *nostras mentes*, B. M.

<sup>9</sup> *verum etiam mutationis*, B.

<sup>10</sup> *Quare*, B. M.

<sup>11</sup> *laborant*, B.

<sup>12</sup> *conantur*, B.

<sup>13</sup> *Vituperatio Prodigalitatibus*. Ru-  
 bric in A.

<sup>14</sup> *affluxu*, A.

<sup>15</sup> *honorem, divitiarumque torrens*,  
 M. B.

“ Quadam igitur<sup>1</sup> admiratione fatigor,<sup>2</sup> cur in damnatione illius qui nos cæteris damnosius damnificare contendit, lacrimarum diluvium non valeas refrenare.” Tunc Largitas tersionis remedio<sup>3</sup> a regione vultus rivulum lacrimarum absentans, capitisque sui demissionem revocans ad superna, ait: “ O nativorum<sup>4</sup> omnium originale principium! O rerum omnium speciale subsidium! O mundanæ regionis regina! O supracælestis<sup>5</sup> principis<sup>6</sup> fidelis vicaria, quæ sub imperatoris æterni auctoritate fidelem administrationem nulla fermentatione corrumpis; cui universitas mundialis originalis justitiæ exigentia obedire tenetur, prout intimæ cognationis<sup>7</sup> expressa paritas expetit,<sup>8</sup> me tibi aurea dilectionis catena connectit.”

Ille<sup>9</sup> igitur qui suam naturam abominationis damno venundans, te insultu eximiæ<sup>10</sup> rebellionis impugnat, mihi coæquatæ concussionis importunitate repugnat. Qui, quamvis umbratili credulitatis deceptus imagine, meis se credat commilitare comitiis,<sup>11</sup> hominesque histrionali<sup>12</sup> prodigalitatibus figuratione decepti, in eo Largitatis<sup>13</sup> odorent vestigia, tamen a nostræ amicationis beneficio longa relegatione suspenduntur.<sup>14</sup> Sed, quia nostrum est erroneæ divagationis anfractibus compati condolendo, in ejus insensatæ voluntatis<sup>15</sup> exorbitatione<sup>16</sup> pestifera non valeo non moveri.

Dum<sup>17</sup> inter has virgines dragmaticæ collocutionis intercalaris celebraretur collatio, ecce Genius, organicorum applaudente instrumentorum lætitia,<sup>18</sup> nova ap-

<sup>1</sup> *Quadam ergo*, M.

<sup>2</sup> *fatiscor*, B.

<sup>3</sup> *certiori remedio*, M.

<sup>4</sup> *natorum*, B.

<sup>5</sup> *O suprema cælestis*, M.

<sup>6</sup> *supracælestis palatii*, B.

<sup>7</sup> *cognitionis*, M.

<sup>8</sup> *exigit*, M.

<sup>9</sup> *Illi*, M.

<sup>10</sup> *nimiæ*, M.

<sup>11</sup> *commercii*, B.

<sup>12</sup> *historiali*, B.

<sup>13</sup> *meæ Largitatis*, A.

<sup>14</sup> *suspenditur*, M. *suspendantur*, B.

<sup>15</sup> *voluptatis*, B.

<sup>16</sup> *exhibitione*, M.

<sup>17</sup> *Cum*, B. M.

<sup>18</sup> *organicorum instrumentorum applaudente lætitia*, B. M.



partitionis resultatione comparuit. Cujus statura mediocritatis canone modificata decenter, nec de diminutione conquerebatur aphæresis, nec de superfluitatis prothesi tristabatur, cujus caput pruinosis canitie crinibus investitum, hiemalis senii gerebat signacula; facies tamen juvenili expolita planitie, nulla erat senectutis exaratione<sup>1</sup> sulcata. Vestes vero, opere sequente naturam, hujus vel illius nescientes inopiam, nunc videbantur inflammari purpura, nunc serenari hyacintho, nunc colore succendi coccineo, nunc bysso expressius candidari. In quibus, rerum imagines momentanee viventes, totiens expirabant, ut a nostræ cognitionis laberentur indagine. Ille vero calamum papyreæ fragilitatis, nunquam a suæ inscriptionis ministerio feriantem, manu gerebat<sup>2</sup> in dextra; in sinistra vero morticinii pellem novaculæ demorsione pilorum cæsarie denudatam, in qua styli subsequentis<sup>3</sup> subsidio imagines rerum sub<sup>4</sup> umbra picturæ ad veritatem suæ essentiæ transmigrantes, vita sui generis munerabat. Quibus deletionis morte sopitis, novæ nativitatis ortu aliæ revocabat in vitam.<sup>5</sup> Illic Helena, suo decore semidea, emphasi suæ pulchritudinis mediante, pulchritudo poterat nuncupari. Illic in Turno fulmen audaciæ, vigor regnat<sup>6</sup> in Hercule. Illic in Capaneo gigantea ascendebat proceritas; in Ulyxe vulpina vigebat calliditas. Illic Cato pudicæ sobrietatis aureo nectare<sup>7</sup> debriabatur,<sup>8</sup> Plato sidereo ingenii splendore rutilabat.<sup>9</sup> Illic stellata cauda pavonis Tulliani eloquii diversitate ridebat. Illic Aristotiles ænigmaticarum sententias<sup>10</sup> locutionum latibulis involvebat. Post hujus itaque inscrip-

<sup>1</sup> *exaratione senectutis*, B.

<sup>2</sup> *ferabat*, M.

<sup>3</sup> *subsequenti*, B. *obsequentis*, M.

<sup>4</sup> *ab umbra*, B.

<sup>5</sup> *aliæ revocabantur ad vitam*, M.

<sup>6</sup> *regnabat*, B.

<sup>7</sup> *sobrietatis nectare aureo*, B.

<sup>8</sup> *debriabatur mirabili*, M.

<sup>9</sup> *Plato ingenii splendore rutilabat sidereo*, B. M.

<sup>10</sup> *sententias ænigmaticarum locutionum*, B.

tionis solemnia,<sup>1</sup> dexteræ manui, continuæ depictionis defatigatæ<sup>2</sup> laboribus, sinistra manus, tanquam sorori fessæ subveniens, picturandi officium usurpabat; manu dextera pugillaribus potita. Quæ ab orthographiæ semita falsigraphiæ claudicatione recedens, rerum figuras, immo figurarum larvas umbratiles semiplena picturatione creabat. Illic enim Thersites turpitudinis pannositate vestitus, peritioris fabricæ solertiam postulabat. Illic Paris incestuosæ Cupidinis<sup>3</sup> mollitie frangebatur.<sup>4</sup> Illic Sinon sinuosæ latitationis latebris armabatur. Illic Ennii versus, a sententiarum venustate jejuni, artem metricam effreni transgrediabantur licentia. Illic Pacuvius, nesciens narrationis modificare curriculum, retrograda<sup>5</sup> serie sui tractatus locabat initium.

His igitur<sup>6</sup> picturæ solertiis, Genio solemniter operam impendenti, Veritas, tanquam patris filia<sup>7</sup> verecunda, ancillatione obsequens assistebat. Quæ non ex pruritu Aphrodites<sup>8</sup> promiscuo propagata, sed ex solo<sup>9</sup> Naturæ natiq̄ue geniali osculo fuerat derivata, cum Ylem<sup>10</sup> formarum speculum meditantem<sup>11</sup> æternalis salutavit idea, eandem<sup>12</sup> iconiæ interpretis interventu vicario osculata. Hujus in facie divinæ pulchritudinis deitas legebatur, nostræ mortalitatis aspernata naturam. Vestes vero cœlestis artificis dexteram eloquentes, indefessæ rutilationis splendoribus<sup>13</sup> inflammatae, nullis poterant vetustatis tineis cancellari. Quæ virgineo corpori tanta fuerant connexione jugatae,<sup>14</sup> ut nulla ex inveteratione<sup>15</sup> diæresis eas a virginali corpore faciat<sup>16</sup> pharisæas. Aliæ

<sup>1</sup> *solemnitatem*, B. M.

<sup>2</sup> *fatigatæ*, B. M.

<sup>3</sup> *turpitudinis*, B.

<sup>4</sup> *figurabatur*, M.

<sup>5</sup> *in retrograda*, B. M.

<sup>6</sup> *Descriptio Veritatis*. Rubric in A.

<sup>7</sup> *patri filia*, M.

<sup>8</sup> *Effrodites*, M. *Affrodites*, B.

<sup>9</sup> *sed hoc solo*, M.

<sup>10</sup> *cum vero Ylen*, B.

<sup>11</sup> *mendicantem*, A. B.

<sup>12</sup> *eam iconiæ*, M. B.

<sup>13</sup> *splendoribus*, B.

<sup>14</sup> *conjunctæ*, M.

<sup>15</sup> *inveterationis*, B. *exuitionis*, M.

<sup>16</sup> *faceret*, M. B.

vero tanquam<sup>1</sup> adventitiæ naturæ, præcedentibus appendices,<sup>2</sup> nunc oculorum visibus<sup>3</sup> offerebant libamina, nunc oculorum sese furabantur indagini. Ex<sup>4</sup> opposito vero, Veritati Falsitas inimicans stabat attentior; cujus facies turpitudinis nubilata fuligine, nulla in se naturæ munera fatebatur; senectus enim,<sup>5</sup> faciem rugarum vallibus subjectans,<sup>6</sup> eam universaliter in plicas<sup>7</sup> collegerat. Caput vero nec<sup>8</sup> crinis vestimento videbatur indutum, nec pepli velamento excusabat calvitium, sed panniculorum infinita pluralitas, quos filorum<sup>9</sup> jungebat pluralis infinitas, ei texuerat vestimentum. Hæc autem, picturæ Veritatis latenter insidians, quicquid illa conformiter informabat, ista informiter deformabat.

Natura igitur suo gressui laxiores concedens habenas, solemnem occursum solemniter exhibendo, oscula nullo illicitæ Veneris fermentata veneno, sed mystici signantia<sup>10</sup> Cupidinis amplexus, etiam mysticæ dilectionis concordiam figurantes, Genio exhibuit adventanti.

Mutua vero gratulatione expletionis termino consummata, Genius indixit manu postulante silentium,<sup>11</sup> consequenterque<sup>12</sup> in hanc<sup>13</sup> locutionis formam suæ vocis monetavit materiem: "O Natura, non credo quod sine  
" inspirationis<sup>14</sup> afflacione divina a tuæ discretionis  
" libra istud imperiale exierat<sup>15</sup> edictum, ut omnes  
" qui abusiva desuetudine<sup>16</sup> nostras leges aboletas red-  
" dere moliuntur, non<sup>17</sup> in nostræ solemnitatis feria

<sup>1</sup> *Aliæ autem tanquam*, M.

<sup>2</sup> *appendiciis*, M.

<sup>3</sup> *nunc oculis visus*, M.

<sup>4</sup> *Descriptio Falsitatis.* Rubric  
in A.

<sup>5</sup> *Sed senectus*, M.

<sup>6</sup> *submittens*, B. M.

<sup>7</sup> *implicans*, M.

<sup>8</sup> *Caput nec*, M.

<sup>9</sup> *filiorum*, M.

<sup>10</sup> *sed mystici signativa*, B. *significativa*, M.

<sup>11</sup> *Genius induxit silentium manu postulante silentia*, M.

<sup>12</sup> *consequenter vero*, B.

<sup>13</sup> *in hac.....forma*, B.

<sup>14</sup> *non sine internæ aspirationis afflacione*, B.

<sup>15</sup> *processit*, B. M.

<sup>16</sup> *dissuetudine*, B.

<sup>17</sup> *et in nostræ*, M.

“feriantes, anathematis gladio feriantur. Et quia lex  
 “hujus legitimæ promulgationis<sup>1</sup> legem justitiæ non  
 “oppugnat,<sup>2</sup> tuique examinalis<sup>3</sup> libra iudicii meæ  
 “sedet discretionis examini,<sup>4</sup> tuæ edictionis<sup>5</sup> regulam  
 “ocius roborare maturo. Quamvis enim mens mea  
 “hominum vitiis angustiata deformibus, in infernum  
 “tristitiæ peregrinans, lætitiæ nesciat paradisum, in  
 “hoc tamen<sup>6</sup> amœnantis gaudii odorat<sup>7</sup> primordia,  
 “quod te mecum video<sup>8</sup> ad debitæ vindictæ suspirare  
 “suspiria.<sup>9</sup> Nec mirum, si in nostrarum<sup>10</sup> voluntatum  
 “unione conformi concordiæ reperio melodiam, cum  
 “unius ideæ exemplaris notio nos conformet, et in  
 “eundem animum esse produxit,<sup>11</sup> unius officialis ad-  
 “ministrationis conformet conditio, cum mentes nostras  
 “non superficiali dilectionis vinculo amor jungat hy-  
 “pocrita, sed penitiora<sup>12</sup> animorum nostrorum lati-  
 “bula, casti amoris pudor inhabitet.” Dum hoc  
 verborum compendio Genius suæ orationis<sup>13</sup> frenaret<sup>14</sup>  
 excursus, suæ exclamationis quasi aurora nascente  
 tristitiæ tenebras paulisper abstractans, salvo suæ dig-  
 nitatis honore, Natura Genio gratiarum jura persolvit.

Tunc Genius,<sup>15</sup> post vulgaris vestimenti depositionem,  
 sacerdotalis indumenti ornamentis celebrioribus hones-  
 tius infulatus, sub hac verborum imagine prætaxatam  
 excommunicationis seriem, a penetralibus suæ mentis  
 forinsecus evocavit, isto<sup>16</sup> locutionis procedente curri-  
 culo: “Auctoritate superessentialis Usiæ, ejusque no-

<sup>1</sup> *promulgationis legitimæ*, B. M.

<sup>2</sup> *expugnat*, B.

<sup>3</sup> *examinali*, B.

<sup>4</sup> *discretionis sedet examine*, B.

<sup>5</sup> *eductionis*, B.

<sup>6</sup> *tamen in hoc*, B. M.

<sup>7</sup> *adorat*, B.

<sup>8</sup> *videat*, M.

<sup>9</sup> *suspiria suspirare*, M.

<sup>10</sup> *si nostrarum*, M.

<sup>11</sup> *cum unius ideæ exemplaris notio nos in nativum esse produxerit*, M.

<sup>12</sup> *Sed interna*, M.

<sup>13</sup> *narrationis*, B.

<sup>14</sup> *formaret*, M.

<sup>15</sup> *De Sententia excommunicationis Genii sacerdotis Naturæ*. Rubric in A.

<sup>16</sup> *hoc locutionis*, M. B.

“ tionis æternæ, assensu etiam cœlestis militiæ, conven-  
 “ tiaque Naturæ<sup>1</sup> cæterarumque virtutum officialium  
 “ ministerio suffragante, a supernæ dilectionis osculo  
 “ separetur, ingratitude exigente merito, a Naturæ  
 “ gratia degradetur, a naturalium rerum uniformi concilio  
 “ segregetur, omnis qui legitimum<sup>2</sup> Veneris obliquat  
 “ incessum, aut Gulositatis frequentat<sup>3</sup> naufragium, aut  
 “ Ebrietatis vorat<sup>4</sup> insomnium, aut Avaritiæ sitiens  
 “ experitur incendium, aut insolentis Arrogantiæ um-  
 “ bratile ascendit fastigium, aut præcordiale patitur  
 “ livoris exitium, aut Adulationis amorem comitatur  
 “ fictitium.<sup>5</sup> Qui a<sup>6</sup> regula Veneris exceptionem facit  
 “ anormalam, Veneris privetur sigillo. Qui Gulositatis  
 “ mergitur in abysso, mendicitatis erubescencia casti-  
 “ getur. Qui Ebrietatis lethæo flumine soporatur, per-  
 “ petuata<sup>7</sup> sitis vexetur incendiis. Ille in quo sitis  
 “ incandescit habendi, perpetuatas paupertatis eges-  
 “ tates incurrat.<sup>8</sup> Qui in præcipitio Arrogantiæ exal-  
 “ tatus, spiritum elationis eructat,<sup>9</sup> in vallem dejectæ  
 “ humilitatis ruinosæ descendat. Qui alienæ felicitatis  
 “ divitias tinea detractionis invidendo demordet, primo  
 “ se sibi<sup>10</sup> hostem inveniatur. Qui adulationis hypocrisi  
 “ a divitibus venatur munuscula, sophistici meriti frau-  
 “ detur in præmio.”<sup>11</sup>

Postquam vero Genius hujus anathematis exterminio finem orationi concessit, huic imprecationi applaudens Virginum assistentia festino confirmationis verbo, Genii roboravit edictum, lampadesque cereorum in manibus virginum suis meridianes luminibus in terram

<sup>1</sup> militiæ, naturæ etiam, cæterarum-  
que, M.

<sup>2</sup> qui aut legitimum, B. M.

<sup>3</sup> incurrit, M.

<sup>4</sup> sentit, M. tendit, B.

<sup>5</sup> communicat fictitium, M.

<sup>6</sup> Qui autem a, M.

<sup>7</sup> perpetuis, B.

<sup>8</sup> perpetuatas honestates incurrat,  
A.

<sup>9</sup> spiritum elevationis eructat, M.

<sup>10</sup> se ibi, M.

<sup>11</sup> fraudetur præmio, M. fraudetur  
in primo, B.

cum quadam aspernatione demissæ<sup>1</sup> extinctionis videbantur sopore dejectæ. Hujus igitur imaginariæ visionis subtracto speculo, me ab extasi excitatum in somno prior mysticæ apparitionis dereliquit aspectus.

*Explicit Alanus Minimi Capellæ de Conquestu seu Planctu Naturæ.*<sup>2</sup>

---

<sup>1</sup> cum quadam aspernatione e demissione, M. cum quadam asperitate, B.

<sup>2</sup> *Explicit Alanus de Planctu Naturæ*, B.

---


---

APPENDIX.

---

ANGLO-LATIN ÆNIGMATA OF THE  
SAXON PERIOD.

---





## APPENDIX I.

TATWINI ÆNIGMATA.<sup>1</sup>

INCIPIUNT ÆNIGMATA TAUTUNI.

*De Philosophia.*

Stamine metrorum exstructor conserta retexit,  
 Sub deno<sup>2</sup> quater hæc diverse ænigmata torquens  
 Septena alarum me circumstantia cingit,  
 Vecta per alma poli quis nunc volitare solesco,  
 Abdita nunc terræ penetrans, et ima profundi.  
 Sum Salomone sagacior, et velocior Euro,  
 Clarior et Phœbi radiis, pretiosior auro,  
 Suavior omnigena certæ modulaminis arte,  
 Dulcior et favo gustantum in faucibus eso.  
 Nulla manus poterit nec me contingere visus,  
 Cum præsens dubio sine me quærentibus asto.  
 Mordentem<sup>3</sup> amplector, parcentem me viduabo.  
 Est felix mea qui poterit cognoscere jura,  
 Quemque meo natum esse meum sub nomine rebor.<sup>4</sup>

<sup>1</sup> The ænigmata of Tatwine are only preserved, as far as I know, in a MS. of the Cottonian Library (MS. Reg. 12 C. xxiii., fol. 121 v°), written I think as early as the latter part of the 9th century. As I know of no other copy, I am obliged to print the text as there given. In

the MS. it is accompanied by a scholastic gloss over the words, which I shall here give in notes at the foot of the page.

<sup>2</sup> *s. numero.*

<sup>3</sup> *s. bonum lectorem.*

<sup>4</sup> *i. vocabo.*

*De Spe, Fide, et Charitate.*

Una tres natæ<sup>1</sup> sumus olim ex matre<sup>2</sup> sagaci.  
 Est felix ejus liceat cui cernere formam  
 Reginae, fausto semper quæ numine<sup>3</sup> regnat,  
 Solifero cujus thalamus splendore nitescit,  
 Cernere quæ nullus nec pandere septa valebit.  
 Maternis quis nec poterit fore visibus aptus,  
 Nostris ni fuerit complexibus ante subactus?

*De Historia et Sensu, et Moralis, et Allegoria.*

Bis binas statuit sua nos vigiles dominatrix,<sup>4</sup>  
 Thesauri cellario conservare sorori,  
 Diversisque intus fulgent ornata metallis  
 Omnigena, et florum dulcedine sarta virescunt,  
 Gaudentes nostris hæc mox reseramus amicis,  
 Ingratisque<sup>5</sup> aditum sed jure negamus apertum.

*De Litteris.*

Dulcifero nos pia genetrix ditavit honore,  
 Dulcia quod bibulis præstamus pocula buccis,  
 Tosta ministrantes nitidis et fercula mensis.  
 Sed tamen apta damus cunctis responsaque certa.  
 Littera tollatur, non fulget nominis ortus.

*De Membranis.*

Efferus exuviis populator me spoliavit,  
 Vitalis pariter flatus spiramina dempsit,  
 In planum me iterum campum sed verterat auctor.  
 Frugiferos cultor<sup>6</sup> sulcos mox irrigat undis,  
 Omnigenam nardi messem mea prata rependunt,  
 Qua<sup>7</sup> sanis victum et læsis<sup>8</sup> præstabo medelam.

<sup>1</sup> *i. filia.*<sup>2</sup> *i. Trinitate.*<sup>3</sup> *i. potestate.*<sup>4</sup> *i. Trinitas.*<sup>5</sup> *i. malis lectoribus.*<sup>6</sup> *i. scriptor.*<sup>7</sup> *s. messe.*<sup>8</sup> *i. peccatoribus.*

*De Penna.*

Nativa penitus ratione heu! fraudor ab hoste;  
 Nam superas quondam pernix auras penetrabam;  
 Vincita tribus<sup>1</sup> nunc in terris persolvo<sup>2</sup> tributum,<sup>3</sup>  
 Planos compellor sulcare per æquora<sup>4</sup> campos,  
 Causa laboris amoris tum fontes lacrimarum  
 Semper compellit me aridis infundere<sup>5</sup> sulcis.

*De Tintinno.*

Olim dictabar proprio sub nomine Cæsar,  
 Optabantque meum proceres jam cernere vultum.  
 Nunc aliter versor superis suspensus in auris,  
 Et cæsus cogor late persolvere planctum;  
 Cursibus haud tardis cum ad luctum turba recurrit,  
 Mordeo mordentem labris mox, dentibus absque.

*De Ara.*

Quadrupedis pulchri quamvis constat mihi forma,  
 Sponte tamen nullus me usquam lustrare videbit.  
 Bis binis certe per quadrum carnibus armor,  
 Quosque meis dapibus<sup>6</sup> dignos satiare solesco,  
 Indignis potumque cibumque referre negabo,  
 Ex alta clarum merui re nomen habere.

*De Cruce Christi.*

Versicolor, cernor, nunc nunc mihi forma nitescit,  
 Lege fui quondam cunctis jam larvula<sup>7</sup> servis,  
 Sed modo me gaudens orbis veneratur et ornat;  
 Quique meum gustat fructum jam sanus habetur.  
 Nam mihi concessum est insanis<sup>8</sup> ferre salutem.  
 Propterea sapiens optat me in fronte tenere.

<sup>1</sup> s. digitis.<sup>2</sup> i. reddo.<sup>3</sup> i. per cartas.<sup>4</sup> s. scribendi.<sup>5</sup> s. atramentum.<sup>6</sup> i. corpus Christi, vel sanguis.<sup>7</sup> larvula in the MS.<sup>8</sup> s. corporibus.

*De Recitabulo.*

Angelicas populis epulas dispono frequenter,  
 Grandisonisque aures verbis cava guttura complent.  
 Succedit vox sed mihi nulla aut lingua loquendi,  
 Et bina alarum fulci gestamine cernor.  
 Quis sed abest penitus virtus jam tota volandi,  
 Dum solus subter constat mihi pessime passu.

*De Acu.*

Torrens me genuit fornax de viscere flammæ,  
 Condior invalido et finxit me corpore luscam,<sup>1</sup>  
 Sed constat nullum jam me sine vivere posse.  
 Est mirum dictu, cludem ni lumina vultus,  
 Condere<sup>2</sup> non artis penitus molimina possum.

*De Patena.*

Exterius cernor pulcher, formaque decorus,  
 Interius minus haud mulcent mea viscera charos.<sup>3</sup>  
 Quot horæ diei sunt, tot mihi lumina<sup>4</sup> lucent.  
 Et sena comptus potior sub imagine crurum,  
 Unius sed amœna quidem pedis est mihi forma.

*De Acu pictili.*

Reginæ cupiunt animis me cernere, nec non  
 Reges mulcet adesse mei quoque corporis usus ;  
 Nam multos vario possum captare decore,  
 Quippe meam gracilis faciem jugulaverat hospes,  
 Nobilior tamen aderescit decor inde genarum.

*De Charitate.*

Haud tristis gemino<sup>5</sup> sub nexu vincula gesto,  
 Vincata resolvo ligata, iterumque soluta ligabo.

---

<sup>1</sup> *i. cum uno oculo.*

<sup>2</sup> *i. ostendere.*

<sup>3</sup> *s. amicos.*

<sup>4</sup> *i. delicias, vel gemmas.*

<sup>5</sup> *i. dilectio Dei et proximi.*

Est mirum dictu ardent quod mea viscera flammis ;  
 Nemo tamen sentit fera vinctus damna cremandi,  
 Sed mulcent ea plus vinctum quam dulcia mella.

*De Nive, Grandine, et Glacie.*

Æthereus ternas genitor nos jam peperit hoc,  
 Sub miseræ fato legis de matre sorores ;<sup>1</sup>  
 Invidia namque patris cogit sors frangere fatum.  
 Una tamen spes est tali sub lege recentis,  
 Quod mox regalem matris<sup>2</sup> remeamus in alvum.

*De Præpositione utriusque casus.*

Emerita gemina sortis sub lege tenemur ;  
 Nam tollenti nos stabiles servire necesse est.  
 Causanti contra cursus comitamur eundo,  
 Sicque vicissim bis binæ jungimur ambis,<sup>3</sup>  
 Quippe sorores decreta sat legibus urna.

*De Sciuro.*

Celsicolæ nascor fœcunda matris in alvo,  
 Quæ superas penitus sedes habitare solescit.  
 Sum petulans agilisque fera, insons corporis astu,  
 Ardua ceu pennis convecta cacumina scando,  
 Veloci vitans passu discrimina Martis.<sup>4</sup>

*De Oculis.*

Discernens totum juris Natura locavit  
 Nos pariter geminos una de matre<sup>5</sup> creatos,  
 Divisi haud magno<sup>6</sup> parvi discrimine collis,  
 Ut nunquam vidi illum, nec me viderit ipse,  
 Sed cernit sine me nihil, illo nec sine cerno.

<sup>1</sup> *i. aqua et pluvia.*

<sup>2</sup> *i. pluviae.*

<sup>3</sup> *s. casibus.*

<sup>4</sup> *i. prælii.*

<sup>5</sup> *i. capite, vel creatore.*

<sup>6</sup> *i. parvo.*

*De Strabis Oculis.*

Inter mirandum cunctis est cætera quod nunc  
 Narro quidem, nos produxit genetrix uterinos,  
 Sed quod contemplor mox illud cernere spernit,  
 Atque quod ille videt secum mox cernere nolo.  
 Est dispar nobis visus, sed inest amor<sup>1</sup> unus.

*De Lusco.*

Unus sum genitus ducifer fratris sine fructu,  
 Ejus sed propriam post ditabor comitatu  
 Mortem una vitam deinceps sine fine tenemus.  
 In vita natum nullus quem<sup>2</sup> creverat unquam.  
 Hoc qui non credit, verum tunc esse videbit.

*De Malo.*

Est mirum ingrato<sup>3</sup> cunctis quod nomine dicor,  
 Cum rarum<sup>4</sup> aut dubium, qui me sine vivere constat ;  
 Nec ego privatim<sup>5</sup> constare<sup>6</sup> bono sine possum.  
 Certum namque bonum si demperit omne, peribo ;  
 Jam mihi nulla boni innata est substantia veri.

*De Adam.*

Regem me quondam gnari et dominum vocitabant,  
 Sceptri dum solus tunc regmen in orbe tenebam.  
 Pro dolor ! heu, socia<sup>7</sup> virtute redactus inermem  
 Hostilis subito circum me copia cinxit,  
 Deinceps miserum servis servire coegit.

*De trina Morte.*

Saucio lethiferis omnes cum morsibus<sup>8</sup> intus ;  
 Nam rabidi trino capitis sub dente perimo.

---

<sup>1</sup> s. videndi.

<sup>2</sup> s. oculum.

<sup>3</sup> s. malum.

<sup>4</sup> s. sit.

<sup>5</sup> i. specialiter.

<sup>6</sup> i. malum.

<sup>7</sup> i. Eva.

<sup>8</sup> s. vitiorum.

Sed multi evadunt binorum vulnera dentum.  
 Tertius est nullus quem devitare licebit,  
 Sed binorum alter mordet quæcunque perimit.

*De Humilitate.*

Egregius vere nullus sine me est, neque felix;  
 Amplector cunctos quorum me corda requirunt.  
 Qui absque meo graditur comitatu morte peribit;  
 Et qui me gestat sospes sine fine manebit.  
 Inferior terris et altior sed cœlis exsto.

*De Superbia.*

Eximio<sup>1</sup> quondam sedis sum<sup>2</sup> nata parente,<sup>3</sup>  
 Quem diris vinctum damnis regna spoliavi.  
 Septenas pariter mihi deservire parabam  
 Reginas comitum septas cum prole maligna.  
 Parvus obiens sed me prostraverat armis.

*De Quinque Sensibus.*

Nos quini vario fratres sub nomine templum<sup>4</sup>  
 Concessum nobis colimus constanter ab ortu,  
 Nam thuris segetem fero, fercula et ille saporis;<sup>5</sup>  
 Hic totum<sup>6</sup> præsens affert tangi, ille<sup>7</sup> videndum;  
 Ast lætam quintus famam tristemque ministrat.<sup>8</sup>

*De Forcipe.*

Jamque meum tibi quod narro mirabile dictu,  
 Fatum nam geminis constat mihi robur in armis  
 Captandi sub rictibus, et est fiducia grandis.  
 Non prædura, vel aspera, neu fervida terrent,  
 Rictibus intrepidis sed cuncta capessere tempto.

<sup>1</sup> *i. alto.*

<sup>2</sup> *fui.*

<sup>3</sup> *i. diabolo.*

<sup>4</sup> *i. corpus.*

<sup>5</sup> *s. gustus.*

<sup>6</sup> *s. tactum.*

<sup>7</sup> *s. visus.*

<sup>8</sup> *s. auditus.*

*De Incude.*

Grande caput collo consertum sumere cernor,  
 Cui penitus nulli constant in vertice crines,  
 Heu! fato miser immobili qui sto pede fixus,  
 Cedere tantumdem siniturus verticis arcem,  
 Insons vindictam sed nolo referre nocenti.

*De Mensa.*

Multiferis omnes dapibus saturare solesco,  
 Quadrupedem hinc felix ditem me sanxerit ætas;  
 Esse tamen pulchris fatim<sup>1</sup> dum vestibus orner,  
 Certatim me prædones spoliare solescunt,  
 Raptis nudata exuviis mox membra relinquunt.

*De Ense et Vagina.*

Armigeri dura cordis compagine fingor,  
 Cujus et hirsuti extat circumstantia pepeli,  
 Pangitur et secto cunctum de robore culmen,  
 Pellibus exterius strictim qui tegmina tute  
 Offensam diris defendunt imbribus aulam.

*De Scintilla.*

Testor quod crevi, rarus mihi credere sed vult;  
 Nam nasci gelido natum de viscere matris,  
 Vere quæ nunquam sensit spiramina vitæ,  
 Ipse tamen mansit<sup>2</sup> vivens in ventre sepultus.

*De Sagitta.*

Armigeros inter Martis me bella subire  
 Obvia fata juvant, et corpora sternere letho,  
 Insidiasque gregi cautas inferre ferino,  
 Nunc juvenum lætos inter discurrere cœtus.

<sup>1</sup> *i. abunde.*| <sup>2</sup> *vel mansi.*



*De Igne.*

Testatur simplex triplicem Natura figuram  
 Esse meam, haud mortales qua sine vivere possunt,  
 Multiplici quibus en bona munere grata ministro,  
 Tristitia nonnunquam tamen sum haud exorsus ab illis.

*De Pharetra.*

Omnis enim diræ complent mea viscera flammæ;  
 Nam me flamma ferox stimulis devastat acerbis,  
 Ut pacis pia mox truculenter fœdera frangam.  
 Non tamen oblectat me sponte subire duellum.<sup>1</sup>

*De Pruina.*

Rubricolor, flammor, flagrat ceu spargine lumen  
 Scintillans flammæ, seu ridet gemma rubore.  
 Nominis intus apex, medium si nonus haberet,  
 Gemma rubens jam non essem, sed grando nivalis.

*De Ventilabro.*

Quæ me fata manent juris testor rogitanti,  
 Nam geminis captus manibus persolvere cogor,  
 Jus sinuamine complexas et spargere sordes,  
 Semina quod vitæ pululent in pectore solo.

*De Seminante.*

Vera loquor, quamvis fatum dubitabile fingam,  
 Quod bona thesauri quæ condere destina prædam,<sup>2</sup>  
 Ut moriantur,<sup>3</sup> quæ vero perdenda reservo,  
 Ceu dulcissima sint auri sub mente metalla.

---

<sup>1</sup> *i. discordiam, vel pugnam.*

<sup>2</sup> *s. seminando.*

<sup>3</sup> *s. in terra.*

*De Scarbone.*

Exul sum generis factus motante figura,  
Postquam me perdendo ferox invaserat hostis,  
Expertem penitus vita formaque relinquens,  
Officinæ servum deinceps me jussit haberi.

*De Coticulo.*

Natum me gelido terræ de viscere dicunt,  
Inclita Romanis sed et urbs dudum vocitabar.  
Sordida calcantum pedibus nunc sternor inermis,  
Ridet acumine qui rodeans me lingit abunde.

*De Radiis Solis.*

Summa poli spatians dum lustro cacumina lætus,  
Dulcibus allecti dapibus sub culmine curvo,  
Intus ludentem sub eodem temporis ortu  
Cernere me tremulo possunt in culmine cœli.  
Corporis absens plausu quid sum pandite, sophi.

Versibus intextis vatem nunc jure solutat,  
Litterulas summa capitum hortans jungere primas  
Versibus extremas hisdem ex minio coloratos,  
Conversus gradiens rursus perscandat ab imo.

---

## APPENDIX II.

ALDHELMI<sup>1</sup> ÆNIGMATA.<sup>2 3</sup>*Prologus.*

Arbiter<sup>4</sup> ætherio jugiter qui regmine sceptrā,  
 Lucifluumque simul<sup>5</sup> cœli regale<sup>6</sup> tribunal,  
 Disponis, moderans<sup>7</sup> æternis legibus illud.<sup>8</sup>  
 Horrida nam mulctans<sup>9</sup> torsisti<sup>10</sup> membra<sup>11</sup> Behemoth,<sup>12</sup>  
 Ex alta quondam rueret<sup>13</sup> dum luridus<sup>14</sup> arce  
 Limpida<sup>15</sup> dictanti<sup>16</sup> metrorum carmina præsul<sup>17</sup>  
 Munera nunc largire,<sup>18</sup> rudis<sup>19</sup> quo pandere<sup>20</sup> rerum

<sup>1</sup> A fine copy of the Ænigmata of Aldhelm is found in the same Cottonian MS. from which I have printed those of Tatwin, and similarly accompanied with contemporary glosses. I have here collated this MS. (which I call A.) with the text published by Dr. Giles, in his edition of Aldhelm's works, and I give a selection of the glosses.

<sup>2</sup> *Incipiunt ænigmata Aldhelmi poetæ Angli-Saxonis.* Title in A.

<sup>3</sup> *Ænigma est obscura sententia, per occultam similitudinem rerum, ut,*

*"Mater me genuit, eadem mox gignitur ex me,"*

*cum significat aquam in glaciem con-  
 crescere et ex ea rursum effluere.*

Gloss in A.

<sup>4</sup> *s. o censor, i. judex,* gloss.

<sup>5</sup> *disponis,* gloss.

<sup>6</sup> *s. et,* gloss.

<sup>7</sup> *i. ejiciens demones, et invitans angelos.* Note in A.

<sup>8</sup> *s. tribunal,* gloss.

<sup>9</sup> *s. illum,* gloss.

<sup>10</sup> *i. curvasti,* gloss.

<sup>11</sup> *i. familiam diaboli,* gloss.

<sup>12</sup> *Behemoth, ex Hebræa lingua in Latina animal sonat, et quadrupes ostenditur, et significat hostem antiquum, diabolum.* Note in A.

<sup>13</sup> *ipse,* gloss.

<sup>14</sup> *i. demon,* gloss.

<sup>15</sup> *i. liquida,* gloss.

<sup>16</sup> *s. mihi,* gloss.

<sup>17</sup> *vocum i. princeps, i. dominator,* gloss.

<sup>18</sup> *i. imperanti,* gloss.

<sup>19</sup> *neophitus,* gloss.

<sup>20</sup> *i. ostendere,* gloss.

Versibus ænigmata queam<sup>1</sup> clandestina<sup>2</sup> fatu,<sup>3</sup>  
 Sic<sup>4</sup> Deus indignis<sup>5</sup> tua gratis<sup>6</sup> dona rependis,<sup>7</sup>  
 Castalidas<sup>8</sup> nymphas<sup>9</sup> non clamo<sup>10</sup> cantibus istuc,<sup>11</sup>  
 Examen<sup>12</sup> neque spargebat mihi nectar<sup>13</sup> in ore.  
 Cynthi sic nunquam perlustro cacumina, sed nec  
 In Parnasso procubui, nec somnia vidi.  
 Nam mihi versificum poterit Deus addere carmen,  
 Inspirans<sup>14</sup> stolidæ<sup>15</sup> pia gratis munera menti.<sup>16</sup>  
 Tangit<sup>17</sup> si mentem, mox laudem corda<sup>18</sup> rependunt<sup>19</sup>  
 Metrica; nam Moysen<sup>20</sup> declarant carmina vatem  
 Jamdudum cecinisse<sup>21</sup> prisca vexilla trophæi  
 Late per populos illustria, qua nitidus sol  
 Lustrat, ab oceani jam tollens<sup>22</sup> gurgite cephal,<sup>23</sup>  
 Et Psalmista canens metrorum carmina voce  
 Natum divino promit generamine Numen,  
 In cœlis prius exortum,<sup>24</sup> quam Lucifer<sup>25</sup> orbi  
 Splendida<sup>26</sup> formatis<sup>27</sup> fulsisset lumina sæclis.  
 Verum si fuerint bona<sup>28</sup> hæc ænigmata, versu  
 Explosis<sup>29</sup> penitus nævis<sup>30</sup> et rusticitate<sup>31</sup>  
 Ritu dactylico recte decursa,<sup>32</sup> nec<sup>33</sup> error  
 Seduxit<sup>34</sup> vana specie molimina<sup>35</sup> mentis<sup>36</sup>

<sup>1</sup> *i. possim*, gloss.  
<sup>2</sup> *i. obscura*, gloss.  
<sup>3</sup> *i. narratione*, gloss.  
<sup>4</sup> *s. at postulo*, gloss.  
<sup>5</sup> *nobis*, gloss.  
<sup>6</sup> *i. ut posui*, gloss.  
<sup>7</sup> *i. reddis, vel tribuis*, gloss.  
<sup>8</sup> *i. a Castalido monte*, gloss.  
<sup>9</sup> *i. deas*, gloss.  
<sup>10</sup> *i. non voco . . . quod facio in*,  
 gloss.  
<sup>11</sup> *i. huc*, gloss.  
<sup>12</sup> *i. ad similitudinem examinis*  
*apum*, gloss.  
<sup>13</sup> *s. dulcedine*, gloss.  
<sup>14</sup> *i. per Spiritum Sanctum*, gloss.  
<sup>15</sup> *i. stultæ*, gloss.  
<sup>16</sup> *s. meæ*, gloss.  
<sup>17</sup> *s. Deus*, gloss.  
<sup>18</sup> *i. sensus*, gloss.  
<sup>19</sup> *i. reddunt, s. per poema*, gloss.

<sup>20</sup> *in Deuteronomio*, gloss.  
<sup>21</sup> *s. per auxilium gratiæ Dei*,  
 gloss.  
<sup>22</sup> *i. elevans*, gloss.  
<sup>23</sup> *i. caput*, gloss.  
<sup>24</sup> *illud numen*, gloss.  
<sup>25</sup> *i. sol*, gloss.  
<sup>26</sup> *Quid? s. et prius quam fulsis-*  
*sent*, gloss.  
<sup>27</sup> *i. pulchris*, gloss.  
<sup>28</sup> *bene, A. s. decursa*, gloss.  
<sup>29</sup> *i. deletis, expulsis*, gloss.  
<sup>30</sup> *i. maculis*, gloss.  
<sup>31</sup> *s. explosa, imprudentia*, gloss.  
<sup>32</sup> *s. etsi fuerint.—molimina mentis*,  
 gloss.  
<sup>33</sup> *s. et si*, gloss.  
<sup>34</sup> *i. pro seduxerit*, gloss.  
<sup>35</sup> *machina, concilia*, gloss.  
<sup>36</sup> *gepoht*, gloss, A. S.

Incipiam<sup>1</sup> potiora ; sui Deus arida servi<sup>2</sup>  
 Belligero<sup>3</sup> quondam qui vires tradidit Iob,  
 Viscera perpetui roris si repleat haustu.  
 Siccis nam laticis<sup>4</sup> duxisti cautibus<sup>5</sup> amnes  
 Olim, cum cuneus transgresso marmore<sup>6</sup> rubro  
 Desertum penetrat ;<sup>7</sup> cecinit<sup>8</sup> quod carmine David.  
 Arce poli genitor servas qui sæcula cuncta,  
 Solvere jam scelerum noxas<sup>9</sup> dignare nefandas.

*De Terra.*

Altrix cunctorum quos mundus gestat in orbe  
 Nuncupor, et merito ; quia nunquam pignora<sup>10</sup> tantum  
 Improba sic lacerant maternas dente papillas ;<sup>11</sup>  
 Prole virens æstate, tabescens tempore brumæ.

*De Vento.*

Cernere me nulli possunt, nec prendere palmis ;  
 Argutum vocis crepitum cito pando per orbem.  
 Viribus horrisonis valeo confringere quercus ;  
 Nam superos ego pulso polos, et rura peragro.

*De Nube.*

Versicolor fugiens cælum terramque relinquo ;  
 Non tellure locus mihi, non in parte polorum est.  
 Exilium<sup>12</sup> nullus modo tam crudele veretur ;  
 Sed madidis mundum faciam frondescere guttis.

<sup>1</sup> *s. canere*, gloss.

<sup>2</sup> *verbi*, corrected to *servi* in the gloss.

<sup>3</sup> *contra diabolum*, gloss.

<sup>4</sup> *laticum*, A. *i. fontium*, gloss.

<sup>5</sup> *vel lapidibus*, *i. scopolis*, gloss.

<sup>6</sup> *i. mari*, gloss.

<sup>7</sup> *pro penetraverat*, gloss.

<sup>8</sup> *Quando dixit* “ *Qui divisit Mare Rubrum in divisiones*,” gloss.

<sup>9</sup> *i. culpas*, gloss.

<sup>10</sup> *i. infantes qui me lacerant*.

<sup>11</sup> *i. mamillas*, gloss.

<sup>12</sup> *s. meum. Quia qui exilium patitur in eo loco uno in quo tunc est manet, et ego totum per mundum discuro*, gloss.

*De Natura.*

Crede mihi, res nulla manet sine me moderante ;  
 Et frontem faciemque meam lux nulla videbit.  
 Quis nescit ditione mea convexa rotari  
 Alta poli, solisque jubar, lunæque meatus ?

*De Iride, vel Arcu cœlesti.*

Thaumantis proles priscorum fame<sup>1</sup> fingor ;  
 Ast ego prima mei generis rudimenta retexam.  
 Sole rubens genitus sum partu nubis aquosæ ;  
 Lustrum polos passim, solos non scando<sup>2</sup> per austros.

*De Luna.*<sup>3</sup>

Nunc<sup>4</sup> ego cum pelago fatibus communibus insto,  
 Tempora reciprocis convolvens menstrua cyclis.  
 Ut mihi lucifluæ decrescit gloria formæ,  
 Sic augmenta latex<sup>5</sup> cumulado gurgite perdit.

*De Fato, vel Genesi.*

Facundum constat quondam cecinisse<sup>6</sup> poetam,  
 Quo Deus et quo dura vocat Fortuna, sequamur.  
 Me veteres falso dominam vocitare solebant ;  
 Sceptra regens<sup>7</sup> mundi, dum Christi gratia regnet.

*De Sale.*

Dudum lympha fui squamoso pisce redundans ;  
 Sed natura novo fati discrimine cessit,<sup>8</sup>

<sup>1</sup> *i. narratione, gloss.*<sup>2</sup> *s. quia non rutilat sol ab aquilone  
 in nostro hemispherio, gloss.*<sup>3</sup> *De concordia maris et lunæ  
 narrat hic, gloss.*<sup>4</sup> *non deficit luna, sed obumbratur ;  
 non diminutionem sentit corporis, sed**objectio obumbrantis terræ cassum  
 patitur luminis, gloss.*<sup>5</sup> *pro mare, gloss.*<sup>6</sup> *i. in xii. libris Æneidæ, gloss.*<sup>7</sup> *s. sum, gloss.*<sup>8</sup> *i. locum dedit, vel se subdidit,  
 gloss.*

Torrída dum calidos patior tormenta per ignes.  
Nam cineri facies nivibusque simillima<sup>1</sup> fulget.<sup>2</sup>

*De Heliotropia, sive Solissequa.*

Sponte mea nascor fœcundo cespite vernans,  
Fulgida de croceo flavescunt culmina flore;  
Occiduo claudor, sic orto sole patesco.  
Unde prudentes posuerunt nomina Græci.

*De puerpera geminos enixa.*

Sunt mihi sex oculi, totidem simul auribus exsto;  
Sed digitos decies senos in corpore gesto;  
Ex quibus ecce quater denis de carne revulsis;  
Quinques at tantum video remanere quaternos.

*De Adamante lapide.*

En ego non vereor rigidi discrimina ferri,  
Flammarum nec torre cremor; sed sanguine capri  
Virtus indomiti mollescit dura rigoris.  
Sic cruor exsuperat, quem ferrea massa pavescit.

*De Molosso.*

Sic me jamdudum rerum veneranda potestas<sup>3</sup>  
Fecerat, ut domini truculentos persequar hostes,  
Rictibus<sup>4</sup> arma<sup>5</sup> gerens bellorum prælia patro;  
Et tamen infantum fugiens mox verbera vito.

*De Poliadis,<sup>6</sup> id est Follibus fabrorum.*

Flatibus alternis vescor cum fratre gemello.  
Non est vita mihi, cum sint spiracula vitæ.  
Ars mea gemmatis dedit ornamenta metallis;  
Gratia<sup>7</sup> nulla datur mihi, sed capit alter<sup>8</sup> honorem.

<sup>1</sup> mihi, gloss.

<sup>2</sup> constat, A.

<sup>3</sup> s. Dei, gloss.

<sup>4</sup> i. faucibus, gloss.

<sup>5</sup> i. dentes, gloss.

<sup>6</sup> Polis, A.

<sup>7</sup> i. merces, gloss.

<sup>8</sup> i. fabricator, vel faber, gloss.

*De Bombycibus,<sup>1</sup> id est Vermibus qui Seres dicuntur.*

Annua dum redeunt texendi tempora telas,<sup>2</sup>  
Lurida setigeris<sup>3</sup> replentur viscera filis,  
Moxque genistarum frondosa cacumina scando,  
Ut globulos fabricans cum fati sorte quiescam.

*De Barbitō, sive Organo.*

Quamvis ære cavo salpinctis<sup>4</sup> classica clangant,  
Et citharæ crepitent, strepituque tubæ modulentur;<sup>5</sup>  
Centenos tamen eructant mea viscera cantus,  
Meque strepente stupent mox musica corda fibrarum.

*De Pavone.*

Pulcher<sup>6</sup> et excellens, specie mirandus in orbe,  
Ossibus et nervis et rubro<sup>7</sup> sanguine cretus,  
Cum mihi vita comes fuerit, nihil aurea forma  
Plus nitet;<sup>8</sup> et moriens nunquam mea pulpa putrescit.

*De Salamandra, quæ similis est lacertæ.*

Ignibus in mediis vivens non sentio flammas,  
Sed detrimenta rogi penitus ludibria faxo;  
Nec crepitante foco, nec scintillante favilla  
Ardeo, sed flammæ flagranti torre tepescunt.

*De Loligine, id est pisce volanti.*

Nunc cernenda placent nostræ spectacula vitæ;  
Cum grege piscoso scrutor maris æquora squamis,  
Cum volucrum turma quoque scando per æthera pennis,<sup>9</sup>  
Et tamen æthereo non possum vivere flatu.

<sup>1</sup> *i. vermibus sericas vestes digerentibus vel tegentibus*, gloss.

<sup>2</sup> *webb*, gloss, A. S.

<sup>3</sup> *hirsutis*, gloss.

<sup>4</sup> *salpicæ*, A.

<sup>5</sup> *modulantur*, A.

<sup>6</sup> *s. sum*, gloss.

<sup>7</sup> *ac rubro*, A.

<sup>8</sup> *plus rubet*, A.

<sup>9</sup> *finnum*, gloss, A. S.



*De Perna.*

E geminis nascor per ponti cærule conchis,  
 Vellera setigero producens corpore fulva.  
 En chlamyden pepli necnon et pabula<sup>1</sup> pulpæ  
 Confero, sic duplex fati persolvo tributum.

*De Pleiadibus.*

Nos Atlante satas stolidi dixere priores;  
 Nam septena cohors est,<sup>2</sup> sed vix cernitur una.  
 Arce poli gradimur, nec non sub Tartara, terræ  
 Furvis conspicimur tenebris, et luce<sup>3</sup> latemur,  
 Nomina de verno ducentes tempore prisca.

*De Myrmicaleone.*

Dudum compositis ego nomen gesto figuris,  
 Ut leo, sic formica vocor sermone Pelasgo,  
 Tropica<sup>4</sup> nominibus signans præsentia duplis,<sup>5</sup>  
 Cum rostris avium nequeam resistere rostro;<sup>6</sup>  
 Scrutetur sapiens gemino cur nomine fingar.<sup>7</sup>

*De Ape.*

Mirificis formata<sup>8</sup> modis, sine semine creta,<sup>9</sup>  
 Dulcia florigeris onero præcordia prædis;  
 Arte mea crocea flavescunt fercula<sup>10</sup> regum.  
 Semper acuta gero crudelis spicula belli,  
 Atque cærens manibus fabrorum vinco metalla.

<sup>1</sup> *i. cibaria*, gloss.

<sup>2</sup> *i. vii. enim filias Atlantis habuit*,  
 gloss.

<sup>3</sup> *i. in die*, gloss.

<sup>4</sup> *i. species, vel mystica*, gloss.

<sup>5</sup> *leo peccatores, et formica sanctos*  
*significat*, gloss.

<sup>6</sup> *frumenta gestantes*, gloss.

<sup>7</sup> *fungor*, A. *i. utor*, gloss. *i. leo*  
*pro fortitudine dicitur, formica autem*  
*pro sapientia*, gloss.

<sup>8</sup> *s. sum*, gloss.

<sup>9</sup> *i. procreata*, gloss.

<sup>10</sup> *obsonia*, gloss.

*De Lima.*<sup>1</sup>

Corpore sulcato, nec non ferrugine glauca,  
 Sum formata, fricans rimis informe metallum ;  
 Auri materias massasque polire sueta,<sup>2</sup>  
 Plano superficiem constans, asperrima rerum.  
 Garrio, voce carens, rauco cum murmure stridens.

*De Luscinia.*<sup>3</sup>

Vox mea diversis variatur pulchra figuris,  
 Raucisonis nunquam modulabor carmina rostris ;  
 Spreta<sup>4</sup> colore tamen, sed non sum spreta canendo.  
 Sic non cesso canens, fato<sup>5</sup> terrente futuro ;  
 Nam me bruma fugat, sed mox æstate redibo.

*De Trutina,*<sup>6</sup> quæ *Momentana* dicitur, eo quod ad  
*momentum inclinata vergit.*

Nos geminas olim genuit Natura sorores,  
 Quas jugiter rectæ legis censura gubernat.  
 Temnere personas, et jus servare solemus.  
 Felix in terra fieret mortalibus ævum,  
 Justitiæ normam si servent more sororum.

*De Natrice.*

Me caput horrentis fertur genuisse Draconis,  
 Augeo purpureis gemmarum lumina fucis ;  
 Sed mihi non dabitur rigida virtute potestas ;  
 Si prius occumbat squamoso corpore natrix,  
 Quam summo spolier capitis de vertice rubra.

<sup>1</sup> *De Lima, quæ rostina dicitur.*  
 Title in A.  
<sup>2</sup> *suesco, A.*  
<sup>3</sup> *De Achalantide, quæ Latine*  
*luscinia dicitur.* Title in A.

<sup>4</sup> *s. sum, gloss.*

<sup>5</sup> *s. hiemis, gloss,*

<sup>6</sup> *wegan, gloss, A. S.*

*De Magnete ferrifero.*

Vis<sup>1</sup> mihi Naturæ dedit, immo Creator Olympi,<sup>2</sup>  
 Id quo cuncta carent veteris miracula mundi.  
 Frigida nam chalybis<sup>3</sup> suspendo metalla per auras.  
 Vi quadam<sup>4</sup> superans sic ferrea fata revinco,  
 Mox adamante Cypri præsentē potentia fraudor.

*De Gallo.*

Garrulus in tenebris rutilos cecinisse<sup>5</sup> solebam  
 Augustæ<sup>6</sup> lucis radios et lumina Phœbi.  
 Penniger experto populorum nomine<sup>7</sup> fungor,  
 Arma ferens pedibus, belli discrimina faxo;<sup>8</sup>  
 Serratas capitis gestans in vertice cristas.

*De Coticulo.*

Frigidus ex gelido prolatus viscere terræ,  
 Duritiem ferri quadrata fronte polibo;  
 Atque senectutis vereor discrimina nunquam,  
 Mulciber annorum numerum ni dempserit ignis.  
 Mox rigida species mollescit torribus atris.<sup>9</sup>

*De Minotauro.*

Sum mihi difficilis<sup>10</sup> vultu membrisque biformis,  
 Cornibus armatus; horrendum cætera fingunt  
 Membra virum, fama clarus per Gnossia<sup>11</sup> rura.  
 Spurius<sup>12</sup> incerto in Creta genitore creatus,  
 Ex hominis pecudisque simul cognomine dicor.

<sup>1</sup> *i. fortitudo*, gloss.<sup>2</sup> *i. cæli*, gloss.<sup>3</sup> *i. ferri*, gloss.<sup>4</sup> *i. aliqua virtute, vel fortitudine*, gloss.<sup>5</sup> *i. vaticinare*, gloss.<sup>6</sup> *lux enim Christus est, et manens dies, et sol perennis*, gloss.<sup>7</sup> *Galli meo nomine vocantur*, gloss.<sup>8</sup> *facio, vel perficio*, gloss.<sup>9</sup> *i. ignibus nigris*, gloss.<sup>10</sup> *dissimilis, A.*<sup>11</sup> *i. per Græcia, i. Cretensis, al.**Ægyptia*, gloss.<sup>12</sup> *i. immundus, vel ignobilis*, gloss.

*De Cacabo, sive Lebeta.*

Horrida,<sup>1</sup> curva, capax, patulis fabricata metallis,  
 Pendeo; nec cœlum tangens terramve profundam,  
 Ignibus ardescens,<sup>2</sup> nec non et gurgite fervens.  
 Sic geminas vario patior<sup>3</sup> discrimine pugnas,<sup>4</sup>  
 Dum latices lymphæ tolero flammasque feroces.

*De Myriophyllo, Græce, quod est Millefolium<sup>5</sup> Latine.*

Prorsus Achivorum lingua pariterque Latina  
 Mille vocor viridi folium de cespite natum.  
 Idcirco decies centenum nomen habeo,<sup>6</sup>  
 Cauliculis florens quoniam sic nulla frutescit<sup>7</sup>  
 Herba per innumeros telluris limite<sup>8</sup> sulcos.

*De Arca libraria.*

Nunc mea divinis complentur viscera verbis;  
 Totaque sacratos gestant præcordia biblos;  
 At tamen ex iisdem nequeo cognoscere quicquam.  
 Infelix fato fraudabor munere tali,  
 Nam demunt<sup>9</sup> diræ librorum lumina Parcæ.

*De Urtica.*

Torqueo torquentes,<sup>10</sup> sed nullum torqueo sponte.  
 Lædere nec quenquam volo, ni prius ipse reatum  
 Contrahat,<sup>11</sup> et viridem studeat decerpere caulem;  
 Fervida mox hominis turgescunt membra nocentis.  
 Vindico sic noxam, stimulisque ulciscor acutis.

<sup>1</sup> *i. niger sum*, gloss.<sup>2</sup> *s. sum*, gloss.<sup>3</sup> *s. inter ignem et aquam*, gloss.<sup>4</sup> *i. prælia*, gloss.<sup>5</sup> *wearwe*, gloss, A. S.<sup>6</sup> *i. habeo*, gloss.<sup>7</sup> *s. ut ego, i. germinat*, gloss.<sup>8</sup> *i. termine*, gloss.<sup>9</sup> *Dum tollunt*, A., glossed by *i. demunt*.<sup>10</sup> *tangentes*, A.<sup>11</sup> *i. tangit*, gloss.

*De Aqua.*

Quis non obstupeat nostri spectacula fati,  
 Dum virtute fero silvarum robora<sup>1</sup> mille?  
 Ast acus exilis<sup>2</sup> tanta gestamina<sup>3</sup> rumpit,  
 Nam volucres cœli nantesque<sup>4</sup> per æquora<sup>5</sup> pisces  
 Olim<sup>6</sup> sumpserunt ex me primordia vitæ.  
 Tertia<sup>7</sup> pars mundi mihi<sup>8</sup> constat<sup>9</sup> jure tenenda.

*De Cancro, qui Nepa vocatur.*

Nepa<sup>10</sup> mihi nomen veteres dixere Latini,  
 Humida spumiferi spatior<sup>11</sup> per littora ponti,  
 Passibus Oceanum retrograda transeo versis.  
 Et tamen æthereus per me decoratur Olympus,  
 Dum ruber in cœlo et bissono<sup>12</sup> sidere scando.  
 Ostrea quem metunt duris perterritur<sup>13</sup> saxis.

*De Tippula, id est vermis qui non nando sed gradiendo aquas transit.*

Pergo super latices plantis suffulta quaternis,  
 Nec tamen in lymphas vereor quod mergar aquosas;  
 Sed pariter terras et flumina calco pedestres,  
 Nec Natura sinit celeres natare per amnes,  
 Pontibus aut ratibus fluvios transire feroces,  
 Quin potius pedibus gradior super æquora siccis.

*De Leone.*

Setiger in silvis armatos dentibus apros,  
 Cornigerosque simul cervos, licet ore rudentes,

<sup>1</sup> *i. trabes*, gloss.  
<sup>2</sup> *i. parvus, vel modicus*, gloss.  
<sup>3</sup> *i. pondera*, gloss.  
<sup>4</sup> *pro natantes*, gloss.  
<sup>5</sup> *s. maris*, gloss.  
<sup>6</sup> *i. in creatione mundi*, gloss.  
<sup>7</sup> *Universitas enim creaturam ex cœlo, et terra, et mari constat*, gloss.

<sup>8</sup> *i. a me*, gloss.  
<sup>9</sup> *i. convenit*, gloss.  
<sup>10</sup> *i. nec peccens*, gloss.  
<sup>11</sup> *i. ambulo*, gloss.  
<sup>12</sup> *i. xii. sidera*, gloss.  
<sup>13</sup> *perterrita*, A. g.

Contero, nec parcens ursorum quasso lacertos,<sup>1</sup>  
 Ora cruenta ferens; morsus rictusque luporum  
 Horridus haud vereor,<sup>2</sup> regali culmine<sup>3</sup> fretus.  
 Dormio nam patulis non claudens lumina gemmis.<sup>4</sup>

*De Pipere.*<sup>5</sup>

Sum niger exterius, rugoso cortice tectus,  
 Sed tamen interius candentem gesto medullam.  
 Delicias, epulas regum, luxusque ciborum,  
 Jus simul et pulpas<sup>6</sup> battutas condo<sup>7</sup> culinæ,<sup>8</sup>  
 Sed me subnixum<sup>9</sup> nulla virtute videbis,  
 Viscera ni fuerint nitidis quassata medullis.

*De Pulvillo.*

Nolo fidem frangas<sup>10</sup> licet irrita<sup>11</sup> dicta putentur,<sup>12</sup>  
 Credula sed nostris pande præcordia verbis.  
 Celsior ad superas possum turgescere nubes,  
 Si caput<sup>13</sup> aufertur mihi toto corpore dempto;<sup>14</sup>  
 At vero capitis si pressus mole gravabor,  
 Ina petens jugiter minorari parte videbor.

*De Struthione.*

Grandia membra mihi plumescunt<sup>15</sup> corpore denso,  
 Par color accipitri, sed dispar causa volandi.  
 Nam summa exiguis non trano<sup>16</sup> per æthera pennis,

<sup>1</sup> *i. brachia*, gloss.

<sup>2</sup> *i. non timeo*, gloss.

<sup>3</sup> *i. dignitate*, gloss.

<sup>4</sup> *i. oculis*, gloss.

<sup>5</sup> *Serpentes custodiunt silvas in quibus nascitur; sed incolæ regionis illius, cum maturi fuerint, incendunt, et serpentes fugantur, et ex flamma nigrum efficitur. Nam natura piperis alba est*, gloss.

<sup>6</sup> *i. carnes*, gloss.

<sup>7</sup> *i. aspergo*, gloss.

<sup>8</sup> *vel coquinæ*, gloss.

<sup>9</sup> *proficientem, vel suffultum*, gloss.

<sup>10</sup> *s. ut*, gloss.

<sup>11</sup> *i. vana, vel falsa*, gloss. *unsoðe*, gloss, A. S.

<sup>12</sup> *s. homines*, gloss.

<sup>13</sup> *s. hominis*, gloss.

<sup>14</sup> *i. diminuto*, gloss.

<sup>15</sup> *feðriað*, gloss, A. S.

<sup>16</sup> *i. volito*, gloss.

Sed potius pedibus spatior<sup>1</sup> per squalida<sup>2</sup> rura,  
 Ovorum<sup>3</sup> teretes præbens ad pocula testas.  
 Africa Pœnorum me fertur gignere tellus.

*De Sanguisuga.*

Lurida per latices cœnosas lustrō<sup>4</sup> paludes,<sup>5</sup>  
 Nam mihi composuit nomen Fortuna<sup>6</sup> cruenta.<sup>7</sup>  
 Rubro dum bibulis vescor de sanguine buccis.<sup>8</sup>  
 Ossibus et pedibus careo geminisque<sup>9</sup> lacertis,  
 Corpora vulneribus sed mordeo dira<sup>10</sup> trisulcis,  
 Atque salutiferis sic curam<sup>11</sup> præsto labellis.

*De Columba.*

Cum Deus infandas jam plecteret<sup>12</sup> æquore noxas,  
 Ablueretque simul scelerum contagia lymphis,  
 Prima ego præcepti<sup>13</sup> complevi jurâ parentis,<sup>14</sup>  
 Portendens<sup>15</sup> fructu terris venire salutem.  
 Mitia quapropter semper præcordia gesto,  
 Et felix præpes<sup>16</sup> nigro sine felle manebo.

*De Pisce.*

Me pedibus manibusque simul fraudaverat almus  
 Arbiter, immensum primum<sup>17</sup> dum pangeret orbem.  
 Fulcior haud volitans veloci præpetis ala,  
 Spiritus alterno vegetat<sup>18</sup> nec corpora flatu,  
 Quamvis in cœlis convexa cacumina cernam,  
 Non tamen undosi contemno marmora ponti.

<sup>1</sup> *pergo*, gloss.

<sup>2</sup> *sordida*, gloss.

<sup>3</sup> *s. meorum*, gloss.

<sup>4</sup> *i. pergo*, gloss.

<sup>5</sup> *paludis*, A.

<sup>6</sup> *i. fortunatis rebus*, gloss.

<sup>7</sup> *cruentum*, A.

<sup>8</sup> *i. oris*, gloss.

<sup>9</sup> *geminis carebo*, A., with the  
 gloss, *i. careo*.

<sup>10</sup> *per dolorem*, gloss.

<sup>11</sup> *i. sanitatem, vel medicinam*, gloss.

<sup>12</sup> *i. puniret*, gloss.

<sup>13</sup> *i. præipientis*, gloss.

<sup>14</sup> *parenti*, gloss.

<sup>15</sup> *i. demonstrans, vel significans*,  
 gloss.

<sup>16</sup> *i. ales*, gloss.

<sup>17</sup> *primo*, gloss.

<sup>18</sup> *i. confortat*, gloss.

*De Bove, sive de Juvenco.*

Arida spumosis dissolvens faucibus ora  
 Bis binis bibulus potum de fontibus hausi.  
 Vivens nam terræ glebas cum stirpibus imis  
 Nisu virtutis validæ disrumpo feraces;  
 At vero linquit dum spiritus algida membra,  
 Nexibus horrendis homines contingere possum.

*De Ceco nato.*

Jam referam verbis tibi, quod vix credere possis,  
 Cum constet<sup>1</sup> verum, fallant nec frivola mentem.  
 Nam dudum dederam soboli munuscula grata  
 Tradere quæ nunquam poterat mihi quislibet alter,  
 Dum<sup>2</sup> Deus ex alto fraudaret<sup>3</sup> lumine claro,  
 In quo cunctorum gaudent præcordia dono.

*De Clypeo.*

De salicis trunco, pecoris quoque tergo raso  
 Componor,<sup>4</sup> patiens discrimina dura<sup>5</sup> duelli.  
 Semper ego proprio gestantis corpore corpus  
 Conservabo, viri vitam ne dempserit Orcus.<sup>6</sup>  
 Quis tantos casus, aut quis<sup>7</sup> tam plurima lethi  
 Suscipit in bello crudelis vulnera miles?

*De Elementis, sive Abecedario.<sup>8</sup>*

Nos denæ et septem genitæ sine voce sorores;  
 Sex alias nothas non dicimus annumerandas;<sup>9</sup>  
 Nascimur ex ferro, rursus ferro<sup>10</sup> moribundæ,

<sup>1</sup> *hit wunaŝ*, gloss, A. S.

<sup>2</sup> *i. postquam*, gloss.

<sup>3</sup> *s. me*, gloss.

<sup>4</sup> *i. pangor*, gloss.

<sup>5</sup> *cruda*, A.

<sup>6</sup> *i. mors*, gloss.

<sup>7</sup> *s. suscipit*, gloss.

<sup>8</sup> *i. alphabeto*, gloss.

<sup>9</sup> *s. nobiscum*, *id. est*, K. Q. H. F. Y. Z. *Due supervacuae*, K. et Q.; *due Græcæ*, Y. et Z.; X. *non fuit ad tempus Augusti*; H. *autem aspirationis nota est*, gloss.

<sup>10</sup> *i. stylo, vel graphio*, gloss.



Necnon et volucris penna volitantis<sup>1</sup> ad æthram ;  
 Terni<sup>2</sup> nos fratres incerta matre<sup>3</sup> crearunt.  
 Qui cupit instanter sitiens audire docentes,  
 Tum cito prompta damus rogитanti verba silenter.<sup>4</sup>

*De Ciconia.*

Candida<sup>5</sup> forma nitens,<sup>6</sup> necnon et furva nigrescens  
 Est mihi, dum varia componor imagine pennæ ;  
 Voce carens tremulo<sup>7</sup> faxo crepitacula<sup>8</sup> rostro.  
 Quamvis squamigeros discerpam dira colubros,  
 Non mea lethiferis turgescunt membra venenis.<sup>9</sup>  
 Sic teneros pullos prolemque nutrire suesco  
 Carne venenata, tetroque<sup>10</sup> cruore draconum.<sup>11</sup>

*De Lorica.*

Roscida me genuit gelido<sup>12</sup> de viscere tellus,  
 Non sum setigero<sup>13</sup> lanarum vellere facta,  
 Licia nulla trahunt,<sup>14</sup> nec garrula fila resultant,  
 Nec crocea<sup>15</sup> seres<sup>16</sup> texunt<sup>17</sup> lanugine vermes,  
 Nec radiis carpor,<sup>18</sup> duro nec<sup>19</sup> pectine pulsor ;  
 Et tamen en vestis<sup>20</sup> vulgi<sup>21</sup> sermone vocabor.  
 Spicula<sup>22</sup> non vereor<sup>23</sup> longis exempta<sup>24</sup> pharetris.

<sup>1</sup> *i. volantis*, gloss.

<sup>2</sup> *i. tres digiti scriptores*, gloss.

<sup>3</sup> *i. ignoramus utrum cum penna corvina, vel anserina, sive calamo, perscriptæ simus*, gloss.

<sup>4</sup> *qui non loquuntur, et tamen docent*, gloss.

<sup>5</sup> *i. alba, vel pulchra*, gloss.

<sup>6</sup> *i. splendens*, gloss.

<sup>7</sup> *tremula*, Δ.

<sup>8</sup> *i. sonos*, gloss.

<sup>9</sup> *s. serpentum*, gloss.

<sup>10</sup> *i. nigro*, gloss.

<sup>11</sup> *i. serpentum*, gloss.

<sup>12</sup> *i. frigido*, gloss.

<sup>13</sup> *i. hirsuto*, gloss.

<sup>14</sup> *s. me*, gloss.

<sup>15</sup> *i. fulva*, gloss.

<sup>16</sup> *i. orientales*, gloss.

<sup>17</sup> *s. me*, gloss.

<sup>18</sup> *i. moveor*, gloss.

<sup>19</sup> *nec duro*, Δ.

<sup>20</sup> *Atque tamen vestis*, Δ.

<sup>21</sup> *i. populi*, gloss.

<sup>22</sup> *i. sagittas*, gloss.

<sup>23</sup> *i. timeo*, gloss.

<sup>24</sup> *i. prolata*, gloss.

*De Locusta.*

Quamvis agricolis non sim laudabilis hospes,  
 Fructus agrorum viridi de cespite ruris<sup>1</sup>  
 Carpo<sup>2</sup> catervatim, rodens de stipite<sup>3</sup> libros.<sup>4</sup>  
 Cor mihi sub genibus; nam constat carcere<sup>5</sup> septum.<sup>6</sup>  
 Pectora poplitibus subduntur more rubetæ,  
 Jamdudum celebris spolians Nilotica regna,  
 Quando decem plagas spurca cum gente luebant.<sup>7</sup>

*De Nycticorace.*<sup>8</sup>

Duplicat ars geminis<sup>9</sup> mihi nomen rite<sup>10</sup> figuris,  
 Nam partem<sup>11</sup> tenebræ retinent, partemque volucres.  
 Raro me quisquam cernet sub luce<sup>12</sup> serena;<sup>13</sup>  
 Quin magis astriferas ego nocte fovebo latebras.  
 Raucisono medium<sup>14</sup> crepitare per aera suetus,<sup>15</sup>  
 Romuleis<sup>16</sup> scribor byblis, sed voce Pelasga,<sup>17</sup>  
 Nomine<sup>18</sup> nocturnas dum semper servo tenebras.

*De Cinyphe.*

Corpore sum gracili, stimulis<sup>19</sup> armatus acerbis,  
 Scando catervatim<sup>20</sup> volitans super ardua<sup>21</sup> pennis,  
 Sanguineas sumens prædas mucrone cruento,  
 Quadrupedi parcens nulli, sed spicula trudo

<sup>1</sup> *i. terræ*, gloss.<sup>2</sup> *i. decarpo*, gloss.<sup>3</sup> *i. tellure*, gloss.<sup>4</sup> *i. cortices*, gloss.<sup>5</sup> *corpore septum*, A.<sup>6</sup> *i. circumdatum*, gloss.<sup>7</sup> *i. patiebantur*.<sup>8</sup> *Nycticorax*, *i. noctua*. *Multi bubonem esse contendunt. Sunt etiam qui asserunt esse orientalem avem quæ nocturnus corvus appellatur.* gloss.<sup>9</sup> *i. ex nocte et corace*, gloss.<sup>10</sup> *i. juste*, gloss.<sup>11</sup> *s. nominis*, gloss.<sup>12</sup> *i. in die*, gloss.<sup>13</sup> *i. clara*, gloss.<sup>14</sup> *raucisonus media*, A.<sup>15</sup> *per æthra suescens*, A.<sup>16</sup> *i. Latinis, vel Romanis*, gloss.<sup>17</sup> *i. Græca*, gloss.<sup>18</sup> *i. in*, gloss.<sup>19</sup> *i. unguibus*, gloss.<sup>20</sup> *i. turmatim*, gloss.<sup>21</sup> *i. spatia*, gloss.

Setigeras<sup>1</sup> pecudum stimulans per vulnera pulpas.  
 Olim<sup>2</sup> famosus vexans Memphitica<sup>3</sup> rura.  
 Namque toros<sup>4</sup> penetrans<sup>5</sup> taurorum sanguine vescor.

*De Fuso, quo Fila torquentur.*

In saltu nascor ramoso fronde virescens ;  
 Sed Natura meum mutaverat ordine fatum,  
 Dum veho<sup>6</sup> per<sup>7</sup> colum teretem vertigine<sup>8</sup> molam ;  
 Tam longa nullus zona præcingitur heros ;<sup>9</sup>  
 Ex quo conficitur regalis stragula pepili.<sup>10</sup>  
 Tam longa nullus zona præcingitur heros ;  
 Per me fata virum<sup>11</sup> dicunt<sup>12</sup> decernere<sup>13</sup> Parcas.<sup>14</sup>  
 Frigora dura<sup>15</sup> viros sternent,<sup>16</sup> ni forte resistam.<sup>17</sup>

*De Cucuma duplici.<sup>18</sup>*

Crederet quis poterit tantarum<sup>19</sup> fœdera rerum  
 Temperet,<sup>20</sup> et fatis morum<sup>21</sup> contraria fata ?  
 Ecce larem,<sup>22</sup> laticem<sup>23</sup> quoque gesto in viscere ventris,<sup>24</sup>  
 Nec tamen undantes vincunt incendia lymphæ,  
 Ignibus aut tetris,<sup>25</sup> siccantur flumina fontis ;  
 Fœdera sed pacis sunt flammæ inter et undas.  
 Malleus in primo<sup>26</sup> memet formabat et incus.

<sup>1</sup> *i. hirsutas*, gloss.

<sup>2</sup> *s. fui*, gloss.

<sup>3</sup> *i. de nomine civitatis quæ dicitur Memphis, quæ est metropolis Ægypti*, gloss.

<sup>4</sup> *i. cutes*, gloss.

<sup>5</sup> *terebrans*, A.

<sup>6</sup> *i. porto*, gloss.

<sup>7</sup> *i. circa*, gloss.

<sup>8</sup> *tyrninge*, gloss, A. S.

<sup>9</sup> *i. dominus*, gloss.

<sup>10</sup> This line is omitted in A.

<sup>11</sup> *pro virorum*, gloss.

<sup>12</sup> *s. homines gentiles*, gloss.

<sup>13</sup> *decerpere*, A., corrected to *decernere* in marg.

<sup>14</sup> *iii. deæ dictæ Parcæ, eo quod minime parcant*, gloss.

<sup>15</sup> *i. ex me*, gloss.

<sup>16</sup> *i. perimunt*, gloss.

<sup>17</sup> *i. frigoribus illis*, gloss.

<sup>18</sup> *Quam piratæ in navibus solent habere*, gloss.

<sup>19</sup> *vel tantis*, A.

<sup>20</sup> *s. quis nisi ego*, gloss.

<sup>21</sup> *vel rerum*, gloss.

<sup>22</sup> *i. ignem*, gloss.

<sup>23</sup> *i. aquam*, gloss.

<sup>24</sup> *wambe*, gloss, A. S.

<sup>25</sup> *atris*, A.

<sup>26</sup> *s. tempore*, gloss.

*De Vespero sidere.*

Tempore de primo noctis mihi nomen<sup>1</sup> adhæsit.  
 Occiduas mundi<sup>2</sup> complector cardine partes,  
 Oceano Titan<sup>3</sup> dum corpus tinxerit alnum,  
 Et polus in glaucis descendens volvitur undis;  
 Tum sequor in vitreis abscondens<sup>4</sup> lumina<sup>5</sup> campis,  
 Et<sup>6</sup> fortunatus<sup>7</sup> subito mox tollor ab æthra,<sup>8</sup>  
 Ut fervas lumen<sup>9</sup> noctis depelleret umbras.

*De Pugione, vel Spata.*

De terræ gremiis formabar<sup>10</sup> primitus arte,  
 Materia trucibus processit cætera tauris,  
 Aut potius putidis<sup>11</sup> constat<sup>12</sup> fabricata capellis.<sup>13</sup>  
 Per me multorum clauduntur lumina letho,  
 Qui domini nudus nitor defendere vitam.  
 Nam domus est mihi constructa de tergo secto,<sup>14</sup>  
 Nec non et tabulis quas findunt stipite rasis.

*De Famfaluca Græce, Bulla Aquatica Latine.*

De madido nascor rorantibus æthere<sup>15</sup> guttis  
 Turgida, concrescens liquido de flumine lapsu;<sup>16</sup>  
 Sed me nulla valet manus udo gurgite nantem  
 Tangere, ni statim rumpantur viscera tactu,  
 Et<sup>17</sup> fragiles tenues flatus discedat in auras.  
 Ante catervatim per lymphas duco<sup>18</sup> cohortes,  
 Dum plures orta<sup>19</sup> comites potiuntur<sup>20</sup> eodem

<sup>1</sup> *i. vesper*, gloss.<sup>2</sup> *i. cali*, gloss.<sup>3</sup> *i. sol*, gloss.<sup>4</sup> *i. recondens*, gloss.<sup>5</sup> *i. sidera*, gloss.<sup>6</sup> *sc. esse*, gloss.<sup>7</sup> *i. ditatus, vel felix*, gloss.<sup>8</sup> *subito ni tollar ab æthre*, A.<sup>9</sup> *s. meum*, gloss.<sup>10</sup> *Me terræ gremius formabat*, Gi.<sup>11</sup> *i. fetidis*, gloss.<sup>12</sup> *ipsa*, gloss.<sup>13</sup> *i. capris*, gloss.<sup>14</sup> *i. raso*, gloss.<sup>15</sup> *pro aere*, gloss.<sup>16</sup> *fylle*, gloss, A. S.<sup>17</sup> *ni*, gloss.<sup>18</sup> *produxi*, gloss.<sup>19</sup> *ortu*, A.<sup>20</sup> *i. socientur*, gloss.

*De Mola.*

Nos sumus æquales communi sorte sorores,  
 Quæ damus ex nostro cunctis alimenta labore ;  
 Par<sup>1</sup> labor ambarum, dispar<sup>2</sup> fortuna duarum ;  
 Altera nam currit,<sup>3</sup> quod nunquam altera gessit,  
 Nec tamen invidiæ stimulis agitamur acerbis.  
 Utraquæ quod mandit,<sup>4</sup> quod ruminat<sup>5</sup> ore patenti,  
 Comminuens reddit famulans sine fraude maligna.

*De Spelta, sive Tortella.*

De terris orior candenti corpore spelta  
 Et nive fœcunda, Vulcani torre rigescens,  
 Carior et multo quam cætera scuta duelli,  
 Nec tamen in medio clypei stat ferreus umbo.  
 Me sine quid prodest dirorum parma virorum ?  
 Vix artus animæque carerent tramite mortis,  
 Ni forsán validis refragarer viribus Orco.

*De Fonte.*

Per cava telluris clam serpo celerrimus antra,  
 Flexos venarum gyrans amfractibus orbes ;  
 Cum caream vita, sensu<sup>6</sup> quoque funditus expers,  
 Quis numerus capiat, vel quis laterculus æquet  
 Vita<sup>7</sup> viventum<sup>8</sup> generem quot millia partu ?  
 His neque per cœlum rutilantis sidera sphæræ,  
 Fluctivagæ<sup>9</sup> ponti nec compensatur arenæ.

<sup>1</sup> *s. est*, gloss.<sup>2</sup> *s. sed*, gloss.<sup>3</sup> *cursat*, A. *i. vergit*, gloss.<sup>4</sup> *i. comedit*, gloss.<sup>5</sup> *eeuwð*, gloss, A. S.<sup>6</sup> *Cum caream sensu, vita quoque*,  
A.<sup>7</sup> *s. in*, gloss.<sup>8</sup> *s. in aquis*, gloss.<sup>9</sup> *Fluctivagi*, A.

*De Malo Arbore, vel Melario.*<sup>1</sup>

Fausta fuit prima mundi nascentis origo,  
 Donec prostratus succumberet<sup>2</sup> arte maligni;  
 Ex me tunc priscae processit causa ruinæ,  
 Dulcia quæ rudibus tradebam mala colonis.<sup>3</sup>  
 En iterum mundo<sup>4</sup> testor remeasse salutem,  
 Stipite de patulo dum penderet Arbiter orbis,  
 Et pœnas<sup>5</sup> lueret<sup>6</sup> soboles veneranda Tonantis.

*De Ficulnea.*

Quis prior in mundo deprompsit tegmina vestis?  
 Aut quis clementer miserum protexit egenum?<sup>7</sup>  
 Irrita non referam verbis, nec frivola fingam.  
 Primitus in terra proprio de corpore peplum,  
 Ut fama fertur, produxi, frondibus altis;  
 Carica me<sup>8</sup> curvat dum massis pabula præstat  
 Sedulus agricola, brumæ quas tempore mandit.

*De Helleboro.*

Ostriger in arvo vernabam<sup>9</sup> frondibus hirtis<sup>10</sup>  
 Concilio<sup>11</sup> similis sic cocti<sup>12</sup> murice rubro,  
 Purpureus stillat sanguis de vertice<sup>13</sup> guttis.  
 Exuvias vitæ mandenti<sup>14</sup> tollere nolo,  
 Mitia<sup>15</sup> nec penitus spoliabunt<sup>16</sup> mente<sup>17</sup> venena.  
 Sed tamen insanum vexat dementia cordis,  
 Dum rotat<sup>18</sup> in gyro vecors vertigine membra.

<sup>1</sup> *De Melario, vel Malo, A.*

<sup>2</sup> *s. mundus, gloss.*

<sup>3</sup> *i. Adæ et Evæ, gloss.*

<sup>4</sup> *s. ex me, gloss.*

<sup>5</sup> *s. dum, gloss.*

<sup>6</sup> *i. passus est, gloss.*

<sup>7</sup> *i. Adam, gloss.*

<sup>8</sup> *quas, gloss.*

<sup>9</sup> *i. crescebam, gloss.*

<sup>10</sup> *i. hirsutis, gloss.*

<sup>11</sup> *weolc-scille, gloss, A. S.*

<sup>12</sup> *cocci, A.*

<sup>13</sup> *vel de palmitate, gloss.*

<sup>14</sup> *i. gustanti, gloss.*

<sup>15</sup> *i. lenia, gloss.*

<sup>16</sup> *i. homines.*

<sup>17</sup> *in, gloss.*

<sup>18</sup> *sc. homo, gloss.*

*De Camelo.*<sup>1</sup>

Consul eram<sup>2</sup> quondam Romanus, miles,<sup>3</sup> equester,  
 Arbiter imperio dum regni sceptrā regebat;  
 Nunc onus horrendum convectant<sup>4</sup> corpora gibbi,  
 Et premit immensum truculentæ sarcina molis.  
 Terreo cornipedum nunc velox agmen equorum,  
 Qui trepidi fugiunt mox quadrupedante meatu,<sup>5</sup>  
 Dum trucis adspectant<sup>6</sup> immensos corporis artus.

*De Aspide, vel Basilisco.*

Callidior<sup>7</sup> cunctis aura vescentibus æthræ,  
 Late per mundum dispersi semina<sup>8</sup> mortis,  
 Unde horrenda seges<sup>9</sup> diris succrevit aristis.<sup>10</sup>  
 Quam metit ad scelera scortator<sup>11</sup> falce<sup>12</sup> maligna.  
 Cornigeri multum<sup>13</sup> vereor certamina cervi,  
 Namque senescenti spoliabor pelle vetustus,  
 Atque nova rursus fretus remanebo juvena.

*De Candela, vel Linamento.*

Materia duplici palmis plasmabar apertis,  
 Interiora mihi candescunt viscera lino,  
 Seu certe gracili junco spoliata<sup>14</sup> nitescunt;  
 Sed nunc<sup>15</sup> exterius flavescunt corpora flore  
 Quæ<sup>16</sup> flammisque focosque<sup>17</sup> larem fumantia<sup>18</sup> fundunt.  
 Et crebro lacrimæ stillant de frontibus udæ.<sup>19</sup>

<sup>1</sup> *Camelus, humiliatus interpretatur, gloss.*

<sup>2</sup> *Quia aliquis consul in Roma sic nominatus erat, gloss.*

<sup>3</sup> *s. et, gloss.*

<sup>4</sup> *i. reportant, gloss.*

<sup>5</sup> *i. cursu, gloss.*

<sup>6</sup> *s. illi equi, gloss.*

<sup>7</sup> *i. sum, gloss.*

<sup>8</sup> *ex persona diaboli, s. Adæ, gloss.*

<sup>9</sup> *s. virorum, gloss.*

<sup>10</sup> *i. malis: arista ab ariditate dicta, gloss.*

<sup>11</sup> *i. maculator, gloss.*

<sup>12</sup> *sc. diaboli.*

<sup>13</sup> *pro valde, gloss.*

<sup>14</sup> *i. viscera, gloss.*

<sup>15</sup> *i. aliquando, gloss.*

<sup>16</sup> *s. corpora, gloss.*

<sup>17</sup> *i. faces, pro calore, gloss.*

<sup>18</sup> *vomentia, A.*

<sup>19</sup> *i. humidæ, gloss.*

Sic tamen horrendas noctis extinguo latebras,  
Reliquias cinerum mox viscera torta<sup>1</sup> relinquunt.

*De Aquila.*

Armiger infausti Jovis et raptor Ganymedis,  
Quanquam pellaces<sup>2</sup> cantarint carmine vates,  
Non fueram<sup>3</sup> præpes<sup>4</sup> quo fertur Dardana proles,  
Sed magis in summis cygnos agitabo fugaces,  
Arsantesque<sup>5</sup> grues proturbo<sup>6</sup> sub ætheris axe.  
Corpora dum senio corrumpit fessa vetustas,<sup>7</sup>  
Fontibus in liquidis mergentis membra<sup>8</sup> madescunt,  
Post hæc restauror præclaro lumine Phœbi.

*De Penna scriptoria.*<sup>9</sup>

Me pridem<sup>10</sup> genuit candens onocrotalus<sup>11</sup> albam,  
Gutture qui patulo sorbet de gurgite lymphas.  
Pergo per albentes directo tramite campos,  
Candentique viæ vestigia cærulea<sup>12</sup> linquo,  
Lucida nigratis fuscans amfractibus<sup>13</sup> arva.  
Nec satis est unum per campos pandere<sup>14</sup> callem;  
Semita quin potius milleno tramite tendit,  
Quæ<sup>15</sup> non errantes<sup>16</sup> ad cœli culmina vexit.

*De Salpinge.*<sup>17</sup>

Sum cava, bellantum crepitu quia corda ciebo  
Vocibus horrendis stimulans<sup>18</sup> in bella cohortes.  
Idcirco reboans tanto clamore resulto,

<sup>1</sup> *tosta*, A. *i. exusta*, gloss.

<sup>2</sup> *pro fallaces*, gloss.

<sup>3</sup> *Non sum illa aquila Trojana  
quæ Ganymedem in cælum fertur  
rapiisse*, gloss.

<sup>4</sup> *s. non fueram*, gloss.

<sup>5</sup> *vociferantes*, gloss.

<sup>6</sup> *perturbo*, A.

<sup>7</sup> *senectus*, gloss.

<sup>8</sup> *i. mea*, gloss.

<sup>9</sup> *scriptoris*, A.

<sup>10</sup> *dudum*, A.

<sup>11</sup> *i. nomen avis*, gloss.

<sup>12</sup> *i. nigra*, gloss.

<sup>13</sup> *i. obliquis*, gloss.

<sup>14</sup> *i. pergere*, gloss.

<sup>15</sup> *i. semita*, gloss.

<sup>16</sup> *i. justos, vel fideles*, gloss.

<sup>17</sup> *De Salpice*, A.

<sup>18</sup> *i. instigans*, gloss.



Quod nulla interius retrudant<sup>1</sup> viscera vocem ;  
 Spiritus in toto sed regnant corpore flabra.  
 Garrula me poterit nunquam superare cicada,  
 Aut arguta simul cantans luscinia ruscis ;<sup>2</sup>  
 Quam lingua propria dicunt<sup>3</sup> Achalantida Graii.<sup>4</sup>

*De Taxo.*

Semper habens virides frondenti in corpore crines,  
 Tempore non ullo<sup>5</sup> viduabor tegmine spisso,  
 Circius et Boreas quamvis et flamina<sup>6</sup> Cauri  
 Viribus horrendis studeant evertere frondes ;<sup>7</sup>  
 Sed me pestiferam<sup>8</sup> fecerunt fata reorum.  
 Cumque venenatus gliscit de corpore stipes,  
 Lurcones<sup>9</sup> rabidi<sup>10</sup> quem carpunt rictibus oris  
 Occido mandentum mox plura cadavera letho.

*De Colosso, vel Toraciclo.*

Omnia membra mihi plasmavit corporis auctor.<sup>11</sup>  
 Nec tamen ex eodem membrorum munia sumpsi,  
 Pergere nec plantis, oculis nec cernere possum.  
 Quanquam nunc patulæ constant sub fronte fenestræ,  
 Nullus anhelanti<sup>12</sup> procedit viscere flatus.  
 Spicula nec geminis nitor torquere lacertis.  
 Heu ! frustra factor<sup>13</sup> confinxit corpus enorme,  
 Totis membrorum dum fraudor sensibus intus.

*De Mustela.*

Discolor in curvas deflecto membra cavernas,  
 Pugnas exercens dira cum gente draconum,

<sup>1</sup> obtundunt, A.

<sup>2</sup> i. frutectis, gloss.

<sup>3</sup> nominant, gloss.

<sup>4</sup> Graci, A.

<sup>5</sup> jam nullo, A.

<sup>6</sup> vel, flumina, gloss.

<sup>7</sup> deglobere frondem, A.

<sup>8</sup> s. illum taxum, gloss.

<sup>9</sup> i. raptores, gloss.

<sup>10</sup> cupidi, gloss.

<sup>11</sup> i. pictor, gloss.

<sup>12</sup> i. spiranti, gloss.

<sup>13</sup> i. pictor, gloss.

Non ego dilecta turgesco prole mariti ;  
 Nec fœcunda viro sobolem sic edidit alvus,  
 Residuæ matres ut sununt semina partus,  
 Cum<sup>1</sup> magis ex auræ prægnentur viscera flatu ;<sup>2</sup>  
 Si vero proles patitur discrimina mortis,  
 Dicor habere rudem componens arte medelam.

*De Ariete.*

Sum namque armatus rugosis cornibus horrens,  
 Herbas arborum buccis decerpo virentes,  
 Et tamen<sup>3</sup> astrifero procedens agmine stipor,  
 Culmina cœlorum quæ<sup>4</sup> scandunt celsa catervis ;<sup>5</sup>  
 Turritas urbes capitis certamine quasso,  
 Oppida murorum prosternens arcibus<sup>6</sup> altis ;  
 Induo mortales contorto stamine pepli ;  
 Littera quindecima præstat quod pars domus exto.

*De Pugillaribus.*

Melligeris apibus mea prima processit origo,<sup>7</sup>  
 Sed pars exterior<sup>8</sup> crescebat cætera silvis ;  
 Calceamenta mihi tradebant tergora<sup>9</sup> dura.  
 Nunc<sup>10</sup> ferri stimulus<sup>11</sup> faciem proscindit amœnam,<sup>12</sup>  
 Flexibus et sulcos obliquat<sup>13</sup> ad instar<sup>14</sup> aratri ;  
 Sed semen segeti de cœlo<sup>15</sup> ducitur alium,<sup>16</sup>  
 Quod<sup>17</sup> largos generat millena fruge maniplos ;  
 Heu ! tam sancta seges<sup>18</sup> diris extinguitur<sup>19</sup> armis.

<sup>1</sup> *pro sed*, gloss.

<sup>2</sup> *ex aure prægnantur viscera fœtu*,

A.

<sup>3</sup> *Necnon*, A., glossed by *et tamen*.

<sup>4</sup> *s. agmina*, gloss.

<sup>5</sup> *s. cum*, gloss.

<sup>6</sup> *i. civitatibus*, gloss.

<sup>7</sup> *i. cera*, gloss.

<sup>8</sup> *i. tabula*, gloss.

<sup>9</sup> *hyda*, gloss, A. S.

<sup>10</sup> *i. aliquando*, gloss.

<sup>11</sup> *i. grafum*, gloss.

<sup>12</sup> *i. pulchram*, gloss.

<sup>13</sup> *i. curvat*, *s. stimulus ferri*, gloss.

<sup>14</sup> *i. ad similitudinem*, gloss.

<sup>15</sup> *i. litteræ de cœlo sunt lapsæ*,  
 gloss.

<sup>16</sup> *i. sanctum*, gloss.

<sup>17</sup> *s. semen*, gloss.

<sup>18</sup> *s. litterarum*, gloss.

<sup>19</sup> *i. deletur*, gloss.

*De Igne.*

Me pater<sup>1</sup> et mater<sup>2</sup> gelido genuere rigore,<sup>3</sup>  
 Fomitibus siccis dum mox rudimenta<sup>4</sup> vigeabant,  
 Quorum<sup>5</sup> vi propria<sup>6</sup> fortunam vincere possum;  
 Cum nihil<sup>7</sup> in latices mea possunt<sup>8</sup> vincere fata;<sup>9</sup>  
 Sed saltus, scopulos, stagni ferrique metalla  
 Comminuens penitus naturæ jura resolvam.  
 Cum me vita fovet, clari sum sideris<sup>10</sup> instar;<sup>11</sup>  
 Post hæc et fato victus<sup>12</sup> pice nigrior exsto.<sup>13</sup>

*De Hirundine.*

Absque cibo plures degebam marcida menses,<sup>14</sup>  
 Sed sopor et somnus<sup>15</sup> jejunia longa tulerunt;<sup>16</sup>  
 Pallida purpureo dum gliscunt<sup>17</sup> gramine<sup>18</sup> rura,  
 Garrula mox crepitat rubicundum carmina guttur.  
 Post teneros fœtus<sup>19</sup> et prolem<sup>20</sup> gentis<sup>21</sup> adultam  
 Sponte mea fugiens, umbrosas quæro latebras.  
 Si vero quisquam pullorum lumina<sup>22</sup> lædat,  
 Adfero compertum<sup>23</sup> medicans cataplasma<sup>24</sup> salutis,  
 Quærens campestrum proprio<sup>25</sup> de nomine<sup>26</sup> florem.

<sup>1</sup> *i. ferrum*, gloss.<sup>2</sup> *i. silex*, gloss.<sup>3</sup> *i. virtute*, gloss.<sup>4</sup> *i. principia*, gloss.<sup>5</sup> *s. patrum*, gloss.<sup>6</sup> *i. frigorem eorum*, gloss.<sup>7</sup> *nil*, A.<sup>8</sup> *possit*, A.<sup>9</sup> *i. meam naturam*, gloss.<sup>10</sup> *sum clari sideris*, A.<sup>11</sup> *i. similitudo*, gloss.<sup>12</sup> *i. extinctus*, gloss.<sup>13</sup> *i. sum*, gloss.<sup>14</sup> *Octobr. recedit, in æstate enim venit*, gloss.<sup>15</sup> *ideo sustinui quia in somno fui*, gloss.<sup>16</sup> *i. tenuerunt*, gloss.<sup>17</sup> *i. crescunt*, gloss.<sup>18</sup> *i. semine, vel germine*, gloss.<sup>19</sup> *i. pullos*, gloss.<sup>20</sup> *cnosle*, gloss, A. S.<sup>21</sup> *cynnes*, gloss, A. S.<sup>22</sup> *i. oculos*, gloss.<sup>23</sup> *i. inventum*, gloss.<sup>24</sup> *i. medicina*, gloss. *clyban*, gloss, A. S.<sup>25</sup> *s. floris*, gloss.<sup>26</sup> *i. celedonia*, gloss.

*De Vertigine Poli.*<sup>1</sup>

Sic me<sup>2</sup> formavit Naturæ<sup>3</sup> Conditor almus,  
 Lustrò tota teres<sup>4</sup> spaciosis sæcula<sup>5</sup> cyclis,<sup>6</sup>  
 Latas in gremio portans cum pondere terras ;  
 Sic maris undantes cumulos et cærule claudio.  
 Nam nihil in rerum natura tam celer esset,  
 Quod pedibus pergat, quod pennis æthera tranet,<sup>7</sup>  
 Accola<sup>8</sup> nec ponti<sup>9</sup> volitans per cærule squamis,  
 Nec rota per girum quam trudit<sup>10</sup> machina lymphæ,  
 Currere sic possent<sup>11</sup> ni septem sidera tricent.<sup>12</sup>

*De Arcturo.*

Sidereis stipor turmis in vertice mundi,<sup>13</sup>  
 Esseda famoso gesto<sup>14</sup> cognomine vulgi,  
 In giro<sup>15</sup> volvens jugiter non vergo deorsum,  
 Cætera ceu properant cælorum lumina ponto.  
 Hoc dono ditor, quoniam sum proximus axi,<sup>16</sup>  
 Riphæis Scythiæ qui latis<sup>17</sup> montibus errat,<sup>18</sup>  
 Virgiliis æquans numeris in arce polorum,  
 Cui pars inferior Stygia Letheaque palude  
 Fertur, et inferni fundo succumbere nigro.

*De Crismale,<sup>19</sup> sive Crismaro.*

Alma domus veneror divino munere<sup>20</sup> plena ;  
 Valvas sed nullus reserat, nec limina pandit,

<sup>1</sup> *Firmamenti per viginti iijor horas terram circuit, gloss.*

<sup>2</sup> *i. ut sum, gloss.*

<sup>3</sup> *i. uniuscujusque naturæ, gloss.*

<sup>4</sup> *i. rotundus, gloss.*

<sup>5</sup> *s. per, gloss.*

<sup>6</sup> *circulis, gloss.*

<sup>7</sup> *i. volitet, gloss.*

<sup>8</sup> *i. piscis, gloss.*

<sup>9</sup> *neu ponti, A.*

<sup>10</sup> *i. compellit, gloss.*

<sup>11</sup> *posset, A.*

<sup>12</sup> *tardent, trico, i. solvo, gloss.*

<sup>13</sup> *i. cæli, gloss.*

<sup>14</sup> *famosum nomen gesto, A. i. plaustrum, gloss.*

<sup>15</sup> *i. in circuitu circa cardinem cæli, gloss.*

<sup>16</sup> *i. polo, gloss.*

<sup>17</sup> *Scythiæ prælatus, A. i. præpositus, vel levatus, gloss.*

<sup>18</sup> *hwearft, gloss, A. S.*

<sup>19</sup> *Chrismale, A.*

<sup>20</sup> *i. corpore Christi, vel benedictione, gloss.*

Culina ni fuerint aulis<sup>1</sup> sublata quaternis,  
 Et licet exterius rutilent<sup>2</sup> de corpore gemmæ,  
 Aurea dum fulvis flavescit bulla<sup>3</sup> metallis;  
 Sed tamen uberius ditantur viscera, crassa<sup>4</sup>  
 Potis<sup>5</sup> qua<sup>6</sup> species<sup>7</sup> flagrat pulcherrima Christi.  
 Candida sanctarum sic floret gloria rerum,  
 Nec trabes in templo surgunt, nec tacta columnis.<sup>8</sup>

*De Castore, qui Latine Fiber dicitur.*

Hospes præruptis<sup>9</sup> habitans in margine ripis,<sup>10</sup>  
 Non sum torpescens, oris sed belligor armis,  
 Quin potius duro vitam sustento labore,  
 Grossaque prosternens mox ligna securibus uncis,<sup>11</sup>  
 Humidus in fundo tranat qua<sup>12</sup> piscis aquoso,  
 Sæpe caput proprium tingens in gurgite mergo.  
 Vulnera fibrarum, nec non et lurida tabo  
 Membra medens, pestemque<sup>13</sup> luemque resolvo<sup>14</sup> ne-  
 cantem.  
 Libris corrosis et cortice vescor<sup>15</sup> amaro.

*De Catto, vel Muricipe, vel Pilace.*

Fida satis custos conservans pervigil ædes,  
 Noctibus in furvis cæcas lustrabo tenebras.<sup>16</sup>  
 Atris haud perdens oculorum lumen<sup>17</sup> in antris;  
 Furibus invis<sup>18</sup> vastant qui farris acervos,<sup>19</sup>  
 Insidiis tacite dispono scandala mortis,

<sup>1</sup> *pro angulis*, gloss.

<sup>2</sup> *vel redolent*, gloss.

<sup>3</sup> *vel gemma*, gloss.

<sup>4</sup> *s. corpore salutis*, gloss.

<sup>5</sup> *Intus qua*, A.

<sup>6</sup> *i. ubi*, gloss.

<sup>7</sup> *i. corpus Christi*, gloss.

<sup>8</sup> *nec culmine tecta*, A.

<sup>9</sup> *i. fractis*, gloss.

<sup>10</sup> *staðum*, gloss, A. S.

<sup>11</sup> *i. obliquis dentibus*, gloss.

<sup>12</sup> *quo*, A.

<sup>13</sup> *i. gewole*, gloss, A. S.

<sup>14</sup> *de testiculo ejus medicamenta faciunt*, gloss.

<sup>15</sup> *i. utor*, gloss.

<sup>16</sup> *latebras*, A.

<sup>17</sup> *i. visum*, gloss.

<sup>18</sup> *i. execrabilibus*, gloss.

<sup>19</sup> *mugan, cumulos*, gloss.

Et vaga venatrix rimabor lustra<sup>1</sup> ferarum,  
 Nec volo cum canibus turmas<sup>2</sup> agitare fugaces,  
 Qui mihi latrantes crudelia bella ciebunt.<sup>3</sup>  
 Gens<sup>4</sup> exosa mihi tradebat nomen habendum.

*De Cribello.*

Sicca pruinosa<sup>5</sup> crebris effundo fenestris,<sup>6</sup>  
 Candentemque nivem jactans de vertice<sup>7</sup> furvo,  
 Et nos omnis amat,<sup>8</sup> quamvis sim frigida<sup>9</sup> nimbo  
 Densior, et nebulis late spargatur in aula.  
 Qua<sup>10</sup> sine mortales grassantur<sup>11</sup> funere lethi,  
 Et qua<sup>12</sup> dilati<sup>13</sup> contemnunt limina Ditis.<sup>14</sup>  
 Sic animæ pariter pereunt dum vita fatescit.  
 Liquitur in prunis nunquam torrentibus hæc nix,  
 Sed, mirum dictu, magis indurescit ad ignem.

*De Fundibulo.*

Glauca seges lini vernans ex æquore ruris<sup>15</sup>  
 Et tergus mihi tradebant primordia fati;<sup>16</sup>  
 Bina mihi constant torto nam brachia loro,<sup>17</sup>  
 Ex quibus immensum trucidabam mole tyrannum,<sup>18</sup>  
 Cum cuperent olim gentis<sup>19</sup> sævire phalanges.  
 Plus amo cum tereti bellum decernere saxo,  
 Quam duris pugnans ferrato cuspide contis.  
 Tres digiti totum versant super ardua corpus;  
 Erro caput circum,<sup>20</sup> tenues et tendor in auras.

<sup>1</sup> *denn, vel ferebon, gloss, A. S.*

<sup>2</sup> *i. surices, gloss.*

<sup>3</sup> *i. movent, gloss.*

<sup>4</sup> *i. suricum, gloss.*

<sup>5</sup> *pruinosa, A.*

<sup>6</sup> *syfeda, gloss.*

<sup>7</sup> *de viscere, A.*

<sup>8</sup> *et tamen omnis amat, A.*

<sup>9</sup> *sit frigida, A.*

<sup>10</sup> *s. nivæ, gloss.*

<sup>11</sup> *inpugnantur, suffocantur, gloss.*

<sup>12</sup> *s. nive, gloss.*

<sup>13</sup> *ditati, A.*

<sup>14</sup> *i. mortis, gloss.*

<sup>15</sup> *æquore campi, A. i. planitudi-  
 dine, gloss.*

<sup>16</sup> *vel vitæ, gloss.*

<sup>17</sup> *torto retinacula flo, A.*

<sup>18</sup> *i. Goliath, gloss.*

<sup>19</sup> *ingentes, A.*

<sup>20</sup> *circa, A.*

*De Calice vitreo.*

De rimis lapidum profluxi flumine lento,  
 Dum frangunt flammæ saxorum viscera dura,  
 Et laxis ardor fornacis ardet<sup>1</sup> habenis.  
 Nunc mihi forma capax, glacieque simillima lucet.  
 Nempe volunt plures collum confringere dextra,<sup>2</sup>  
 Et pulchræ digitis lubricum comprehendere corpus.  
 Sed mentes muto dum labris oscula trado.  
 Dulcia compressis<sup>3</sup> impendens bacchia<sup>4</sup> buccis,  
 Atque pedum gressus titubantes sterno ruina.

*De Scrofa prægnante.*

Nunc mihi sunt oculi bis seni in corpore solo,  
 Bis ternumque caput, sed cætera membra gubernat.<sup>5</sup>  
 Nam gradior pedibus suffultus<sup>6</sup> bis duodenis,  
 Sed novies deni<sup>7</sup> sunt et sex corporis ungues.  
 Synzygias<sup>8</sup> numero pariter simulabo pedestres,  
 Populus et taxus, viridi quoque fronde salicta  
 Sunt invisæ mihi, sed fagos glandibus uncas,  
 Fructiferas itidem florenti vertice quercus  
 Diligo, sic numerosa<sup>9</sup> simul non spernitur ilex.

*De Ebullo.<sup>10</sup>*

Sambucus in silva, putris<sup>11</sup> dum fronde rubescit,  
 Est mihi par foliis, nam glisco surculus<sup>12</sup> arvis,  
 Nigros baccarum portans in fronte<sup>13</sup> corimbos.  
 Quem<sup>14</sup> medici multum ruris per tærga<sup>15</sup> virentem,

<sup>1</sup> *regnat*, A.<sup>2</sup> *i. manu*, gloss.<sup>3</sup> *toaset*, gloss, A. S.<sup>4</sup> *bassia*, A.<sup>5</sup> *s. caput*, gloss.<sup>6</sup> *suffulta*, A.<sup>7</sup> *sed novem decies sunt*, A.<sup>8</sup> *i. conjunctos, vel congregatos*, gloss.<sup>9</sup> *nemorosa*, A.<sup>10</sup> *wal-wyrt*, gloss, A. S.<sup>11</sup> *botris*, A.<sup>12</sup> *truncus*, gloss.<sup>13</sup> *in fronde*, A.<sup>14</sup> *me*, gloss.<sup>15</sup> *i. per campos*, gloss.

Cum scabies morbi pulpas invaserit<sup>1</sup> ægras  
 Lustrantes orbem crebro quæsisse feruntur.  
 Cladibus horrendæ dum vexant viscera tabo,  
 Ne virus serpat possum succurrere<sup>2</sup> lepræ,  
 Sic olidas hominum restaurans germine fibras.

*De Corvo.*

Dum genus humanum truculenta fluenta necarent,  
 Et nova mortales multarent<sup>3</sup> æquora<sup>4</sup> cunctos,  
 Exceptis raris,<sup>5</sup> gignunt qui semina sæcli;<sup>6</sup>  
 Primus viventum perdebam fœdera juris,  
 Imperio patris<sup>7</sup> contemnens subdere colla,  
 Unde puto dudum versu dixisse poetam;<sup>8</sup>  
 Abluit in terris quicquid deliquit in undis,  
 Nam sobolem dapibus nunquam saturabo ciborum,  
 Ni prius in pulpis plumas nigrescere cernam.  
 Littera tollatur, post hæc sine prole manebo.

*De Cuppa vinaria.*

En plures debrians impendo pocula Bacchi,<sup>9</sup>  
 Vinitor expressit quæ flavescentibus<sup>10</sup> uvis,  
 Pampinus et viridi<sup>11</sup> genuit de palmite botris,<sup>12</sup>  
 Nectare cauponis<sup>13</sup> complens ex vite tabernam.  
 Sic mea turgescunt ad plenum viscera musto;  
 Et tamen inflatum non vexat crapula corpus,  
 Quamvis hoc<sup>14</sup> nectar centenis hauserit urnis.  
 Proles sum terræ gliscens in saltibus altis.  
 Materiam cuneis findit sed cultor agrestis,  
 Pinos evertens altas et robora ferro.

<sup>1</sup> *inrepsit*, A.

<sup>2</sup> *i. adjuvare*, gloss.

<sup>3</sup> *i. punirent*, gloss.

<sup>4</sup> *æquore*, A.

<sup>5</sup> *i. paucis*, gloss.

<sup>6</sup> *sæclis*, A.

<sup>7</sup> *i. Noæ*, gloss.

<sup>8</sup> *i. Sedulium*, gloss.

<sup>9</sup> *i. vini, vel Falerni*, gloss.

<sup>10</sup> *i. maturis*, gloss.

<sup>11</sup> *s. quæ*, gloss.

<sup>12</sup> *s. cum*, gloss.

<sup>13</sup> *i. pincerni*, gloss.

<sup>14</sup> *s. corpus*, gloss.



*De Lucifero.*

Semper ego clarum præcedo<sup>1</sup> lumine lumen  
 Signifer et Phœbi, lustrat qui limpidus orbem,  
 Per cœlum gradiens obliquo tramite flector;  
 Eoas partes ad medium<sup>2</sup> jubar inde meabit  
 Finibus Indorum, cernunt qui lumina<sup>3</sup> primi.  
 O felix<sup>4</sup> olim servata lege Tonantis.  
 Heu! post hoc<sup>5</sup> cecidi proterva mente superbus,  
 Ultio quapropter funestum perculit hostem.  
 Sex igitur comites<sup>6</sup> mecum super æthera scandunt,  
 Gnarus<sup>7</sup> quos poterit per byblos pandere lector.

*De Pharo editissimo in rupibus pelagi posito.*

Rupibus in celsis qua tundunt cœrula cautes,<sup>8</sup>  
 Et salis<sup>9</sup> undantes turgescunt<sup>10</sup> æquore fluctus;  
 Machina me summis<sup>11</sup> construxit molibus amplam,  
 Navigeros calles<sup>12</sup> ut pandam classibus index.  
 Non maris æquoreos lustrabam remige campos,  
 Nec ratibus pontum sulcabam tramite flexo,  
 Et tamen immensis errantes fluctibus actos  
 Arcibus excelsis signans ad littora duco,  
 Flammiger imponens torres<sup>13</sup> in turribus<sup>14</sup> altis,  
 Ignea brumales dum condunt<sup>15</sup> sidera nimbi.

*De Palma arbore, quæ dactylo fecundata frondescit.*

Omnipotens rector,<sup>16</sup> nutu qui cuncta creavit,  
 Qui dedit in mundo tam victrix nomen habendum,

<sup>1</sup> *s. meo*, gloss.<sup>2</sup> *ad modum*, A., glossed by *proprium*.<sup>3</sup> *s. solis*, gloss.<sup>4</sup> *s. fui*, gloss.<sup>5</sup> *post hæc*, A.<sup>6</sup> *Sex sidera errantia*, *i. Sol, Luna, Mars, Mercurius, Jupiter, Veneris, Saturnus*, gloss.<sup>7</sup> *i. prudens*, gloss.<sup>8</sup> *i. nassas*, gloss, A. S.<sup>9</sup> *i. maris*, gloss.<sup>10</sup> *s. qua*, gloss.<sup>11</sup> *i. magnis*, gloss.<sup>12</sup> *i. vias*, gloss.<sup>13</sup> *i. ignes*, gloss.<sup>14</sup> *cautibus*, gloss.<sup>15</sup> *i. abscondunt*, gloss.<sup>16</sup> *Omnipotens auctor*, A.

Nomine nempe meo florescit gloria rerum,<sup>1</sup>  
 Martyribus necnon, dum vincunt prælia mundi,  
 Ædita cœlestis prensant et præmia vitæ,  
 Frondigeris tegitur bellantum turma coronis,  
 Et viridi<sup>2</sup> ramo victor certamine miles.  
 In summo capitis densescit vertice vellus,  
 Ex quo multiplicis torquentur tegmina pepi.  
 Sic quoque mellifluis escarum pasco<sup>3</sup> saginis,  
 Nectare per populos tribuens alimenta ciborum.

*De Monocerote Græce, sive Unicorni Latine.*

Collibus in celsis sævi discrimina Martis,<sup>4</sup>  
 Quamvis venator frustra latrante molosso  
 Garriat arte feri contorquens<sup>5</sup> spicula<sup>6</sup> ferri,  
 Nil vereor, magnis sed fretus viribus altos,  
 Belliger impugnans elephantes vulnere sterno.  
 Heu fortuna ferox, quæ me sic arte fefellit!  
 Dum trucido grandes,<sup>7</sup> et virgine vincor inermi,  
 Nam gremium pandens mox pulchra puerpera prendit,<sup>8</sup>  
 Et voti compos<sup>9</sup> celsam deducit ad urbem.  
 Indidit<sup>10</sup> ex cornu nomen mihi lingua Pelasga.  
 Sic itidem propria dixerunt voce Latini.

*De Sole et Luna.*

Non nos Saturni genuit spurcissima proles  
 Jupiter immensum fingunt quem carmina vatum;  
 Nec fuit in Delo mater Latona creatrix.  
 Cynthia non dicor, nec frater Apollo vocatur.  
 Sed potius summi genuit Regnator Olympi,  
 Qui nunc in cœlis excelsæ præsidet arci.  
 Dividimus mundum communi lege quadratum,

<sup>1</sup> *regum, A.*

<sup>2</sup> *s. densescit, gloss.*

<sup>3</sup> *s. homines, gloss.*

<sup>4</sup> *i. belli, gloss.*

<sup>5</sup> *i. jactans, gloss.*

<sup>6</sup> *i. sagittas, gloss.*

<sup>7</sup> *s. elephantes, gloss.*

<sup>8</sup> *s. me, gloss.*

<sup>9</sup> *i. particeps, gloss.*

<sup>10</sup> *i. inseruit, gloss.*

Nocturnas regimus cursus et fræna dierum.  
 Ni soror et frater vaga sæcula jure gubernent,  
 Heu! chaos immensum fuscaret cuncta latebris,  
 Atraque nunc Erebi regnarent Tartara nigri.

*De Scintilla.*

Quæ res in terris armatur robore tanto  
 Aut paribus<sup>1</sup> fungi<sup>2</sup> nitatur viribus audax?  
 Parva mihi primo constant exordia<sup>3</sup> vitæ,  
 Sed gracilis grandes soleo prosternere letho;  
 Quod lethum<sup>4</sup> proprii gestant penetralia ventris.<sup>5</sup>  
 Nam saltus nemorum densos pariterque fructea,  
 Piniferosque simul montes cum molibus altos,<sup>6</sup>  
 Truxque, rapaxque, feroxque, sub æthere spargo.  
 Et minor<sup>7</sup> existens gracili quam corpore sciniphs;  
 Frigida dum genitrix<sup>8</sup> dura generaret<sup>9</sup> ab alvo<sup>10</sup>  
 Primitus ex utero producens pignora<sup>11</sup> gentis.

*De Crabrone.*

Aera per sudum nunc binis remigo pennis  
 Horridus, et grossæ depromo murmura vocis,  
 Inque cavo densis conversor stipite turmis,  
 Dulcia conficiens propriis alimenta catervis.  
 Et tamen humanis horrent hæc pabula buccis.  
 Sed quicumque cupit, disrumpens fœdera pacis,  
 Dirus commaculare domum sub culmine querno,  
 Exemplo socias in bellum clamo cohortes.  
 Dumque catervatim stridunt, et spicula tridunt,  
 Agmina diffugiunt jaculis exterrita diris.  
 Insontes hosti sic torquent tela nocenti  
 Plurima, quæ constant tetris infecta venenis.

<sup>1</sup> s. *quæ res*, gloss.

<sup>2</sup> *uti*, gloss.

<sup>3</sup> *i. initia*, gloss.

<sup>4</sup> *i. mortem*, gloss.

<sup>5</sup> s. *mei*, vel *silicis*, gloss.

<sup>6</sup> *cum collibus altis*, A.

<sup>7</sup> s. *fui*, gloss.

<sup>8</sup> *i. silix*, gloss.

<sup>9</sup> s. *me*, gloss.

<sup>10</sup> *i. silicis*, gloss.

<sup>11</sup> *i. scintillas*, gloss.

*De Scylla, id est Maris Nympha.*

Ecce molossorum nomen mihi fata dederunt.  
 Argolicæ gentis sic promit lingua loquelis,  
 Ex quo<sup>1</sup> me diræ fallebant carmina Circes,  
 Quæ fontis liquidi maculabat flumina verbis,  
 Cruraque<sup>2</sup> cum coxis,<sup>3</sup> pulpas<sup>4</sup> cum poplite bino  
 Abstulit, immiscens crudelis verba virago.  
 Pignora nunc pavidī referunt ululantia<sup>5</sup> nautæ,  
 Tonsis<sup>6</sup> dum trudunt classes,<sup>7</sup> et cærulea<sup>8</sup> findunt  
 Vastos verrentes<sup>9</sup> fluctus grassante procella.  
 Palmula quæ<sup>10</sup> remis succurrit<sup>11</sup> panda<sup>12</sup> per undas ;  
 Auscultare<sup>13</sup> procul quæ latrant inguina circum.  
 Sic me pellexit<sup>14</sup> dudum Titania proles,  
 Ut merito vivam salsis in fluctibus exul.

*De Elephanto.*

Ferratas acies et denso milite turmas,  
 Bellandi miseros<sup>15</sup> stimulat quos<sup>16</sup> vana cupido.  
 Dum maculare student<sup>17</sup> armis pia fœdera regni,  
 Salpinx<sup>18</sup> et sorbet ventosis flatibus auras,  
 Sævaque<sup>19</sup> clangenti<sup>20</sup> reboant<sup>21</sup> dum classica sistro,<sup>22</sup>  
 Cernere non pavidus didici trux murmura<sup>23</sup> Martis.  
 Quanquam me turpem nascendi fecerit auctor,  
 Editus ex alvo dum sumpsi munera vitæ,

<sup>1</sup> *s. tempore*, gloss.<sup>2</sup> *fœmora*, A., corrected to *crura-*  
*que* in the gloss.<sup>3</sup> *vel cruribus*, gloss.<sup>4</sup> *surras*, A.<sup>5</sup> *i. sonantia*, gloss.<sup>6</sup> *i. remis*, gloss.<sup>7</sup> *i. naves*, gloss.<sup>8</sup> *i. undas*, gloss.<sup>9</sup> *i. navigantes, vel trahentes*, gloss.<sup>10</sup> *qua*, A. *ibi*, gloss.<sup>11</sup> *i. adjuvit*, gloss.<sup>12</sup> *aperta*, gloss.<sup>13</sup> *i. audiere*, gloss.<sup>14</sup> *i. fefellit, fraudaverat*, gloss.<sup>15</sup> *vel miseras*, gloss.<sup>16</sup> *vel quas*, gloss.<sup>17</sup> *s. homines*, gloss.<sup>18</sup> *Salpax*, A. *i. tuba bellandi*, gloss.<sup>19</sup> *Raucaque*, A.<sup>20</sup> *i. sonanti*, gloss.<sup>21</sup> *vel resultant*, gloss.<sup>22</sup> *genus tubæ*, gloss.<sup>23</sup> *i. tumultus*, gloss.

Ecce tamen morti successit<sup>1</sup> gloria formæ,<sup>2</sup>  
 Lethifer in fibras dum serpit finis apertas.  
 Bractea<sup>3</sup> non auri, fulvis pretiosa metallis,  
 Quamvis gemmarum constant ornata lucernis,  
 Vincere<sup>4</sup> non quibunt phalerum<sup>5</sup> floribus unquam.  
 Me flecti genibus fessum natura negavit,<sup>6</sup>  
 Poplite sub curvo<sup>7</sup> palpebris<sup>8</sup> tradere somnos,  
 Quin potius vitam compellor degere stando.

*De Nocte.*

Florida me genuit nigrantem corpore tellus,  
 Et nil fœcundum sterili de viscere promo;  
 Quamvis Eumenidum narrantes<sup>9</sup> carmine<sup>10</sup> vates  
 Tartaream<sup>11</sup> partu testentur gignere<sup>12</sup> prolem;  
 Nulla mihi constat certi substantia partus.  
 Sed modo quadratum complector cœrula mundum.  
 Sæcula dum lustrat<sup>13</sup> lampas<sup>14</sup> Titania Phœbi  
 Est inimica<sup>15</sup> mihi, quæ cunctis constat amica.  
 Diri latrones me semper amare solebant;  
 Quos gremio tectos nitor defendere fusco.  
 Virgilium constat<sup>16</sup> caram cecinisse sororem,<sup>17</sup>  
 Ingrediturque<sup>18</sup> solo,<sup>19</sup> et caput inter nubila condit  
 Monstrum horrendum, ingens, cui<sup>20</sup> quot sunt corpore  
     plumæ,  
 Tot vigiles oculi subter, mirabile dictu,

<sup>1</sup> *i. succedit*, gloss.  
<sup>2</sup> *famæ*, A., corrected to *formæ* in the gloss.  
<sup>3</sup> *i. lamina*, gloss.  
<sup>4</sup> *s. me*, gloss.  
<sup>5</sup> *i. ornamentorum*, gloss.  
<sup>6</sup> *contra lignum jacet quando dormit*, gloss.  
<sup>7</sup> *Poplite seu curvo*, A.  
<sup>8</sup> *i. oculis*, gloss.  
<sup>9</sup> *ipsi*, *s. hoc*, gloss.  
<sup>10</sup> *suo*, gloss.

<sup>11</sup> *i. infernalem*, gloss.  
<sup>12</sup> *s. me*, gloss.  
<sup>13</sup> *s. lux*, gloss.  
<sup>14</sup> *i. lux*, gloss.  
<sup>15</sup> *i. sol*, gloss.  
<sup>16</sup> *fateor*, A., glossed by *testor*.  
<sup>17</sup> *i. famam, filiam terræ*, gloss.  
<sup>18</sup> This line, omitted in Giles, is taken from A.  
<sup>19</sup> *i. terra*, gloss.  
<sup>20</sup> *s. sunt*, gloss.

Tot linguæ, totidem<sup>1</sup> ora sonant, tot subrigit<sup>2</sup> aures.  
 Nocte volat cœli medio, terræque per umbras,  
 Ingrediturque solo, et caput inter nubila condit.<sup>3</sup>

*De Creatura.*<sup>4</sup>

Conditor, æternis fulsit<sup>5</sup> qui sæcla columnis,  
 Rector regnorum frænans et fulmina lege,  
 Pendula dum<sup>6</sup> patuli vertuntur culmina mundi,<sup>7</sup>  
 Me variam fecit<sup>8</sup> primo dum conderet orbem.  
 Pervigil excubiis nunquam dormire juvabit,<sup>9</sup>  
 Sed tamen extemplo clauduntur lumina somno.  
 Nam Deus ut propria mundum ditione gubernat,<sup>10</sup>  
 Sic ego complector sub cœli cardine cuncta.  
 Segnior est nullus, quoniam me larvula<sup>11</sup> terret,  
 Setigero rursus<sup>12</sup> constans audacior apro.  
 Nullas me superat cupiens vexilla triumphi,  
 Ni Deus æthrali summus qui regnat in arce.  
 Prorsus<sup>12</sup> odorato thure fragrantior halans<sup>13</sup>  
 Olfactum<sup>14</sup> ambrosiæ,<sup>15</sup> necnon<sup>16</sup> crescentia glebæ.<sup>17</sup>  
 Lilia purpureis possum connexa rosetis  
 Vincere, spirantis nardi dulcedine plena;  
 Nunc olida<sup>18</sup> cœni squalentis sorde putresco.  
 Omnia quæque polo sunt subter et axe reguntur,

<sup>1</sup> *s. et*, gloss.

<sup>2</sup> *s. monstrum*, gloss.

<sup>3</sup> This line is omitted in A.

<sup>4</sup> *Diversitas creaturarum diversitatem locutionis in ista sententia ostenditur.....de personis omnibus, et naturis unius cujusque creaturæ, inter mortales et universa visibilia et invisibilia. Note in A.*

<sup>5</sup> *fulcit*, A.

<sup>6</sup> *quamdiu*, gloss.

<sup>7</sup> *cæli*, A.

<sup>8</sup> *i. mundus dicit*, gloss.

<sup>9</sup> *valebo*, A., corrected to *juvabit*.

<sup>10</sup> *ex natura elementorum dicit hanc sententiam*, gloss.

<sup>11</sup> *Larvas ex hominibus demones factos aiunt, qui meriti mali fuerit, quarum esse dicitur terrere parvulos, et in angulis garrire tenebrosis*, gloss.

<sup>12</sup> *s. sum*, gloss.

<sup>13</sup> *reocende*, gloss, A. S.

<sup>14</sup> *i. fætorem*, gloss.

<sup>15</sup> *i. dulcedenis; proprium nomen oleris*, gloss.

<sup>16</sup> *s. et*, gloss.

<sup>17</sup> *i. terræ*, gloss.

<sup>18</sup> *Nunc olido*, A.

Dum<sup>1</sup> pater arcitenens concessit, jure gubernō.<sup>2</sup>  
 Grossas et graciles rerum comprehenso figuras,  
 Altior en cœlo rimor<sup>3</sup> secreta Tonantis,  
 Et tamen inferior terris tetra Tartara cerno.  
 Nam senior mundo præcessi tempora prisca;  
 Ecce tamen matris horna<sup>4</sup> generabar ab alvo.  
 Pulchrior<sup>5</sup> auratis dum fulget fibula bullis;  
 Horridior<sup>3</sup> rhamnis,<sup>4</sup> et spretis vilior algis.  
 Latior en patulis terrarum finibus exto,  
 Et tamen in media concludor parte pugilli.  
 Frigidior<sup>5</sup> brumis, necnon<sup>6</sup> candente<sup>7</sup> pruina,  
 Cum sim Vulcani flammis torrentibus ardens.  
 Dulcior in palato quam lenti<sup>8</sup> nectaris haustus,  
 Dirior<sup>9</sup> et<sup>10</sup> rursus quam glauca absinthia campi.  
 Mando dapes mordax lurcorum<sup>11</sup> more Cyclopum,  
 Cum possim jugiter sine victu vivere felix;  
 Plus pernix<sup>12</sup> aquilis, Zephyri velocior alis,<sup>13</sup>  
 Necnon accipitre properantior, et tamen horrens  
 Lumbricus et limax et tarda testudo<sup>14</sup> palustris,  
 Atque fimi soboles sordentis cantharus ater  
 Me, dicto citius vincunt certamine cursus.  
 Sic gravior plumbo scopulorum pondera vergo;<sup>15</sup>  
 Sum levior pluma cedit cui tippula lymphæ.  
 Nam silici<sup>16</sup> densas fundit quia viscere flammæ,  
 Durior aut ferro,<sup>17</sup> tostis sed mollior extis.  
 Cincinnos capitis nam gesto cacumine nullos,  
 Ornent qui frontem pompis, et tempora setis.  
 Cum mihi cæsaries volitent de vertice crispæ,  
 Plus calamistratis<sup>18</sup> se comunt quæ calamistro,<sup>19</sup>

<sup>1</sup> *i. postquam, vel quamdiu, gloss.*

<sup>2</sup> *i. Natura, quam Deus condidit  
in me, gloss.*

<sup>3</sup> *i. scrutor, gloss.*

<sup>4</sup> *orno, A. i. annali, gloss.*

<sup>5</sup> *s. sum, gloss.*

<sup>6</sup> *et, gloss.*

<sup>7</sup> *fulgente, gloss.*

<sup>8</sup> *i. abundantis, gloss.*

<sup>9</sup> *i. amarior, gloss.*

<sup>10</sup> *s. sum, gloss.*

<sup>11</sup> *lurconum, A. i. avidorum, gloss.*

<sup>12</sup> *s. sum, gloss.*

<sup>13</sup> *suðerness, gloss, A. S.*

<sup>14</sup> *i. botraca, gloss.*

<sup>15</sup> *i. inclino, gloss.*

<sup>16</sup> *s. sum, gloss.*

<sup>17</sup> *s. sum durior, gloss.*

<sup>18</sup> *gewalcudum, gloss, A. S.*

<sup>19</sup> *of wolcswinle, gloss, A. S.*

Pinguior en multo scrofarum exungia<sup>1</sup> glesco,<sup>2</sup>  
 Glandiferis iterum referunt dum corpora fagis,  
 Atque<sup>3</sup> saginata lætantur carne subulci;  
 Sed me dira fames macie torquebit egenum;<sup>4</sup>  
 Pallida dum jugiter dapibus satiabor<sup>5</sup> opimis,  
 Limpida sum fateor Titanis clarior orbe,<sup>6</sup>  
 Candidior<sup>7</sup> nivibus dum ningit vellere<sup>8</sup> nimbus;  
 Carceris et multo tenebris obscurior atris,  
 Atque latebrosis ambit quas Tartarus umbris.  
 Ut globus astrorum plasmor teres atque rotunda,  
 Spherula seu pilæ, necnon et forma crystalli;  
 Et versa vice protendor seu Serica pensa<sup>9</sup>  
 Porrecta in gracilem<sup>10</sup> pannum<sup>11</sup> ceu stamina pepeli.  
 Senis ecce plagis latus<sup>12</sup> qua panditur orbis  
 Ulterior multo tendor, mirabile fatu;  
 Infra<sup>13</sup> me suprave nihil per sæcula constat;  
 Ni rerum genitor mundum sermone coercens.  
 Grandior<sup>14</sup> in glaucis quam ballena<sup>15</sup> fluctibus atra,  
 Et minor<sup>16</sup> exiguo sulcat qui corpora verme,  
 Aut modico Phœbi radiis qui vibrat atomo.  
 Centenis pedibus gradior per gramina<sup>16</sup> ruris.  
 Et penitus nunquam per terram pergo pedester,  
 Sic mea prudentes superat sapientia sophos.  
 Nec tamen in biblis docuit me littera dives,  
 Aut nunquam quivi quid constet syllaba nosse.<sup>17</sup>  
 Siccior æstivo torrentis caumate solis,  
 Rore madens iterum plus udo flumine fontis,

<sup>1</sup> *auxungia*, A.

<sup>2</sup> *i. verno*, gloss.

<sup>3</sup> *s. dum*, gloss.

<sup>4</sup> *i. pauperum*, gloss.

<sup>5</sup> *spoliabor*, A.

<sup>6</sup> *i. circulo*, gloss.

<sup>7</sup> *i. sum*, gloss.

<sup>8</sup> *vellera*, A.

<sup>9</sup> *swa seolcen-ðrad*, gloss, A. S.

<sup>10</sup> *In gracilem porrecta*, A.

<sup>11</sup> *i. vestem*, gloss.

<sup>12</sup> *altus*, gloss.

<sup>13</sup> *Dextram et sinistram, sursum et deorsum, supra et infera*, gloss.

<sup>14</sup> *s. sum*, gloss.

<sup>15</sup> *Ballenæ bestiae immensæ magnitudinis, vocatæ ab emittendo et fundendo aquas, cecis hujus maris animalibus altius jaciunt undas. Bal enim Græce mittere dicitur*. gloss.

<sup>16</sup> *i. campos*, gloss.

<sup>17</sup> *i. scire*, gloss.



Salsior et multo tumidi quam marmora ponti,  
 Et gelidis terræ lymphis insulsior erro,<sup>1</sup>  
 Multiplici specie cunctorum compta<sup>2</sup> colorum,  
 Ex quibus ornatur præsentis machina mundi.  
 Lurida cum toto nunc sim fraudata colore,  
 Auscultate mei<sup>3</sup> credentes<sup>4</sup> famina<sup>5</sup> verbi,  
 Pandere quæ<sup>6</sup> poterit gnarus vix ora<sup>7</sup> magister,  
 Et tamen inficiens<sup>8</sup> non retur<sup>9</sup> frivola<sup>10</sup> lector;  
 Sciscitor<sup>11</sup> inflautos,<sup>12</sup> quo fungar nomine,<sup>13</sup> sophos.<sup>14</sup>

<sup>1</sup> *i. maneo*, gloss.

<sup>2</sup> *s. sum*, gloss.

<sup>3</sup> *vel mihi*, gloss.

<sup>4</sup> *s. O! i. fideles*, gloss.

<sup>5</sup> *i. dicta*, gloss.

<sup>6</sup> *Œa*, gloss, A. S.

<sup>7</sup> *ex*, gloss.

<sup>8</sup> *i. negans, contradicens*, gloss.

<sup>9</sup> *i. arbitratur*, gloss.

<sup>10</sup> *s. esse ista*, gloss.

<sup>11</sup> *s. ego creatura*, gloss.

<sup>12</sup> *i. superbos*, gloss.

<sup>13</sup> *fungor quo nomine*, A.

<sup>14</sup> Here the text of this pœm usually ends, but Dr. Giles, in his


edition of Aldhelmi Opera, has added from one of the MSS. the following concluding lines, which are hardly written in the style of the poetic Aldhelm.

*Aurea dum exili Christo fila virgo  
 acu dedicata*

*Manu pallida torquet, æreo tum  
 ego calamo*

*Crinigeris pingo paginas lacrimis,  
 Pauper poeta nescit antra Musa-  
 rum sicuti ego;*


*Cruz benedicta nitet Christi dedi-  
 cata cruore.*



---

**I N D E X.**

---



# INDEX.

## A.

Abbot, characteristics of the office, i. 69, 109.  
 Abraham, the bosom of, ii. 29.  
 Adam, epigram on, ii. 530.  
 Adamas, ænigma on, ii. 539.  
 Adonis, ii. 430.  
 Adulation, ii. 198.  
 Age, old, picture of, ii. 407.  
     combats Youth, ii. 417, 418.  
 Aimeric, lord of Fagia, Reginald's verses in praise of, ii. 262.  
 Aithelric, a blind monk, epigram on him, ii. 152.  
 Alexander Macedo, ii. 193.  
 Alphabet, epigram on the, ii. 548.  
 Alps, the, i. 34.  
 Altar, epigram on an, ii. 527.  
 Ambition, the mount of, description of its gardens, i. 292-294.  
 Anticlaudianus, the, of Alanus Anglicus, ii. 268.  
 Anvil, epigram on an, ii. 532.  
 Appletree, epigram on an, ii. 554.  
 Apulia, William prince of, i. 54.  
 Architrenius, description of him, i. 247.  
 Archytas, the philosopher, his discourse before Architrenius in Thyle, i. 326.  
 Arcturus (the star), epigram on, ii. 560.  
 Aristotle, ii. 193.  
 Arithmetic makes the first wheel of the car of Wisdom of marble, ii. 319.  
 Arnoldus, the companion of Burnellus, i. 54.  
 Arrow, epigram on an, ii. 532.  
 Arthur, king, i. 322.  
 Asp, epigram on an, ii. 555.

Ass, the, taken as the image of the monastic order, i. 4.  
 Astrology makes the fourth wheel of the car of Wisdom of gold, ii. 329.  
 Astronomy, ii. 392.  
 Avarice, evil effects of, i. 316, ii. 491.  
     epigrams on, ii. 171.  
     description of, ii. 424, 488.

## B.

Bacchilatria, ii. 485.  
 Basilise, epigram on a, ii. 535.  
 Bayeux, city of, Serlo's poem on its capture, ii. 241.  
 Beaver, epigram on the, ii. 561.  
 Bee, ænigma on the, ii. 541.  
 Beggary in the middle ages, i. 50.  
 Bell, epigram on a, ii. 527.  
 Bellows, ænigma on the smith's, ii. 539.  
 Bernardus, his story, i. 154.  
 Bias, his discourse in Thyle, i. 353.  
 Bicornis, the cow, i. 18, 19.  
 Bishop, characteristics of the office of, i. 68, 72.  
     of bad bishops and pastors, i. 103, ii. 222.  
     mere children made bishops, i. 107.  
     vain actions of bishops, i. 108.  
     affected by simony, ii. 164.  
     Burnellus determines to become a bishop, i. 68.  
 Blind, epigram on one born, ii. 548.  
 Boethius, his discourse in Thyle, i. 342.  
 Book-chest (*arca libraria*), ænigma on a, ii. 544.  
 Bribery, the various effects of bribes, i. 101, 102.

Britannia, named from Brute, description of its first inhabitants, i. 322.  
 Brunetta, the cow, i. 18, 20.  
 Brutus and Corineus, their arrival in Britain, i. 321.  
 Bullock, epigram on a, ii. 548.  
 Burnellus, his progress in the university at Paris, i. 64.  
   he determines to become a bishop, i. 68.  
   is unable to find a suitable monastic order, i. 81.  
   his story, i. 130.  
 Byblis, ii. 473.

## C.

Calonna, town of, ii. 257.  
   destruction of the church of, epigram upon, ii. 156.  
 Camel, epigram on a, ii. 555.  
 Canons, Black (*Nigri Canonici*), order of, i. 89.  
   *Præmonstratensian*, i. 90.  
   *Sæcular*, their character, i. 91, 92.  
 Candle, epigram on a, ii. 555.  
 Car of Wisdom, the, made by direction of Minerva, ii. 304.  
   who made the wheels, &c., ii. 305.  
 Carthusian monks, order of the, i. 88.  
 Castle, feudal, its evils, ii. 160.  
 Cat, epigram on the, ii. 561.  
 Cato, i. 11, 12.  
   his discourse in Thyle, i. 329.  
 Cauno, ii. 473.  
 Charity, epigram on, ii. 528.  
 Chastity her description and dress, ii. 504, 505.  
*Chrimale*, epigram on the, ii. 560.  
 Cicero, i. 12.  
   his discourse in Thyle, i. 336.  
 Cistercian monks, or white friars, order of the, i. 44, 84.  
 Clergy, satire on the, ii. 164.  
   complaint of, ii. 213.

Cleobulus of Lycia, his discourse in Thyle, i. 362.  
 Cloud, ænigma on a, ii. 537.  
 Chuniac monks, order of the, or black friars, i. 83.  
 Cluny, Peter abbot of, ii. 3.  
 Cnut, king, epigram of Godfrey of Winchester upon him, ii. 148.  
 Cock, ænigma on a, ii. 543.  
 Colossus, epigram on a, ii. 557.  
 Conanus, dean of Bayeux, his house burnt, ii. 246.  
 Concordia, the lady, description of her, 298.  
   her speech, 299.  
 Coppa, a familiar name for a hen, i. 55, 58.  
 Copulation, condemned, ii. 158.  
 Côtances, Walter de, bishop of Lincoln, and archbishop of Rouen, i. 245.  
 Coventry, church of, made a den of prostitutes, i. 211.  
 Cows, story of two, i. 5, 18.  
 Crab fish, epigram on the, ii. 545.  
 Crates, his discourse in Thyle, on the evils of the court, i. 338.  
 Creature, poem on the, ii. 570.  
 Cross, epigram on the, ii. 527.  
*Cucuma duplex*, epigram on, ii. 551.  
 Cup, glass, epigram on a, ii. 563.  
 Cup, wine, epigram on a, ii. 364.  
 Cupidity, i. 316, ii. 166.  
 Cupido, ii. 470, 472, 474.  
 Cattle-fish (*loliço*), ænigma on the, ii. 540.  
 Cypris, ii. 476.

## D.

Dagger, epigram on a, ii. 552.  
 Danewort (the plant, *abulus*), ii. 563.  
 Death, triple, epigram on, ii. 530.  
 Democrates, his discourse in Thyle, i. 335.  
 Demoeritus, ii. 55.  
 Dialectica makes the axletree of the car of Wisdom, ii. 310.  
 Diogenes, ii. 55.  
   his discourse in Thyle on the evils of riches, i. 331.

Dove, epigram on the, ii. 547.  
 Dress, vanity and extravagance in, i. 348.  
   pride in, ii. 190.  
   female, described, ii. 431, 437, 503.  
   of the Lady Nature, ii. 437, 444.  
 Dreams, their meaning, i. 68.  
 Dryanus, i. 135.

## E.

Eagle, epigram on an, ii. 556.  
 Earth, ænigma on the, ii. 537.  
 Edith, queen, Godfrey's epigram upon her,  
   ii. 149.  
 Edward the Confessor, king, Godfrey's  
   epigram upon him, ii. 149.  
 Elephant, epigram on the, ii. 568.  
 Ely, William, bishop of, i. 153.  
 Emma, queen, Godfrey's epigram upon her,  
   ii. 148.  
 England, its griefs, ii. 170.  
 English scholars in the university of Paris,  
   their character, i. 63.  
   liberality, the distinguishing quality of  
   the English, i. 65.  
 Envy, ii. 496.  
 Eyes, epigram on the, ii. 529.  
   on goggle eyes, ii. 530.  
   on a blinkard, ii. 530.

## F.

Fagia, Reginald's poem in praise of the  
   castle of, ii. 263.  
 Faith, ii. 394.  
   epigram on Faith, Hope, and Charity,  
   ii. 526.  
 Falsitas, the lady, ii. 519.  
*Famfaluca*, epigram on, ii. 552.  
 Fan, a winnowing, epigram on, ii. 533.  
 Fate, ænigma on, ii. 538.  
 Fates, the three, story of them, i. 125.

Feast at the consecration of a priest, i. 57.  
 Figtree, epigram on a, ii. 554.  
 File, ænigma on a, ii. 542.  
 Fire, epigrams on, ii. 533, 559.  
 Fish, epigram on, ii. 547.  
 Fortune, the house of, ii. 399, 401.  
 Fountain, epigram on a, ii. 553.  
 French, their character, i. 65.  
 Friend, definition of a, ii. 219.  
 Fromundus, i. 42, 49.  
 Frost, epigram on, ii. 533.

## G.

Galienus, the representative of medical  
   science in the middle ages, i. 14.  
 Gawain, the British hero, his history, i.  
   319, 320.  
 Genius, his dress, ii. 516, 517.  
 Geometry makes the third wheel of the  
   car of Wisdom of lead, ii. 326.  
 Gilbert, abbot of Caen, Serlo's verses on  
   him, ii. 251.  
   abbot of Westminster, Reginald's verses  
   to him, ii. 259.  
 Glass cup, epigram on a, ii. 563.  
 Gluttony, condemned, i. 348.  
 Gnat (*Cinypha*), epigram on the, ii. 550.  
 Grammar made the beam of the car of  
   Wisdom, and wain, ii. 305.  
 Grandmont, monastic order of, i. 86.  
 Grimbaldus, a dog's name, i. 41.  
 Gundulfus, a priest's son, story of him and  
   a cock, i. 55, 56, 57.  
   his dream, i. 59.

## H.

Hair, artificial colour given to the, ii. 120.  
 Hall, life in the monastic, ii. 194.  
 Hellebore, epigram on, ii. 554.  
 Hell, its torments, ii. 24.  
 Henry II., king of England, his age, i.  
   311.

- Henry of Huntingdon, his epigram on his own character and condition, ii. 169.  
 his epigram on himself, ii. 174.  
 Hildebertus de Lavardino, the poet, ii. 6.  
 Hippolytus, ii. 430.  
 Hornet, epigram on a, ii. 567.  
 Horses of the car of Wisdom, presented by Reason, ii. 332.  
 Hospitalers, the order of the knights, i. 82.  
 Hugo Diensis, ii. 201, 202.  
 Hugo, subprior of St. Pancræce, Reginald's verses to him, ii. 260.  
 Hugo Sotovagina, his verses on the monks, ii. 219.  
 Hugo Suesionensis, ii. 201.  
 Humility, epigram on, ii. 531.  
 Hymenæus, husband of Venus, ii. 470, 480.  
 and father of Cupid, ii. 481.  
 Hyppocrates, ii. 193.

## I.

- Idolatry, the daughters of, ii. 484.

## J.

- John, the abbot, his epitaph, ii. 157.  
 Jovis mons, i. 34.

## K.

- Kettle, ænigma on a, ii. 544.  
 Kings, their character and condition, i. 100.

## L.

- Laity, character of the, i. 111, ii. 165.  
 Lando, archprior, ii. 260.  
 Lanfranc, archbishop, epigram of Godfrey of Winchester upon him, ii. 150.  
 Largitas, the lady, ii. 508.  
 her discourse, ii. 515.  
 Larva, meaning of the word, ii. 570.  
 Leech, epigram on the, ii. 547.  
 Letters, epigrams on the, ii. 526, 548.  
 Lighthouse (*pharus*), epigram on a lofty, ii. 565.  
 Lion, epigram on the, ii. 545.  
 Loadstone, ænigma on the, ii. 543.  
 Locust, epigram on the, ii. 550.  
 Logic, ii. 391.  
 London, description of the London merchant, i. 37.  
 Louis, king of France, i. 17.  
 Lucifer, the star, epigram on, ii. 365.  
 Lust, its evils, i. 344.  
 Luxury, i. 301, 337.

## M.

- Mail, coat of, epigram on a, ii. 549.  
 Man, the perfect, his creation, ii. 404.  
 Married life, condition of, to the wife, ii. 234.  
 Mars, palace of, ii. 343.  
*Magister*, the scholastic title, i. 53.  
 Magnanimitas, ii. 514.  
 Mastiff, ænigma on a, ii. 539.  
 Mathilda, queen, Godfrey's epigram upon her, ii. 150.  
 Merlin, i. 322.  
 Mill, epigram on a, ii. 553.  
 Minotaur, ænigma on the, ii. 543.  
 Mitred abbots, their luxurious life, ii. 230.  
 Money, power of, i. 311, ii. 489.  
 Monks in general, their character, i. 110, ii. 165.  
 Neckam's satire upon them, ii. 175.  
 the satire of Gualo against the monks, ii. 201.  
 Moon, ænigma on the, ii. 528.



Mundane affairs, Serlo's verses on their vanity, ii. 232.  
 Murial, the nun, Serlo's verses on her, ii. 233.  
 Music makes the second wheel of the car of Wisdom of brass, ii. 323.  
 Myrmecoleon, ænigma on the, ii. 541.  
 Myrrha, ii. 473.

## N.

Naso, the poet (Ovid), i. 148.  
 Nature, the lady, description of her, i. 369.  
   her palace, ii. 275.  
   her hall, and its ornaments and pictures, ii. 277.  
   her council, and the speech she delivers to them, ii. 280.  
   her laws overthrown and despised, ii. 427.  
   her dress, ii. 506.  
   her letter, ii. 511.  
   ænigma on nature, ii. 538.  
 Navigation for gain condemned, ii. 158.  
 Needle, epigram on a, ii. 528.  
 Nestor, i. 12, 179, 323.  
 Nettle, ænigma on a, ii. 544.  
 Night, epigram on, ii. 569.  
 Nightingale, ænigma on the, ii. 542.  
 Nobility, ii. 396.  
 Nucariensis conventus, ii. 263.  
 Nuns, their character, i. 93.  
 Nycticorax, epigram on the, ii. 550.

## O.

Odardus, ii. 204.  
 Odo, bishop, ii. 204, 205, 207.  
 Odo, bishop of Bayeux, verses on him, ii. 254.  
 Order, monastic, a new one proposed by Burnellus, i. 95.  
 Organ, ænigma on an, ii. 540.  
 Ostrich, epigram on the, ii. 546.  
 Ox, epigram on an, ii. 548.

## P.

Palm, epigram on the tree, ii. 565.  
 Paradise, its joys, ii. 11, 199.  
 Parchment, epigram on, ii. 526.  
 Paris, university of, and its scholars and studies, i. 9, 53, 63, 163.  
   condition and manners of the scholars, i. 275-291.  
   prospect of the city from Montmartre, i. 77.  
 Pen, epigram on a, ii. 556.  
 Pepper, epigram on, ii. 546.  
 Periander, his discourse in Thyle, i. 354.  
 Perna (a sort of shell-fish), ænigma on the, ii. 544.  
 Peter, abbot of Cluny, ii. 3.  
 Philo, his discourse in Thyle, i. 356.  
 Philosophy, epigram on, ii. 525.  
 Phronesis, ii. 303.  
   appointed the charioteer of the car of Wisdom, ii. 337.  
 Physician, the character and value of his science, i. 14, 15.  
 Pincers, epigram on, ii. 531.  
 Pittacus, his discourse in Thyle, i. 360.  
 Plato, his discourse among the philosophers in Thyle, i. 327.  
   his name only remains, ii. 193.  
 Pleiades, ænigma on the, ii. 541.  
 Pliny, his discourse in Thyle, i. 337.  
 Poets wanting in truthfulness, ii. 465.  
   the accounts the poets give of the gods fabulous, 466.  
 Poverty, description of her appearance, ii. 414.  
   slain, ii. 415.  
 Præmonstratensian canons, i. 90.  
 Præpositions, Tatwin's Epigram on, ii. 529.  
 Præsumption, the hill of, inhabited by ecclesiastics, scholars, and monks, i. 309, ii. 166.  
 Pride of Burnellus (the ass), i. 39.  
 Pride, i. 311.  
   the pride of the monks, i. 312.  
   epigram on pride, ii. 531.  
 Priests, Serlo's verses against their children, ii. 208.

Priors, their character, i. 109.  
 Priscian, ii. 309.  
 Prodigalitas, ii. 515.  
 Prodigality, the evils of, i. 336.  
 Prudence, the lady, description of her  
 person and dress, ii. 282.  
 her speech, ii. 284.  
 Pyramus, ii. 430.  
 Pythagoras, his discourse in Thyle, i. 348.

## Q.

Quill, epigram on a, ii. 527.  
 Quintilian, ii. 218.  
 Quiver, epigram on a, ii. 533.

## R.

Ram, epigram on the, ii. 558.  
 Rainbow, epigram on the, ii. 538.  
 Ramophrygius, i. 323, 325.  
 Raven (*corvus*), epigram on the, ii. 564.  
 Reason (*Ratio*) similar to Prudence in ap-  
 pearance, ii. 288.  
 her discourse, ii. 292.  
 Rhetoric gilds and paints the wheels and  
 axletree of the car of Wisdom, ii.  
 314.  
 character of Rhetoric, ii. 391.  
 Richard, son of king William, epigram on,  
 ii. 152.  
 Riches not to be hoarded up, but spent, i.  
 335, 336.  
 Robekinus, i. 106.  
 Robert, bishop, epigram on him, ii. 168.  
 Robertus Losinga, bishop of Hereford,  
 epigram by Godfrey of Winchester  
 on him, ii. 154.  
 Rome, court of, its condition, i. 98.  
 its fallen glory, ii. 96.  
 Rustic class, the, or villain, description and  
 character of the, i. 39.

## S.

Salamander, ænigma on the, ii. 540.  
 Salernum, i. 35, 36.  
 Salt, ænigma on, ii. 538.  
 Sapphic verse, rules for the composition of,  
 ii. 265.  
 Scales, pair of, ænigma on, ii. 542.  
 Scylla, a sea nymph, epigram on, ii. 568.  
 Secular canons, order of the, i. 91.  
 Seditious mob, epigram on the, ii. 159.  
 Sempringham, monastic order of, i. 95.  
 Senses, the five, epigram on, ii. 531.  
 Serlo, abbot, epigram upon, ii. 155.  
 Shield, epigram on a, ii. 548.  
 Sieve, epigram on a, ii. 562.  
 Silkworms, ænigma on, ii. 540.  
 Simeon, abbot of York, epigram upon him,  
 ii. 153.  
 Simony, prevalence of, ii. 90.  
 of the monks, ii. 204, 226.  
 Slinger, epigram on a, 562.  
 Snow, hail, and ice, epigram on, ii. 529.  
 Socrates, his discourse in Thyle, i. 333.  
 Sodomiticus ignis prevalent, ii. 79, 80, 462.  
 Solon, his discourse in Thyle, i. 364.  
 Sow, pregnant, epigram on a, ii. 563.  
 Sower, epigram on a, ii. 533.  
 Squirrel, epigram on the, ii. 529.  
 Spark, epigrams on a, ii. 532, 567.  
 Spelt, epigram on, ii. 553.  
 Spindle, epigram on a, ii. 551.  
 Stork, epigram on the, ii. 549.  
 Sun and moon, epigram on the, ii. 566.  
 Sun's rays, epigram on the, ii. 534.  
 Sunflower, or turnsole, ænigma on, ii.  
 539.  
 Superfluity, reprehension of, ii. 157.  
 Swallow, epigram on the, ii. 359.  
 Sword and its sheath, epigram on, ii. 532.  
 Syon, description of, ii. 17.

## T.

Table, epigram on a, ii. 532.  
 Tail, the, its utility to the animal, i. 7.  
 its use and importance, i. 23.

Temperantia, the lady, ii. 507.  
 Templars, order of the, their character, i.  
 82.  
 Thales, his discourse in Thyle, i. 351.  
 Thisbe, ii. 431.  
 Thyle (Thule), visited by Architrenius, i.  
 325.  
     description of it, i. 326.  
 Thomas, archbishop, epigram on him, ii.  
 154.  
 Thomas, St., of Canterbury, i. 155.  
 Totonesia portus, i. 321.  
 Troy, fate of the city of, i. 21.  
 Trumpet, epigram on a, ii. 556.  
 Truth, ii. 518.  
 Twin birth, ænigma on a, ii. 539.  
 Tyndarides, ii. 430.

## U.

Ulysses, i. 11.  
 Unicorn, epigram on the, ii. 566.

## V.

Venus, Architrenius arrives at her palace,  
 i. 252.  
 Veritas, the lady, ii. 518.  
 Vesperus, the star, epigram on, ii. 552.  
 Virtue, ii. 395.  
     great battle of the Virtues and the  
     Vices, ii. 406.

## W.

Walchelin, bishop, epigram on him, ii.  
 155.  
 Walcherius, bishop of Durham, epigram  
 upon him, ii. 150.  
     invective against those who slew him,  
     ii. 151.

Walganus, i. 325.  
 Water, epigram on the, ii. 545.  
 Water-snake, ænigma on the, ii. 543.  
 Water-spider (*tipperia*), epigram on the,  
 ii. 545.  
 Wealth the great object of search, ii. 71.  
 Weasel, epigram on the, ii. 557.  
 Whetstone, epigrams on a, ii. 535, 543.  
 Wichardus of Lyon, a latin poet, ii. 6.  
 Wilekinus, i. 106.  
 William the Conqueror, ii. 152.  
     Godfrey's epigram upon him, ii. 149.  
 William, prince of Apulia, i. 54.  
 William, abbot of Fiscammensis, ii. 155.  
 Wind, ænigma on the, ii. 537.  
 Wisdom the greatest of all possessions, ii.  
 490.  
 Wives of priests, i. 55.  
 Womankind, condemnation of, ii. 56, &c.,  
 186.  
 World, the, its instability, i. 123.  
 Writing-tablets, ii. 558.  
 Wulnoth, earl, epigram on, ii. 152.  
 Wulstan, bishop of Worcester, epigram  
 upon him, ii. 153.

## X.

Xenocrates, his discourse among the philo-  
 sopher in Thyle, i. 344.

## Y.

Yarrow, the plant (*millefolium*), ænigma  
 on, ii. 544.  
 Yew, epigram on, ii. 557.

263013

LONDON :

Printed by GEORGE E. EYRE and WILLIAM SPOTTISWOODE,  
Printers to the Queen's most Excellent Majesty.

For Her Majesty's Stationery Office.

[750.—12/72.]





DA	Wright
25	gram
•B8	
v. 59	
15 Aug 58	SEP
3rd floor	SEP
24. x. 28	MAY
24/6/67	APR
2/8/69	AUG
10/31/69	APR
27/10/71	APR
8/3/72	MAR

Wright - Anglo-Norman satirical poets and epigrammatists of the 12th Cent.

v. 2

LIBRARY  
 Pontifical Institute of Medieval Studies  
 113 ST. JOSEPH ST.  
 TORONTO, ONT., CANADA

15422 •

